

D E C E L E R I  
PROPAGATIONE EVANGELII

IN UNIVERSO MUNDO

*LIBRI TRES*

AUCTORE

MICHAELE JOSEPHO MACEDA PRESB.

A C C E D I T


COMMENTARIUS BOLLANDIANUS

D E S A N C T O F I R M I N O

EPISCOPO, ET MARTYRE

*CUM DISSERTATIONE EJUSDEM AUCTORIS*

DE POMPELONENSI EPISCOPATU HUIUS SANCTI.



BONONIÆ MDCCIIC.

EX TYPOGRAPHIA SANCTI THOMÆ AQUINATIS.

*SUPERIORUM PER MISSU.*

I N C L Y T Æ  
P O M P E L O N E N S I C I V I T A T I  
R E G N I N A V A R R Æ  
M E T R O P O L I

MICHAEL JOSEPHUS MACEDA POMPELONENSIS  
FELICITATEM.

**E**n opus, inclyta Metropolis, cujus hispanum specimen non displicuisse Tibi, ante menses aliquot humanissimis mihi litteris significare dignata es. Quid porro existimaturi de me homines sint, equidem nescio; de Te vero Tutelarium Sanctorum gloriam studiose diligenterque curante, ac tenues etiam in litteris civium conatus munifice ad-

juvante, quin præclare censuri sint, non dubito quidem certe. Tametsi non hinc tantummodo suffragabuntur Tibi, sed isthinc maxime, quod in domesticæ communionem gloriæ venire gentes ceteras pie generoseque velis, quo sua divinis oraculis constet veritas de suscipienda mox ubique Christiana Religione. Gratulor enimvero Tibi, atque adeo mihi in gremio Tuo nato enutritoque, quod, quo tempore in alia omnia plerarumque Civitatum studia, contentionesque feruntur, Tua eo colliment, unde non tranquillitas modo, sed germana etiam gloria et felicitas in populos defluunt. Si autem Riccardiana Sanctorum nostrorum Acta, quæ nunc primum in lucem prodeunt, eruditis criticis probabuntur (et quidem probari ipsis maxime oportet) per Te cessabit jam denique justa nostratium hominum querimonia de neglecta ad usque tertii seculi medium Hispana Ecclesia in iis libris, quos de historia ecclesiastica scriptitant exteri. Etenim si nondum natam, nihilve dignum memoria gessisse interim eam putant, egregie illos falli, vel Tu sola convinces, quæ jam tum sic eminebas, ut non unum vel alterum, sed tres non interrupte succedentes sibi Doctores sanctissimos habueris; quæque tam altas, ac tam late diffusas sub Episcopo primo Tuo Firmino in Christiana Religione radices egeras, ut migrandum is si-

bi

# INDEX

## CAPITUM, ET SECTIONUM.

### LIBER PRIMUS

De tempore, quo S. Saturninus Ep. et M.  
Evangelium Tolosæ prædicavit.

Cap. I.	<i>Acta sincera S. Saturnini adhuc edita interpolata esse videntur, ubi tempus prædicationis ipsius designant.</i>	Pag. 1
Cap. II.	<i>Argumenta, quibus recentiores critici confirmant epocham Consulatus Decii et Grati, quæ in vulgatis S. Saturnini Actis legitur.</i>	7
Cap. III.	<i>Argumenta, quibus antiqui induci potuerunt, ut S. Saturninum primo seculo collocarent.</i>	13
Cap. IV.	<i>De Actis SS. Saturnini, et Firmini recens detectis.</i>	16
Cap. V.	<i>De auctoritate epocha, quam Riccardiana Acta S. Saturnino assignant.</i>	21
Cap. VI.	<i>Acta sincera SS. Saturnini, Honesti, et Firmini.</i>	27
S. I.	<i>Præfatio Auctoris, et tempus, quo S. Saturninus Tolosam venit.</i>	ibid.
S. II.	<i>De prædicatione S. Saturnini, et de SS. Honesto, et Firmino.</i>	29
S. III.	<i>Martyrium S. Saturnini.</i>	46
S. IV.	<i>De translatione corporis S. Saturnini.</i>	51
S. V.	<i>Compendium Actorum S. Saturnini.</i>	55
Cap. VII.	<i>Acta S. Firmini probant, S. Saturninum longe ante medium seculi tertii vixisse.</i>	56

## LIBER SECUNDUS.

## Antiquorum testimonia de celeri propagatione Evangelii.

Cap. I. Testimonia Sacra Scriptura.	69
Cap. II. Scriptorum primi et secundi seculi testimonia de celeri Evangelii propagatione.	77
Cap. III. Scriptorum tertii seculi testimonia de divulgatione Evangelii.	88
Cap. IV. Scriptorum quarti seculi testimonia de divulgatione Evangelii.	93
Cap. V. Testimonia Gentilium Scriptorum de multitudine Christianorum.	99
Cap. VI. Quid putent recentiores multi de propagatione Evangelii.	103
Cap. VII. Refutatio argumentorum Capitis precedentis.	109

## LIBER TERTIUS.

## De origine et progressu Religionis Christianæ in præcipuis Orientis et Occidentis Provinciis.

Cap. I. De origine Religionis Christiana in Orientis Provinciis.	119
Cap. II. De origine Religionis Christiana in Occidente; ac primum in Illyrico, et Germania.	131
Cap. III. S. I. De origine, et progressu Religionis Christiana in Galliis.	136
S. II. . . . .	147
Cap. IV. De Britannica, atque Africana Ecclesia antiquitate.	164
Cap. V. S. I. De origine Hispana Ecclesia.	170
S. II. . . . .	187
Appendix ad caput præcedens.	198

bi alio crediderit, ne otio in vinea, haud indigam strenuo cultore, marcesceret. Proferant, amabo, eruditissimi historici isti de una aliqua suarum gentium Ecclesia vel illustrius memoriaque dignius exemplum, vel graviori monumento comprobatum. Si ergo abstinendum sibi ab egregiis Hispanæ Ecclesiæ ceteris gestis severi critici censent, Tuorum certe Tutelarium Sanctorum Saturnini, Honesti, et Firmi gloriosissimam prædicationem, modo sapere velint, cum Tua summa laude posthac commemorabunt. Hic ego, Inclyta Metropolis, in ceteras Tuas laudes excurrerem, siquidem verbis meis Tibi aliquid addi, aut vero silentio detrahi posset. Sed bene est, quod neque eloquentissimorum hominum præconiis, nedum meis, indigeas; etenim ab ejusmodi scribendi genere, quod extraneos potissimum decet, domesticus ipse Tibi, libens abstineo. Fungar itaque officio, quod mihi relinquitur, in Patronis nostris perinsignibus deprecandis, ut quam Tibi perpetuam felicitatem minimus filius desidero, ratam ipsi de cælo faciant, continenterque promoveant.

COMMENTARIUS BOLLANDIANUS DE S. FIRMINO  
EP. ET MART.

*De causis recudendi Bollandiani Commentarii de Sancto  
Firmino Episc. et Mart. monitum auctoris preceden-  
tium Librorum.* 209

Commentarius prævius a Joanne Stilingo Soc. I.  
adornatus.

- §. I. *Diversa Actorum exemplaria, eorumque in quibus-  
dam notabilis varietas: non sunt scriptoris contempo-  
ranei, nec defectibus aliquot carent.* 213
- §. II. *Patria S. Firmini: vita qualiscumque chronota-  
xis: tempus martyrii.* 218
- §. III. *De Episcopatu Sancti Firmini, et aliquot succes-  
soribus.* 230
- §. IV. *Memoria Sancti in Martyrologiis, et cultus die-  
bus pluribus,* 240
- §. V. *Inventio et translatio corporis.* 244
- §. VI. *Tempus Episcopatus S. Salvii, sive inventionis  
S. Firmini.* 252
- §. VII. *Translatio corporis in thecam magis pretiosam,  
aliaque ad gloriam Sancti posthumam pertinentia.* 258
- §. VIII. *Corpus theca aurea impositum: aliquot Sancti  
Firmini Ecclesie: cultus in aliis Gallie diocesisibus.* 266
- §. IX. *Utrum corpus S. Firmini translatum sit ad Abba-  
tiam S. Dionysii.* 272
- §. X. *Insignis cultus, et reliquia Sancti Pompelone, cu-  
jus, uti et totius Regni Navarrae est Patronus: cul-  
tus etiam in tota Hispania.* 282

Vita ex duobus Mss. Ambianensi, et Antuerpiensi  
collatis cum sex aliis, et editione Bosqueti.

Cap. I. *Sancti patria, parentes, horumque conversio: pue-  
ritia, juventus, consecratio episcopalis.* 297  
Cap.



x  
 Cap. II. *Prædicatio S. Firmini: varia certamina, et martyrium.* 305

Retractatio Bollandianorum sententiz de Episcopatu  
 S. Firmini; epilogusque Operis.

- §. I. *Assertitur S. Firmino Pompelonensis episcopatus ex  
 iisdem causis, quas pro denegando allegant Bollandiani.* 320  
 §. II. *Acta Riccardiana luculenter probant, S. Firminum  
 Pompelonis Episcopum fuisse.* 332  
 §. III. *Conclusio totius operis.* 336



Die 10 Octobris 1797.

Vidit pro Eñõ, ac Rñõ D. D. Andrea Cardinali Joannet-  
 to Archiep. Bonon.

*Joannes Bapt. Can. Morandi S. T. pub. prof. etc.*

# PRÆFATIO.

Non eget commendatione argumentum, quod titulo se suo satis commendat, quodque optimo cuique Christiano visum est semper tractatu et scitu dignissimum: de aliis itaque breviter præfabor. Ante menses aliquot primum ex iis libris hispanice converti in civium meorum gratiam, et de ceteris tunc pauca delibans, pollicitus sum, propediem vulgandos a me latine omnes. Fidem libero; tametsi addo, demo, et multo levioris momenti aliqua pro eo, quo utimur in rebus nostris, jure concesso. Id me nonnihil sollicitat, ne videar in S. Saturnini definienda ætate prolixior, quam vel operis argumentum, vel multorum cura, rationesque exigant. Quid enim ad nos, dicent, et ad propagati Evangelii modum chronologica de uno quovis Tolosæ Episcopo quæstio? Hujusmodi scrupulum mature evellendum censeo, disputationem exordians ab ostensione connexionis, quam S. Saturnini atas habet, vel certe habere dicitur, cum definitione quæstionis de propagatione Evangelii. Etenim sic statuo, tam facile eruditus criticis esse probandam celerem in universo mundo Evangelii divulgationem, dummodo seculo primo S. Saturninum vixisse, persuadere ipsis tandem aliquando possis, quam ægre ac difficulter, si usque ad imperium Decii, seu tertii seculi medium, differri illum imprudens patiaris. Ergo prævaricari viderer, si perfunctorie de ipsius ætate agerem; existimoque, eos ipsos, qui nihil sua interesse ætatem S. Saturnini fortasse credunt, optime consulturos rebus suis incipiendo ab hac tractatione, si quando tutas videre volunt primævas Ecclesiarum suarum origines. Non equidem nego, pro domo mea, ut ajunt, perorare in hujusmodi quæstione; verum si privata Patriæ meæ causa, S. Saturninum fidei Magistrum fortuna-

tunatissime adeptæ, alacriorem in communi defendenda me reddit, id nemini, credo, displicere debet. Cur autem de S. Firminò, altero Patriæ meæ Magistro, atque Episcopo primo, tam copiose agam in fine, cum illuc perventum erit, commodius præfari licebit. Non arbitror, prudenti lectori me excusandum, quod doctissimos Bollandianos Hagiographos, atque alios de historia ecclesiastica optime meritos viros tum in iis libris, tum in *Apologia innocentia, sanctitatisque Magni Hosii*, ante aliquot annos vulgata, impugnandos delegerim. Voluissem equidem, quorum eruditionem, iudicium, atque ingenium suspicio, et maximis effero laudibus, eorum item placita omnia probare potuisse: sed quando aliter factum est, nulla re magis, quam expressa impugnatione, meam de ipsis existimationem declarandam fore credidi. Etenim quos parvi pendo, ne faventes quidem, nedum adversantes appello. Hic igitur locum habet vulgatum illud: *amicus Plato, sed magis amica veritas*, et Bollandianorum ipsorum numero 27. *Commentarii* infra edendi dictum: *Omni veritati patriam postponimus*. Superest, ut, quæ pro Ecclesiæ gloria tractanda suscepi, ejusdem ea inerranti censuræ demisse subjiciam, utque Urbani VIII. Papæ de his rebus decreta servata me velle profitear.



DE

DE CELERI  
PROPAGATIONE EVANGELII  
IN UNIVERSO MUNDO  
LIBRI TRES.

---

LIBER PRIMUS.

De tempore quo S. Saturninus Episcopus, et Martyr  
Evangelium Tolosæ prædicavit.

CAPUT I.

*Acta sincera S. Saturnini adhuc edita interpolata esse videntur,  
ubi tempus prædicationis ipsius designant.*

I. **A**cturo sequentibus libris de mirabili propagatione Evangelii per universum terrarum orbem, necesse mihi esse intelligo, ut S. Saturnini, Tolosæ Episcopi primi, tempus diligenter indagem, et, quoad ejus fieri potest, determinem; ne, quod evenisse aliis video, qui sine prævio hoc examine idem argumentum tractarunt, mihi etiam accidat, ut nullo modo recentibus criticis sententiam meam probare possim propter contrarium, ut ipsi ajunt, luculentumque testimonium antiquissimi scriptoris martyrii S. Saturnini. Si enim Galliæ, et in his Narbonensis Provincia Italiæ finitima, raras anno 250. Ecclesias (attamen pro exiguo Christianorum numero sufficientes) habebant, quid de Aquitania et Belgica, quid de Hispanis, Africanis, Germanicis, ac Britannicis provinciis, ab scaturigine fidei remotioribus, existimandum erit? Atqui id asserit scriptor martyrii S. Saturnini, vel certe id ab eo asseri, S. Gregorius Turonensis testatur lib. prim. *Historiæ Franc.* cap. 28 qui quidem errasse credendus non est, nam in *passione S. Saturnini*, quæ inter Acta

A

Mar-

Martyrum sincera a Ruinartio edita extat, id ipsum legimus pag. 130. Editionis Amstelædamensis anni 1713.

2. Hac exceptione eruditi critici irrita ab se fieri tela putant, quæ ex plurimarum Ecclesiarum traditione, et ex generalibus antiquissimorum Patrum assertis contorquentur in ipsos. Congerunt hi quidem multa alia, quibus suam opinionem confirmant; verum nusquam magis triumphant, quam ubi *Actorum S. Saturnini* testimonium veluti fatale Palladium, in medium adduxerint. Propterea facturum me operæ pretium puto, si quale, quantumque hujusmodi sit, dilucide ostendero. Nec vero timeo, ne mihi adversarii succenseant, quasi in gravissimi scriptoris *Actis sinceris* manifestam notam temporis labefactare velim; neque enim usque adeo manifesta hæc est, ut non umbra quadam circumvestita appareat, neque homines in commovendis traditionibus, antiquisque monumentis purgandis, plusquam fortasse par foret, sollicitos, tam anxia religio in re non admodum gravi, aut certe errori valde obnoxia, decere videtur.

3. Hæc igitur sunt, quæ in *Actis S. Saturnini* apud Suriium, et Ruinartium leguntur: „Tempore illo, quo post  
„corporeum Salvatoris Domini nostri Jesu-Christi adventum,  
„exortus in tenebris Sol Justitiæ splendore fidei illuminare  
„Occidentalem plagam cœperat, postquam sensim et gradatim  
„in omnem terram Evangeliorum sonus exivit, parique  
„progressu in regionibus nostris Apostolorum prædicatio  
„cœpit; cum ~~rara~~ in aliquibus civitatibus Ecclesiæ paucorum  
„Christianorum devotione consurgerent; sed nihilominus  
„crebra miserabili errore gentilium nidoribus foetidis in  
„omnibus locis templa fumarent: ante annos L. sicut actis  
„publicis, id est, Decio et Grato Consulibus, sicut fidei  
„recordatione retinetur, primum et summum Christi Tolosa  
„civitas Sanctum Saturninum habere cœperat Sacerdotem.  
„Cujus fide, atque virtute eorum, qui in urbe eadem  
„colebantur, dæmonum cœperunt cessare vaticinia, commenta  
„nudari, artes detegi, omnisque illorum apud gentes  
„potentia, omnisque fallacia (Christianorum fide crescente)  
„decrecere. Cumque supradicto Episcopo ad Ecclesiam id  
„temporis parvulam &c. „Ruinartius ad verba *ante annos L.*

SICUT

*sicut actis publicis, id est, Decio et Grato Coss.* notat, post publicis deesse continetur, et plures codices habere *ante annos satis plurimos, alios ante annos plures*, se autem Fossatensis antiquissimi codicis lectionem retinuisse, in quo verba *ante annos L.* nitide exarata sunt, sed postea *subtis plurimis mendose*, supra quæ *sicut actis publicis*, primaria, aut certe æquali manu inserta fuisse. Addit, codicem primum Germanensem habere *sub Decio, et Germanico*, Conchensem vero *sub Decio, Germanico, et Grato*.

4. Tria mihi concessuros eos, spero, qui adducta passionis S. Saturnini verba attente legant. Primum, neminem fuisse futurum, qui ad sera Decii et Grati Coss. tempora, id est, ad annum 250 differendam esse prædicationem S. Saturnini putasset, si non ibi conceptis id verbis affirmaretur. Nam si *Tolosa habere cœpit primum et summum Sacerdotem Saturninum tempore illo, quo post Salvatoris adventum Sol justitiæ illuminare occidentalem plagam cœperat: postquam quidem Apostolorum prædicatio cœnscaverat jam parvi progressu in Galliis, sed tamen rara in aliquibus civitatibus paucorum Christianorum devotione Ecclesiæ surgebant*, quis non credidisset, advenisse S. Saturninum Tolosam recenti adhuc Apostolorum prædicatione, et vel ipsis alibi agentibus, vel summum paulo ante mortuis? Quare si passionis, seu Actorum S. Saturnini scriptor ~~revera dixit~~, Decio et Grato Coss. id evenisse, parum apte narrationem exorsus fuit, ac vix non fefellit lectores. At vero tanta elucet in cetera narratione gravitas, dicendique peritia, ut peccasse in ipso exordio ægre credendus sit.

5. Alterum, mihi a nemine denegandum, est, *raras in Galliis Ecclesias, paucosque Christianos* sub S. Saturnini adventum nullam subire difficultatem, si primo seculo, vel initio secundi Sanctus hic vixit: at vero si ad medium seculi tertii protrahatur, conciliari ægre posse cum Justino, Ireneo, Tertulliano, atque aliis Patribus ante id temporis scribentibus, stupendamque jam tum Christianorum in universo mundo multitudinem luculenter testantibus. Perviderunt hanc difficultatem adversarii nostri, qui tamen longe absunt, ut passionis S. Saturnini scriptorem vel errasse in designando

4 2

tem

tempore, vel extenuasse plusculum Christianorum numerum, dicant; volunt quin potius, ad ipsum tamquam ad regulam inerrantem conformandos esse reliquos scriptores. An recte istud contendant, postea videbimus: satis in præsentia est observasse, quæ de *raris Ecclesiis, paucisque in Galliis Christianis* sub S. Saturnini tempus in ejus Actis leguntur, tam belle procedere, si primo ipse seculo vixit, quam ægre ac difficulter, si tertio.

6. Venio ad postulatum tertium, quod hujusmodi est: Videntur dux, tres, aut plures etiam notæ temporis librariorum imperitia coacervatæ fuisse in Ruinartii textu. Reddo iterum ejus verba: *Ante annos L. sicut actis publicis, id est, Decio, et Grato Coss. sicut fidei recordatione retinetur. Post verba actis publicis deest certe aliquid, ut nemo non videt, et tum hic defectus, tum inepta repetitio sicut... sicut, nec non formula expositiva, id est, indicio sunt, coniecisse librarios in textum, quod in margine fortasse notatum erat, vel in aliis codicibus legebatur. Dubito etiam vehementer, an voluerit, vel potuerit scriptor pro confirmanda narratione sua allegare acta publica, quæ in tumultuaria nece, qualis S. Saturnini fuit, confecta fuisse non credo. Ad hæc si scriptor habuisset, allegassetque jam Acta publica, cur fidem narrationi suæ conciliare satagit a fidei recordatione hominum? Mitto variantes lectiones supra ex Ruinartio relatas; et tum hanc de Actis publicis, tum notam alteram de transactis quinquaginta annis ab adventu Saturnini ad tempus conscriptæ passionis ejus, neque apud S. Gregorium Turonensem, neque apud ullum codicem, uno dempto Fossatensi, haberi; inferoque ex iis omnibus, non esse usque adeo certas et exploratas in S. Saturnini Actis notas temporis, ut clausis oculis admittere ipsas cogamur. Et vero si Tillemontio licuit tom. 3. monum. eccles. in vita S. Saturnini, neglecta nota ea de annis quinquaginta, asserere, scripta hæc Acta fuisse seculo quinto propter factam in ipsis mentionem de S. Exuperio, qui Tolosanam Ecclesiam sub initium hujus seculi rexit: si licuit P. Byæo Bollandiano Socio tom. 4. Octob. pag. 876. in vita S. Dionysii Paris. Ep. consignare eadem anno circiter 300., quia tunc complebantur quinquaginta anni, qui a De-*

cio

cio et Grato Coss. transacti dicuntur in recitatis verbis; nobis etiam, opinor, licebit dubitare sine grandi piaculo de epocha Decii et Grati propter adductas modo rationes.

7. Ipse Tillemontius, qui scriptorem passionis S. Saturnini exquisitis laudibus ornat, quique vult, ad indicatam ab eo notam Consulatus Decii, et Grati tanquam ad amussim adaptari traditiones plerarumque Ecclesiarum Galliæ, confirmat quodammodo nostram dubitationem, cum quinto illum seculo scripsisse dicit. Cur enim indubitatam fidem habebimus anonymo homini, de re gesta ante aliquot secula scribenti ex fidei, si superis placet, recordatione? Cur non timebimus, ne non usquequaque fidelis esset hujusmodi recordatio eo præsertim tempore? Quippe Narbonensis Episcopus, cujus metropolitico juri Tolosana Ecclesia suberat, gravissimam tunc litem agebat cum Arelatensi, subjicere illam sibi omnimodis volenti propter reverentiam S. Trophimi, a Petro Apostolo missi, et in ceteras Galliarum Provincias Evangelicum semen ab Arelate diffundentis. Cum autem antiqua traditio fuerit, ut Tillemontius fatetur, advenisse una cum Trophimo Saturninum, atque alios Episcopos quinque, valde intererat Narbonensis Provinciæ, ubi scriptor passionis S. Saturnini verisimiliter erat, ne præfati Sancti ab Apostolo Petro missi haberentur. Non equidem novi, ejusmodi quidquam adductum in medium tunc fuisse: id tamen scio, multa in diuturna illa lite peccata fuisse, et Romanos ipsos Pontifices deceptos non semel fuisse, ut latius deinde dicemus. Sed Tillemontius quinto seculo locans auctorem, S. Exuperii, quinto seculo florentis, mentionem ingerentem, gravi sese ratione defendit, neque ipsum ego hinc reprehenderim; sed potius quod adeo mordicus teneat unam ex indicatis notis, scilicet Consulatum Decii et Grati, ut ne verbo quidem indicet alteram de quinquaginta annis, qui solum fluxerant ab adventu S. Saturnini ad ejusdem scriptionem martyrii. An timuit, ne admoniti lectores de falsa, ut ipse putabat, nota una temporis, dubitarent etiam de altera?

8. Laudatus Byzus contrariam Tillemontio sententiam defendens, bona fide fatetur difficultatem, quæ ex laudato in Actis S. Exuperio ipsum premit. Verumtamen animadvertit,

tit, in uno codice, a Ruinartio indicato, apponi post narratum S. Saturnini martyrium clausulam hanc: *Gratias Deo omnipotenti, qui coronavit martyrem suum in pace, cui est honor et gloria in secula seculorum amen*: deinde sub titulo *De ejus translatione, in diebus illis mansit aliquandiu &c.*: atque in hac secunda parte de S. Exuperio mentionem fieri. Hinc igitur colligit, Acta, quæ nunc habemus, a duobus scripta fuisse, uno quidem posteriori solis quinquaginta annis Saturnino Tolosam ingrediente, altero etiam Sancto Exuperio recentiori. Neque vero, addit Byzus, valde refert, quod indicata clausula, et titulus *de translatione* in uno solo codice, ipsoque non antiquissimo, legatur; nam par est, inquit, octo alios à Ruinartio laudatos hac vice uni cedere. Non displicet mihi animadversio Byxi, tum quod Florentiæ in Riccardiana Bibliotheca Actorum S. Saturnini codicem viderim nihil de translatione habentem, ut pluribus deinde narabo; tum quod in alio a Gulielmo Catelo *Histoire des Conques de Tolose lib. 2. cap. 3.* laudato, post narrationem martyrii hic titulus legatur: *De translatione, seu inventione corporis sanctissimi Martyris Saturnini Tolosæ Episcopi*: atque ita incipit: *Gregorius Turonis Archiepiscopus refert de inventione et translatione corporis S. Saturnini Martyris, et Tolosæ urbis Episcopi, ut sequitur*. Quæ autem narratio subjicitur, eadem fere est, teste laudato Catelo, cum Suriana, et vulgata. Quidquid ergo interim sit de scripta per Gregorium Turonensem translationis historia, Byxi animadversionem de duabus Actorum partibus exposita modo argumenta valde confirmant. An vero æque probanda sit nota hæc temporis ante annos quinquaginta, ex qua Byzus conjectandi occasionem accepit, valde dubito propter allegatas num. 6. rationes.

## CAPUT II.

*Argumenta, quibus recentiores critici confirmant epocham Consulatus Decii, et Grati. qua in vulgatis S. Saturnini Actis legitur.*

9. Satis, ni fallor, ostendit, interpolationis suspectam reddi ab ipsismet Actis epocham consulatus Decii, et Grati, quæ in eis legitur. Dicendum nunc est de argumentis, quibus recentiores eandem fulciunt. Allegant pro ea S. Gregorium Turonensem, qui lib. 1. cap. 30. aliàs 28. *Historia Francorum* sic ait: *Hujus (scilicet Decii Imperatoris) tempore septem viri Episcopi ordinati ad prædicandum in Gallias missi sunt, sicut historia passionis S. Martyris Saturnini denarrat. Ait enim sub Decio et Grato Coss. (id est anno 250.) sicut fidei recordatione retinetur, primum, ac summum Tolosana civitas S. Saturninum habere cœperat Sacerdotem. Hi ergo missi sunt Turonicis Gationus Episcopus, Arelatensibus Trophimus Episcopus, Parisiacis Dionysius Episcopus, Arvernus Austremonius Episcopus, Lemovicis Martialis est destinatus Episcopus. Hæc ibi Gregorius, qui tamen *De gloria Martyrum* postea scribens, cap. 48. ait: *Saturninus vero Martyr, ut ferunt, ab Apostolorum Discipulis ordinatus, in urbem Tolosatium est directus. Ergo hic retractavit, quod in Historia Franc. scripserat, vel ita probabilem utramque opinionem putavit, ut veritus non sit, tum unam, tum alteram amplecti. Dixi, scripsisse Gregorium *De gloria Martyrum* post confectam *Historiam Francorum*; nam Launojo contra putanti, idque in lucro ponenti, P. Franciscus Pagius ita respondit num. XXV. *Dissertationis Historico-Criticae de S. Dionysio Paris. Episc.*, ut deseruisse opinionem illius, ut ut sibi faventem, adversarii nostri videantur.**

10. Verum iidem respondent, standum potius Gregorio, narrationem suam ex Actis S. Saturnini sinceris confirmanti, quam eidem dubitanter scribenti, et incertos rumores alleganti. Non equidem nego, habuisse Gregorium præ oculis, dum *Francorum* scribebat *Historiam*, sincera Acta S.

Saturnini, quæ nunc etiam habemus; eadem enim utrobique sunt aliquot verba, esto indicium hoc sit incertum, tum quod in Actis ejusdem Sancti, quæ apocrypha creduntur, tantumdem videre licet, tum quod nonnulla, quasi ex Actis desumpta, refert Gregorius, quæ in Surii, et Ruinartii Actis non inveniuntur. Sed concedamus, habuisse tunc Gregorium eadem Acta, quæ nos habemus: restat tamen probandum, hæc ipsa, ante duo vel tria secula confecta, incorrupta omnino perseverasse Gregorii ætate. Nec vero desinerent esse sincera, si chronologicus forte quis error interim irrepsisset in ea; aut etiam si primus Auctor ita peccasset; hujusmodi enim scriptorum sinceritas ex longe aliis, ac gravioribus capitibusprehenditur. Potuit ergo Gregorius, tum *Historiam Francorum*, tum *De gloria Martyrum* scribens, sincera Acta habere, tametsi exemplaria in designando tempore discrepant. Parum vero refert, quod *Saturninum* ab *Apostolorum Discipulis ordinatum*, Gregorius dicens, non Acta ipsius, sed vulgarem opinionem adducit. Etenim si opinio passim recepta hæc erat, admissa verisimiliter eadem fuit in aliquibus Actorum exemplaribus; est enim indifferens formula *ut fertur*, quæ tam voce, quam scripto relatam rem indicare potest. Vel dicito, nequivisse laudare Acta Gregorium pro traditione, seu opinione, quæ, tametsi Actorum testimonio destituta, ejusmodi tamen Sancto Viro visa fuit, quam, deserta priori sententia, prudenter admitteret.

II. Alio etiam modo ad testimonium Gregorii in libro *De gloria Martyrum* recentiores critici respondent: nimirum per *Apostolorum Discipulos* intellexisse eos, qui tribus primis Ecclesiæ seculis Apostolis successere, et in primis Romanos illorum temporum Pontifices. Obscurum utique, atque confusum esse hunc modum loquendi, Tillemontius *tom. 4. not. 2. ad Vitam S. Dionysii* fatetur, sed tamen a S. Gregorio Turonensi non alienum, qui incuriosus in verbis, et in mentis conceptibus confusus fuit. Non equidem intelligo, cur omnimodis trahere in suas partes recentiores volunt scriptorem ejusmodi. Neque item video, quid iidem dicturi sint, si indicare quidem Gregorium, concedam, Acta S. Saturnini constituere hujus adventum sub Decio et Grato Coss.; attamen

in-

incuriosum scriptorem non id invenisse in Actis, uti certe in his non invenit, quod de sex aliis Episcopis ibidem refert ex testimonio, ut videtur, Actorum S. Saturnini. Si autem dixeris, non addidisse de suo Gregorium epocham Decii et Grati Coss., quandoquidem eadem hodieque legitur in Actis sinceris S. Saturnini: respondebo, implicatum loquendi modum Gregorii exscriptores Actorum S. Saturnini decepisse, qui habendam ei fidem putantes, addiderunt inter describendum præfatam epocham. Sed apage responsiones minus pias. Vera itaque responsio est, quam ut minus probabilem citato loco Tillemontius affert, fuisse videlicet Gregorii Turonensis ætate opiniones duas de tempore, quo S. Saturninus Tolosam ingressus est, quarum illam, quæ Decio et Grato Coss. id evenisse volebat, Gregorius, *Francorum Historiam* conscribens, sequutus fuit; verum idem mox agens *De gloria Martyrum*, alteram, quæ *ordinatum ab Apostolorum Discipulis Saturninum* dicebat, amplectendam sibi putavit. Neque cavilleris, quasi pro prima laudet Gregorius Acta, et de altera dicat *ut fertur*; nam si Gregorius, qui rem propius videbat, majorem, quam Actis, haberi fidem communi opinioni tandem voluit, id utique fuerit, quia discrepabant invicem Actorum exempla, vel quia corrupta hæc ipsa credidit. Ex dictis infero, tam longe abesse S. Gregorium Turonensem a confirmanda vulgata lectione *Actorum S. Saturnini*, ut incommodet ei magis.

12. Alterum sententiæ suæ argumentum recentiores critici petunt ex Sulpicio Severo, qui enumerans *lib. sec. Hist. sac.* persecutiones Ecclesiæ sic ait: *Sub Aurelio deinde Antonini filio persecutio quinta agitata. Ac tum primum intra Gallias martyria visa, serius trans Alpes Dei religione suscepta.* Imperavit Marcus Aurelius ab an. 161 ad 180, Galliarumque Martyres, de quibus Sulpicius Severus, Lugduni passi sunt an. 177; martyrium itaque S. Saturnini statui ante hoc tempus nequit, neque item ipsius, vel aliorum prædicatorum adventus ante an. 138, quo Hadrianus, cui quartam Sulpicius persecutionem attribuit, mortuus est. Ex his clare intelligitur, advenisse S. Saturninum Decio et Grato Coss., ut in ejus Actis legitur; etenim unice dubitatur, sub Apostolorum ne tempus, an imperante Decio venerit. Ut autem

B

ar-

argumento vim addant, auctoritatem Sulpicii extollunt, Sancti nimirum, disertique Historici, qui an. 400. in Galliis, ubi natus fuerat, scripsit de re ad Gallias pertinente.

13. Hoc argumentum ad quæstionem de propagati Evangelii modo, quam sequentibus libris examinabimus, proprius pertinet: hic de S. Saturnino solum agimus; itaque satis erit probare, licere nobis per Sulpicium Severum, primo seculo eum locare. Tillemontius, Bollandiani, et ceteri, qui S. Saturninum ad tertium seculum trahunt, non inviti fatentur, Sulpicii verba stricte suscipienda non esse, quandoquidem valde probabile est, Apostolorum Discipulos, imo aliquos ex ipsis Apostolis apud Gallos prædicasse. Fatentur etiam, Narbonensem provinciam, utpote Italix finitimam, primam, vel inter primas fuisse ad suscipiendum Evangelii lumen. Cum ergo Tolosa, cujus primus Episcopus Saturninus, præfatæ provincix urbs nobilis esset, non modo nihil obstat, quominus primo seculo S. Saturninum locemus, sed ad id etiam faciendum cogi videmur, ne usque ad medium tertii seculi inauditum fuisse in ejusmodi urbe Evangelium credatur. Et quoniam adversarii nobis concedunt, licere credi per Sulpicium Severum, fuisse in Galliis jam inde ab Apostolorum ætate Ecclesias nonnullas, pauculosque Christianos, ecce tibi Gallicanæ Ecclesiæ status sub S. Saturnini adventum, qualis in hujus Actis describitur. Ad hæc non arbitror, ita morosos fore criticos, ut in provinciis, quæ Christianos nonnullos, et Christianorum persecutores habebant, martyrem ullum fuisse negent, qui in aliqua ex quatuor persecutionibus, quæ ante Marcum Aurelium fuerunt, passus sit. Sed fac, neminem unum fuisse: nec sic contrarius est Sulpicius præcedenti S. Saturnini martyrio, quippe ille de famigeratis Romanorum Imperatorum persecutionibus solum agit; Saturninus vero non in harum aliqua, sed in repentina gentilium seditione martyrium fecit. Affatim hæc probant, opinor, exiguum causæ suæ præsidium, quod in Sulpicio Severo habent, qui S. Saturninum ad Imperatoris Decii tempus referunt. Alia, quæ de Sulpicio dici possent, in opportuniorem locum reservo.

14. Nescio, an aliquis confirmare velit prædicationem  
S. Sa-

S. Saturnini sub Decii imperium ex Martyrologiis aliquot, Vitisque quorumdam Sanctorum, quæ id testantur expresse, vel tacite ( ut cum in Diocletiani tempus S. Firminum conjiciunt. ) Sed non credo, hujusmodi argumentum ab eruditibus inculcandum, qui probe norunt, paria sibi reddi posse in hoc genere, quandoquidem opinio, quæ S. Saturninum in Apostolicum ævum refert, ab octavo ad decimum sextum seculum vulgo recepta fuit. Ego etiam ista non inculcabo, nam res adeo antiqua testimoniis seculo septimo posterioribus definiri ægre potest. Indicabo itaque solum ex. ca. duas S. Dionysii Vitas, septimo, vel octavo seculo exaratas, apud Bollandianos tom. 4. Octob. pag. 792, et 926. videndas, ubi advenisse primo seculo Tolosam Saturninus dicitur. Quoniam autem de Martyrologiis meminimus, prætereundum Romanum non est, quod Saturninum sub Decio Imperatore passum refert: sed erratum hic fuisse, adversarii etiam nostri fatentur, qui adventum quidem ad præfati Imperatoris tempora, mortem vero ad posteriora passim referunt.

15. Restat jam, ut dicamus de conjectura, in qua sibi valde complacent recentiores critici. Ajunt igitur, in dubiis de tempore, quo Ecclesiæ particulares ortum habuere, præferendam videri opinionem, quæ stat pro recentiori origine; quippe in sacris æque, atque in secularibus familiis, accidit, ut honoris titulum vetustam originem omnes habeant; ii itaque, qui recentius tempus designant, veritatis amore duci videntur, contra alteri ambitionis præjudicio gravantur. Ita fere est, suspectamque inde fieri nostram sententiam, facile patior. Verumtamen negandum non est, extundi nihil certi pro alterutra parte ex adducta conjectura posse; esto enim ambitiosi potius, quam gloriæ prodigi, homines sint, quotidianis tamen experimentis novimus, honori sibi aliquos ducere, receptas, piæque opiniones fastidire. A duobus maxime seculis ingruere hujusmodi cacoethes dicitur; tametsi ab ea immunes antiquiores omnes non puto; scriptor certe, vel descriptor Actorum, cæteroqui sincerorum, S. Symphoriani passum hunc fuisse dicit sub Aureliano, esto ante centum annos sub Marco Aurelio, ut Ruinartius, Bollandiani, et Tillemontius ajunt, passus fuerit. Sincera etiam S. Pionis Acta creduntur, quem

in persecutione Marci Aurelii paulo post S. Polycarpum martyrium fecisse, Eusebius refert lib. 4 Hist. cap. 15, et tamen Actorum scriptor sub Decio, id est, octoginta circiter annis post, occisum S. Pionem dicit.

16. Sed nihil interest, erraverintne aliqui antiqui novitatis amore, humanave imbecillitate; etenim mihi satis in præsens est, debuisse ipsos in tempora antiquiora Sanctos nonnullos conjicere. Unde infero, criticorum conjecturali argumento cautos nos quidem reddi oportere, non vero certos, atque securos. Ad hæc præsens quæstio sub duplici, ut ita dicam, aspectu considerari, definirique valet, comparando videlicet testes, qui primo, tertiove seculo Saturninum floruisse dicunt; et ponderando Actorum ipsius integram narrationem: primo quidem modo locum, quem dedimus, exposita conjectura habet; altero autem, quo præcedenti capite maxime usi sumus, nullum, ubi consistat, locum invenit. Quid, quod negari posset, uno dumtaxat veritatis amore illos duci, qui Ecclesiarum origines recentiores promunt? Nempe Narbonensis provinciæ populorum, quibus S. Saturnini gloria unice cara esse debuisset, intererat valde quarto, et quinto seculo, quando Sancti hujus Acta conscripta fuisse videntur, ne idem una cum Arelatensi Trophimo missus a Petro Apostolo crederetur, ut num. 7. dixi. Quis igitur certos nos reddit, litigatores haud admodum religiosos apparentem gloriam non prætulisse veræ? Hæc omnia satis probant, criticorum conjecturam ineptam esse, ut ætatem S. Saturnini ab ea deprehendamus. Cum autem a Surio, atque Ruinartio vulgata Acta, cumque S. Gregorii Turonensis, et Sulpicii Severi testimonia æque inepta esse probaverimus, concludere nobis licet, adventum S. Saturnini sub Decio, et Grato Coss. posse fortasse videri probabilem, certum exploratumque non item.

17. Verum criticis recentioribus parum hoc est, qui opinionationem suam certam habentes, volunt præterea, ut ad ea, quæ de exiguo Ecclesiarum, et Christianorum numero a Saturnino in Galliis invento, Acta ipsius referunt, antiquorum Patrum, de Evangelii propagatione disserentium, testimonia componantur. Scilicet non eis sufficit antecedens incertum po-

ponere, si non etiam falsam consequentiam trahant. Nam fac, scriptorem Actorum conjecisse Saturninum in Decii tempora; fac, optima id fecisse ratione; vel sic errare facile potuit in iis, quæ de statu dixit, quo Gallicana Ecclesia sub medium tertii seculi erat; anonymi certe scriptoris auctoritas, qui vetustam historiam *ex fidei recordatione* narrat, comparanda, multo minus præferenda non fuerat oculatis sanctissimis testibus. Stet ergo, quod duobus his capitibus probandum sumpsit, non posse vulgatis hactenus Actis definiri certo tempus, quo S. Saturninus vixit; ac multo minus intelligi posse modum, quo Evangelium propagatum fuit, ex paucis Ecclesiis, et Christianis, qui S. Saturnini tempore in Galliis erant, ut in ejus Actis dicitur.

### CAPUT III.

*Argumenta, quibus antiqui induci potuerunt, ut S. Saturninum primo seculo collocarent.*

18. **F**acile, ni fallor, mihi dabitur, floruisse S. Saturninum primo seculo, si non floruit tertio. Sed proderit, ut quemadmodum argumenta perpendimus, quibus critici recentiores inducti, Decio, et Grato Coss. advenisse illum, dixerunt, sic nunc antiquorum altera, quæ ab octavo ad seculum sextumdecimum gravia visa sunt, perquiramus. Crediderim, plures secutos cæce fuisse quædam S. Saturnini Acta, quæ ipsum S. Joannis Baptistæ, Jesu Christique discipulum faciunt. Sed apocrypha ea non immerito habentur; nam ut missa illa faciam, quæ sine ulla verisimilitudine, et fundamento de regia ejus origine dicunt, non fit credibile, tam illustres prærogativas indicandas non fuisse ab scriptore sincerorum Actorum, neque a Sidonio Apollinare, Fortunato, Gregorio Turonensi, et iis, qui Mozarabum, Gothicumve Officium condiderunt. Si in luto margaritæ quærendæ essent, crederem, conficta hæc fuisse, arrepta occasione ab antiqua traditione de Saturnini adventu sub Apostolorum tempus, et a modo, quo legitima ejus Acta loquuntur; nam si obsisterent



rent hæc potius commentis illis, nemo, puto, tam impudenter mentiri voluisset. Sed ommittamus ista, et ad meliora veniamus.

19. Ejusmodi sunt argumenta quatuor numm. 4, 5, 6, et 9. proposita, de quibus sermo redibit, ac potissimum de secundo, quod utpote gravissimum, et operis hujus materies, duos libros sequentes sibi vendicat. Æque efficacia reputo tria alia, quæ ex S. Firmini Actis capite VII. proponuntur. Neque absimilia ea videbuntur, quæ in aliquibus annotationibus ad *Acta Riccardiana* deinceps edenda inveniuntur. Non equidem despero, lectis jam omnibus, fassurum esse lectorem, non fuisse apocrypha Acta, quæ plerosque omnes antiquos maxime persuaserunt, vixisse S. Saturninum primo seculo; imo potius dicturum confido, communem hanc persuasionem hominum confingendis illis occasionem præbuisse. Ut autem exemplo aliquo id modo confirmem, de testimonio hominis, qui ante vulgata fabulosa Acta scribebat, præsentis capite dicam.

20. Extrat in Cassanatensi Romanorum Patrum Dominicanorum Bibliotheca seculo nono, vel non multo post, exaratus codex, nonnulla opuscula continens, et maxime acephalum unum *contra Arianos*, quod Patri Mamachio lib. 2. *Origin. et antiquit. Christian.* cap. 22. §. 1. ad septimum, vel etiam sextum, quantumve securum posse referti visum est. Anonymus hujus operis Auctor, ut Catholicæ doctrinæ veritatem demonstrat, ait, eadem, quæ Apostoli, atque horum Discipuli per universum mundum prædicavere, doceri adhuc, et credi in Ecclesiis Orientis, Ægypti, Asiæ, Italiæ, et Galliarum. Tum de his ultimis agens, sic inquit: *In Gallis etiam civitas Arelatensis Discipulum Apostolorum S. Trophimum habuit fundatorem; Narbonensis S. Paulum, Tolosana S. Saturninum; Vassensis S. Daphnum. Per istos enim quatuor Apostolorum Discipulos in universa Gallia ita sunt Ecclesia constituta, ut eas per tot annorum spatia nunquam permiserit Christus, ab adversariis occupari.* Habes hic testimonium Auctoris, qui antiquior potius, quam recentior Gregorio Turonensi credi potest propter materiam, de qua agit, et propter modum argumentandi. Unum vero est, quod nonnihil

incom-

incommodat huic anonymo; etenim Daphnum Vassensem, qui Arelatensi Concilio an. 314 interfuit, Apostolorum Discipulum dicit. Sed responderi potest, incertas haberi præfati Concilii subscriptiones; vel Vassenses duos Episcopos Daphnos fuisse; aut denique non reddi eum, qui semel erravit, indignum fide in ceteris. Atque hoc modo respondent multi ex adversariis, cum de Gregorio Turonensi agunt, qui in *Historia Francorum* sub Decio advenisse dicitur tum S. Trophimum, tum S. Saturninum cum aliis quinque Episcopis; volunt nimirum ipsi, ut Gregorii auctoritas in his valeat, secus vero in illo, quem separandum a reliquis, et in primum seculum amandandum, satis communiter asserunt.

21. Admonitum vero lectorem volo, P. Mamachium, Anonymi verba exscribentem, pro *Per istos enim quatuor habere Parisiensis quatuor*, moxque addere, nescire se, quoniam sint quatuor ii Apostolorum Discipuli, Parisiensis Ecclesiæ Fundatores. Dicerem nihil hæsitans, esse Dionysium, Rusticum, Eleutherium, et Lucianum missos in Gallias a S. Clemente Papa, ut in Actis S. Dionysii Areopagitæ, quæ Bollandiani ad diem 9. Octob. afferunt, dicitur, si non certior fierem oculato testimonio amicorum duorum, in legendis Mss. codicibus diu versatorum, Cassanatensis codicis verba esse, quæ numero præcedenti exscripsi: et quidem negari nequit, deesse sensum orationi, si pro *Per istos enim* cum Mamachio *Parisensis* legatur.

22. Si certo constaret, scriptorem Actorum S. Saturnini alligasse hujus adventum Consulatu Decii et Grati, possemus anonymum Cassanatensem opponere Tillemontio, existimanti, S. Saturnini Acta post S. Exuperium, Tolosæ quinto seculo Episcopum, conscripta fuisse; nam hoc tempore, vel certe non multo post scripsisse *contra Arianos* anonymum, intelligi licet ex inutilitate hujusmodi argumenti tractandi post abolitam in Occidente seculo sexto Arianam hæresim. Verum incertum valde esse illud primum, jam vidimus; et Tillemontius deceptus in altero fuit, quia duos esse Actorum S. Saturnini auctores, priorem unum, alterum S. Exuperio posteriorem, non animadvertit. Concedi itaque potest, antiquiorem, quam Cassanatensem anonymum, Actorum S. Saturnini

scri-

scriptorem esse; sed non propterea incertissimum ejus assertum alterius gravi, et certo præferendum est.

#### CAPUT IV.

*De Actis SS. Saturnini, et Firmini recens detectis.*

23. **H**actenus vindicavi antiquorum communem sententiam, pro certo ponens, exempla omnia legitimorum Actorum S. Saturnini consignare hujus adventum consulatu Decii, et Grati; quippe nullum contra exemplum laudari video. At vero estne id exploratum et certum? An plures sunt, qui de Actorum sinceritate ex adjecta epocha judicant, et absque novo examine, quæ primo seculo Saturninum statuunt, apocrypha censent? Non credo, perversa hac crisi usum fuisse prudentem Ruinartium, qui de nonnullis Actis sinceris disserens, cubare mendum in epocha eorundem, dicit: quare non dubito, quin, si codicem quem invenisset Actorum, cetero qui sincerorum, qui Saturninum primo seculo statueret, monitos de eo lectores voluisset. Sed quod diligenti codicum exploratori non contigit, invenire id licuit Florentiæ in Riccardiana Bibliotheca peramico meo socio D. Rocho Menchacæ, qui mecum eodem redire gravatus non est, ut una exscriberemus S. Saturnini Acta, et ex ceteris contentis in codice certius de ipsis judicaretur. Sciendum itaque est, nonnullis abhinc annis in præfatam Bibliothecam illatos fuisse aliquot Mss. codices, qui latebant ignoti in sacro Virginum Monasterio, non longe a Florentia distante, quod *S. Marta de Monte Ugone* dicitur, ut Joannes Lamius, ejusdem Bibliothecæ famigeratus Præfectus, sæpius in suis Operibus refert. Qui inter hos codices notatur N. 223. liber est *Sanctoralis*, seu *Passionalis* in folio magno, et pergameno, pro alicujus Ecclesiæ choro, ut ex libri mole, litterarumque venustate colligi licet, dispositus. Continet is Vitas Sanctorum per totum circulum anni, et in ea, quæ de S. Saturnino postremo loco extat, sincera ipsius Acta describuntur; cum hac tamen pro re nostra notabili varietate, quod ubi Codices Surii, et Ruinartii ad-

advenisse S. Saturninum Tolosam *Decio et Grato Coss.* dicunt, Ricardianus ait sub *Claudio Gaji Caligula successore*, id est, circiter duo secula ante Decium et Gratum Coss. Duos alios codices in eadem civitate videre licuit, unum in perinsigni Laurentiana Bibliotheca, qui *Strozziانو-mediceus IV.* notatur; alterum in Servorum B. V. Mariæ Conventu; breve quidem, sed satis concinnum compendium Actorum sincerorum S. Saturnini ambo exhibent, in eo tamen ab Actis Ruinartii discrepant, quod ab *Apostolorum Discipulis ordinatus S. Saturnus* in ipsis dicitur. Cessat itaque difficultas præcipua, quæ ex codicum consensione videbatur moveri posse contra antiquorum sententiam. Sed quoniam ex Riccardiano codice S. Saturnini Acta daturus mox sum, proderit prius examinare ipsius auctoritatem et pretium.

24. Tum præfatus codex, tum ceteri e Monasterio *S. Martha de Monte Ugone* adducti, adscribuntur seculo decimo in Riccardiana Bibliotheca; neque immerito, modo id non accipiatur ( ut ejusmodi accipienda non sunt ) scrupulosius. Qualicumque huic codicis antiquitati commendatio major accedit a primitivo exemplari, unde exscriptus fuit; omnium enim Sanctorum, qui in ea collectione habentur, recentissimus est S. Gregorius Papa, anno 604. mortuus. Quapropter prudenter credi potest, seculo septimo, vel non multo post, adornatam fuisse hujusmodi collectionem; nam plurimi sanctitate, et rerum gestarum gloria insignes Viri seculis septimo, octavo, et nono floruerunt, qui præmissi omnino non fuissent in recentiori collectione. Quamvis autem hæc conjectura, a criticis passim admissa, ulteriori confirmatione non egeat, addere tamen volo, ex Sanctis, quorum Vita leguntur in hac collectione, inferri posse, dispositam eam fuisse in Hetruria, et quidem pro Lucensi Ecclesia. Cum ergo S. Richardus, Anglorum Rex vulgò dictus, et anno 721., ut Pagius probat, Lucæ mortuus, non extet in hac collectione, confectam jam tum ipsam fuisse, intelligi licet. Esto igitur Fossatensis codex a Ruinartio laudatus pro adventu S. Saturnini sub Decio et Grato Coss., antiquior sit Riccardiano unum vel alterum seculum, hic tamen desumptus fuit ab alio, qui parili, vel majori annorum numero Fossatensem vicerit.

25. Tametsi Riccardiani codicis laus præcipua non est, quod antiquissimus omnium haberi quodammodo possit; principalis namque prærogativa ejus petenda est ab exemplari Actorum S. Saturnini, quo Collector Vitarum Sanctorum, in præfato codice contentarum, usus est. Dixi capite primo, ex facta in Surii et Ruinartii codicibus mentione S. Exuperii, Tolosani sub quinti seculi initium Episcopi, intulisse Tillemontium, juniorem hoc Sancto fuisse scriptorem passionis S. Saturnini, repugnare vero Ruinartium, et Bollandianos, qui inter Auctores duos Acta partiuntur, antiquiorem unum S. Exuperio, alterum recentiorem. Horum sententiam confirmat Riccardianus codex, ubi secunda pars deest, esto breviandi studio, vel chartæ defectui, ut nonnunquam evenit, id tribui nequeat; nam post S. Saturnini passionem, quam ultimam in Riccardiano codice esse jam monui, vacua charta, in qua secunda pars scribi posset, remanet; et tam longe aberat a breviandi studio, qui ipsam adornavit, ut non modo de verbo ad verbum exscripserit sincera ac primigenia Acta Sancti Saturnini, sed inseruerit etiam iis altera S. Firmini, ut mox videbimus. Quapropter dicendum est, Collectorem Vitarum Riccardiani codicis antiquissimum plane exemplum, atque eo tempore adornatum, quo nondum S. Saturnini corpus translatum fuerat, præ oculis habuisse. Hinc autem legitima consequentia colligitur, majorem ipsi, quam ceteris, fidem habendam in iis, quæ ait de tempore, quo S. Saturninus Tolosam advenit. Id certe negare critici nequeunt, qui ejusmodi argumentandi modo passim utuntur.

26. Quamvis autem confirmanda non sit testimoniis res obvia, et perspicua, afferam tamen duo ex Bollandianis, quorum integrum *Commentarium de S. Firmino* Episcopo, et Martyre postea editurus sum. Agunt ii S. i. num. 4. cit. *Comment.* de tempore, quo S. Firmini Vita scripta fuit, et ex omissa in ea inventionis corporis relatione, *lucubenter erui* ajunt, scriptam fuisse ante inventionem. Jidem die sexta Octob. de S. Fide V. et M. agentes, contendunt num. 4. *Commentarii prævii*, inter diversa S. Fidis Acta, quæ typis edita, vel manuscripta habentur, antiquiora et fide digniora esse, quæ ab ipsis eduntur; id autem ita probant: *Cum in his, ut*

per-

*pervolventi patebit, nulla de facta (seculo quinto) a S. Dulcideo S. Fidis translatione, nulla de exstructa ei Ecclesia mentio fiat, quæ tamen hujusmodi sunt, ut a biographo his juniore, uti ex Surianis, Labbeanis, ceterisque his affinis Mss. liquet, commemoranda fuissent, facit hoc Actorum nostrorum silentium, tum ut ea ante ejusdem Dulcidi tempora conscripta fuisse, non temere censi queant, tum certe ut adversariorum (Auctores historiarum litterarum Franciæ, Tillemontius, et Bailletus hi sunt) corrumpat fundamentum, quo universim juniorem Actorum ætatem stabilierunt.*

27. Vix poterat aut similius excogitari exemplum, aut afferri brevior argumentatio, qua asserta nostra omnia comprobarentur; nam si pro SS. Dulcideo, et Fide SS. Exuperium, et Saturninum, si pro *Labbeanis Ruinartiana* substituas, poteris Bollandianorum ipsissimis verbis concludere, Riccardiana S. Saturnini Acta Surianis, Ruinartianis, et ceteris præferenda esse: poteris fundamentum Tillemontii diruere, et ante S. Exuperium scripta ea dicere: poteris demum tutò credere, criticorum opinionem communem de S. Saturnini adventu sub Decio et Grato Coss. recentioribus Actorum exemplis niti, et deserendam, antiquioribus jam inventis, eam esse, Sanctumque Saturninum in primum seculum postliminio restituendum.

28. Sed quæret aliquis, quo pacto sincera habenda sint Acta, quibus altera S. Firmini, criticorum judicio viliora, admixta sunt? Responderi posset, venia dignum videri scriptorem Riccardianorum Actorum, qui gestorum S. Saturnini plenioram notitiam dare cupiens, ad Sancti Firmini Acta, quæ uberem ipsi materiam præbebant, recurrere debuit. Neque vero admodum refert, viliora hæc haberi; nam gravia certe, antiqua, et satis diserta a criticis censentur. Potuit etiam S. Saturnini Biographus ad manum habere Sancti unius Acta sincera, et alterius minus legitima. Verum non egemus responsionibus hujusmodi, quandoquidem Riccardianorum Actorum laus nova est, quod desunt in ipsis omnia, quæ in Actis S. Firmini, a Bosqueto Bollandianisque editis, difficultatem creant, possuntque jam nunc S. Firmini Acta, quæ daturi hic sumus, inter sincera recenseri.

29. Quæri etiam potest, an Riccardiana Acta primigenia sint, et ab uno Auctore proveniant? Neutrum dicendum arbitror; etenim numero II. ita præfatur Auctor: *Ut multorum relatione didicimus, vel etiam quibusdam scriptorum documentis comperimus, pauca de pluribus colligentes, explicare proponimus:* et num. XI. et XIII. citat ea, quæ de S. Firmino scripta legebantur. Puto itaque, studiosum aliquem S. Saturnini, qui ægre ferebat, agi solum de ipsius martyrio in Actis, et indictas relinqui tum Pompelonensem prædicationem, tum SS. Honesti, et Firmini res gestas, quæ in magnam ejusdem Sancti laudem cedebant, scite inseruisse Acta Actis, ac fortasse addidisse etiam aliqua, quæ ex traditione didicerat, ut Saturnini historiam uberiores redderet. Sed quidquid de hoc ultimo sit, non possunt proprie dici *primigenia* Acta serius, atque vulgatis jam Actis, quæ ad litteram exscribuntur, disposita; neque unus eorum Auctor dicendus est, nisi quatenus unus fuit, qui ex duobus opusculis unum fecit.

30. Atqui, mihi dices, si hæc ita sint, non magna Riccardianorum Actorum erit auctoritas. Hoc enimvero omnino nego: habent quippe ipsa Auctorem non modo antiquum, ac prudentem, sed ejusmodi etiam, qui optime viaticus ad scribendum accesserit. Et quidem antiquitas ejus colligitur ex silentio de translatione S. Saturnini anno circiter 400. facta, quam Surii, et Ruinartii Acta referunt; prudentia ex paucitate, opportunitateque verborum, quæ de suo addit; proba demum supellex monumentorum ex sinceris SS. Saturnini, et Firmini Actis, quæ fideliter exscribit: nisi forte magis credendum sit, fidele duntaxat, succosumque compendium de S. Firmino, cujus historia minus pertinebat ad ipsum, nobis dedisse, in quo quidem nihil absonum, nihil creditu difficile est; nam inter absurda, difficultatesque non numero, quod ex Riccardianorum Actorum fide circiter annum Christi centesimum S. Firminus statuendus sit, contra quod in editis a Bosqueto Sancti ejusdem Actis legitur, quorum manifestus est error, ut deinceps videbimus.

## CAPUT V.

*De Auctoritate epochæ, quam Riccardiana Acta S. Saturnino assignant.*

31. **A**lia multa addenda hic forent, sed ea in notas ad Acta reservo. Unum vero est, quod vacuo animo examinandum est in præsentem, an scilicet quæ de adventu S. Saturnini sub *Claudio Gaji Caligula Successore* Riccardiana Acta dicunt num. II. paræ cum ceteris auctoritatis sint. Ratio dubitandi est diversum longe tempus, quod in pluribus Actorum exemplis, ceteroqui sinceris, legitur: ad hæc Riccardiani codicis verba interpolationem sapere, nonnulla, quibus Surii, et Ruinartii textum interpolatione suspectum num. 6. fecimus, æque probant; deest enim in illo verbum aliquod ex *ca. sub*, vel *imperante*, ante *Claudio Gaji Galigula successore*, extat quoque declaratoria formula *id est*, quam marginalem videri citato loco diximus, videsis infra integrum textum. Adductæ rationes graves profecto sunt, quare non puto, Riccardiani codicis epocham æqualis cum ceteris auctoritatis esse; quin potius ad credendum propendo, primum scriptorem Actorum non designasse distinctius adventus S. Saturnini tempus, sed generalius dixisse, *ante plures annos, sicut fidei relatione retinetur*. Quia vero indefinitus hic modus loquendi studiosorum S. Saturnini curiositati satis non erat, mox aliquis, qui sciebat, vel certe scire se autumabat, ante quinquaginta annos Saturninum advenisse, hujusmodi notam exemplari suo adjecerit, non animadvertens, æque per eam relinqui obscuram Saturnini ætatem, quando, unde incipiant, ubi desinant quinquaginta illi anni, non dicitur. Tametsi fieri etiam potuit, ut in primitivis Actis advenisse *ante annos quinquaginta* Saturninus diceretur, quod, quia verum consequentibus annis non erat, corrigendum quis crediderit appositis verbis *ante plures annos*. Cum igitur neuter ex his modis satisfacere curiosis posset, definire certius voluisse alii videntur tempus, quo Sanctus advenit; veruntamen facilis definitio non erat, transactis jam multis a Saturnino annis, vel etiam se-

culis; itaque unus imperium Claudii, alter S. Clementis Papæ tempus, tertius denique Consulatum Decii et Grati designavit. Nescio quis horum, vel an aliquis, verum attigerit; verisimilibus tamen omnes ductos rationibus, facile credo: et vero exponere hic ipsas juvat, ut inter diversas opiniones, deprehendi probabilior possit.

32. Qui putabat, advenisse S. Saturninum imperante Claudio, faventia sibi, ut videtur, habebat antiquiora S. Firmini Acta; nam et vulgata a Bosqueto, quæ ex illis desumpta fuisse, deinceps probabimus, *Apostolorum Discipulum* Saturninum appellant. Item habebat pro se traditiones duas Galliarum, primam de misso S. Trophimo in Gallias ab Apostolo Petro; alteram de ejusdem S. Trophimi sociis S. Saturnino, et aliis quinque Episcopis. Habebat postremo Acta ipsa S. Saturnini, quæ, ut num. 4. vidimus, Sanctum hunc ad Apostolorum tempus satis aperte referunt. Hæc Auctorem Riccardianorum Actorum movere potuerunt, ut, imperante Claudio, advenisse S. Saturninum diceret, id est, quando ab Oriente Romam Petrus venit; ab Urbe enim Saturninus transivit in Gallias, ut Fortunatus lib. 2. carmine 9. ait; vel, ut in Missali Gallicano legitur, ab Oriente.

33. Qui missum a S. Clemente Papa S. Saturninum dicebat, fortasse non negabat, sub Claudio Imperatore id evenisse; cum enim is anno circiter octavo imperii sui Hebræos omnes excedere Roma jussisset, Petrus Hierosolymam reversus est, commissa, ut fertur, Romanæ Ecclesiæ vicaria administratione nonnullis ejus Discipulis, quos Successores postea habuit, e quorum numero S. Clemens fuit. Si ergo ultimis imperii Claudii annis Saturninus venit in Gallias, verisimillimum est, a Clemente missum venisse. Sed parum hoc refert; quippe brevi, qui Petri antea fuerat, Jesu Christi Vicarius renunciatus fuit; propterea quæ permovere unum potuere, ut sub Claudio Saturninum venisse crederet, facile alteri persuaserint, sub Clemente Papa id contigisse. Neque hujusmodi opinio sectatoribus multis carere poterat post latine a Rufino conversam ejusdem Clementis epistolam ad Jacobum Fratrem Domini, ubi mittendos a se Clemens ait Evangelii prædicatores in Galliam, Germaniam, Hispaniamque; nam cum

Sa-

Saturninus ex illorum numero semper habitus sit, qui primi Gallos Jesu Christi legem docuerunt, pronum hinc erat, a Clemente missum eundem credere. Neque vero me criticus quispiam Gallus monitum velit de incerta prædictæ epistolæ auctoritate; nam monendi potius tempestive de hoc fuerant Majores sui, qui optima fide credentes, quod bona Rufinus crediderat, Saturninum non modo, sed Dionysium etiam, Lucianum, Eutropium, aliosque a Clemente missos existimarent. Pater Labbe in nota marginali ad prædictam epistolam, quam tomo primo Conciliorum affert, monet, deesse in nonnullis codicibus ultimam ejus partem, ubi verus, personatusve Clemens de mittendis quoquo versus prædicatoribus agit. Sed hinc ad summum infertur, non esse omnino exploratum, epistolam a Rufino e græco latine redditam incrementum dedisse antiquorum Gallorum opinioni, quod quidem parum ad nos rescire pertinet, quandoquidem ex multis Sanctorum Vitis antiquis, et ex Gregorio Turonensi *De gloria Martyrum et Confessorum* cap. 48, 56, 80. certo novimus, præfatam opinionem, seu Rufini, seu aliorum auctoritati innixam, vulgo quondam receptam in Galliis. Licet itaque credere, curiosiores aliquos, qui tempus, quo S. Saturninus floruit, definire volebant, addidisse inter transcribendum ipsius Acta, a Clemente missum, vel quod in idem recidit, ab *Apostolorum Discipulis* ordinatum fuisse. Et hujusmodi quidem Acta præ oculis habuisse videntur Gregorius Turonensis *De gloria Martyrum* scribens, et Auctor compendii eorundem, cujus cap. 4. num. 23. memini.

34. Venio jam ad tertium, qui, Decio et Grato Coss. advenisse Saturninum, credi maluit. Dixi cap. 2. num. 12. ad usque Lugdunenses sub Marco Aurelio Martyres, neminem pro Christo in Galliis occisum, Supplicium Severum dicere, qui seræ trans Alpes Evangelii prædicationi id tribuit. Dixi etiam de diuturnis, animosisque litibus inter Narbonenses, et Arelatenses, quorum illi in lucro facile deputaverint SS. Trophimi, et Saturnini a primo seculo dejectionem. Quare mirum videri non potest, quod ex foederatis animositate, lucro, atque speciosa gravis historici auctoritate opinio orta sit de adventu S. Saturnini sub Decii imperium: et quod scio-  
lus

lus aliquis eam Actis addiderit, cum translationis narratio ipsis addita fuit, vel certe ante scriptam a Gregorio Turonensi Francorum Historiam. Ex hac variarum rationum expositione satis constat, tum omnes aliquam veri speciem secutos fuisse, tum primum, et secundum firmiora quidem, quam tertium, habuisse pro se argumenta; verumtamen non ita gravia, ut verisimilius videri nequeat, primum passionis S. Saturnini auctorem nihil definitum et particulare de tempore, quo Sanctus Tolosam venit, scripsisse. Etenim tam Acta Riccardiana, quam altera Surii, et Ruinartii interpolationem inibi sapiunt, ubi tempus designant: quin, etsi nævus iste desset, definiri ægre posset, ultra fide digniora sint dicenda, illa enim antiquitate vincunt, hæc consonantium codicum numero: utrisque vero opponuntur ea, quæ a Clemente Papa, vel ab Apostolorum Discipulis Saturnini missionem repetunt, quandoquidem fuisse olim, ac delitescere adhuc fortasse alicubi Acta sincera cum ejusmodi epocha, indicio sunt Strozzianno-mediceus, et alter Servorum B. V. Mariæ supra laudati codices.

35. At vero si definiri certo non valet tempus, quo S. Saturninus vixit, ex epocha, quæ in Actorum exemplis legitur; horum tamen loquendi modo, et ceteris argumentis inspectis, longe probabilius, fermeque certum reputo, vixisse primo seculo. Scio, duobus abhinc seculis deserere passim eruditos criticos opinionem hujusmodi; sed imbecilla ipsorum argumenta duobus primis capitibus jam vidimus; et ex codicibus Riccardiano, Strozzianno-mediceo, et tertio Servorum B. V. Mariæ detegitur vitium fundamenti, quo maxime innotuntur, dum sincerorum Actorum exempla omnia constituisse Saturninum sub Decio et Grato Coss. pro certo ponunt. Ergo si Ruinartius, ac Bollandiani ceteros omnes codices nunquam deserunt, ut Fossatensi, seculo nono scripto, recentiorive alii adhæreant, licet, opinor, etiam nobis deserere ipsorum codices, ut tres laudatos sequamur, e quibus unus certe antiquitate vincit omnes ad hanc diem repertos.

36. Prævideo, ægre adductum iri eos, qui sententiam suam velut certam antea venditabant, ut probabiliorum saltem eandem in posterum haberi nolint propter majorem numerum

rum codicum, quos pro se habet. Sed animadvertendum est, extractos hos omnes fuisse ex Ecclesiis, et Monasteriis Franciæ, unde conjicere pronum est, ab uno, vel paucis exemplis universos fluxisse. Gregorii etiam Turonensis auctoritas, S. Saturninum sub Decio et Grato collocantis, et quidem ex fide, ut indicare videtur, Actorum ejus, allicere librarios potuit ad amplectendam hanc epocham. Si Acta S. Saturnini frequentiora essent, inveniretur, puto, non de nihilo esse hujusmodi suspicionem: verum usque adeo rara extra Franciam ea sunt, ut in Laurentiana Florentiæ Bibliotheca (cui habeatne in hoc genere parem Italia, vel alia regio, valde dubito) ne unum quidem extet illorum exemplar. Tantumdem dici posse suspicor de Vaticana, deque celebrioribus Romanis ceteris, esto tanta de his loqui asseveratione non valeam. Propterea non tam mirabimur, sinceram Actorum lectionem majori exemplarium numero non comprobari, quam habere pro ea nos unum, et quidem ita vetustum, ut comportatum in Italiam credi possit ante factam anno circiter 400. per S. Exuperium translationem corporis S. Saturnini; vel certe paulo post S. Gregorium Magnum, quando Riccardianum Sanctorem librum adornatum fuisse diximus. Hujusmodi exemplari, non Surianis modo, Ruinartianisque universis antiquiori, sed Gregorio etiam Turonensi, ac ipso Exuperio, addere possumus Strozzianno-mediceum, et alterum Servorum B. V. Mariæ, quæ nullo nævo inquinatum Compendium Actorum S. Saturnini exhibent. Ex Italis his tribus codicibus intelligi satis potest, non inaniter suspicatos nos fuisse, decantatam multitudinem exemplarium, S. Saturninum sub Decio et Grato Coss. statuentium, contrahendam esse in unum, vel pauca exemplaria, unde cetera manarunt, aut, si mavis, in S. Gregorii Turonensis testimonium, ab exscriptoribus Actorum S. Saturnini admissum. Firma igitur argumenta permanent, propter quæ paulo ante dicebam, multo probabilius esse, S. Saturninum primo seculo floruisse.

37. Ex iis, quæ deinceps addentur, judicabit melius lector, modice ne, an gloriose id dixerim. Nunc ex codice Riccardiano SS. Saturnini, et Firmini Acta dabo in sectiones, et numeros ipsa dispescens, tum pro levando longius con-

continuatae lectionis tædio, tum ut utriusque Sancti Acta facilius distinguantur; et quid inter Riccardianum, ac Ruinar-  
tii codices intersit, ex distinctione sectionum deprehendatur. Quæ enim prima et tertia sectione leguntur, ea S. Saturnini Acta sincera sunt; neque, si variantes lectiones demas, quidquam hic interest inter Riccardianum, Ruinar-  
tianosque codices. Secunda sectione de prædicatione S. Saturnini Pompe-  
lone præsertim, deque SS. Honesto, et Firmino agitur: id autem omne in Ruinar-  
tii codicibus deest. Contra deest in Riccardiano codice, quod ex Ruinar-  
tio exscribimus sectione quarta. Præmitti quidem hæc poterat, quæ neque primi Actorum Sancti Saturnini Scriptoris est, neque extat, ut modo dicebam, in Riccardiano codice; sed proderit, ipsam hic legi, ut Ruinar-  
tiana Sancti nostri Acta integra lector habeat, et ut nonnulla, quæ supra diximus, confirmentur. Post Acta eorundem compendium, cujus sæpius memini, ex Stroziano-mediceo codice exhibebo, post singulas vero sectiones notas secundum ordinem litterarum alphabeti; in quibus vitandæ repetitionis gratia amandabimus sæpe lectorem tum ad ea, quæ alibi dicimus, tum ad commentarium Bollandianorum de S. Firmino Ep. et M., quod in fine recudendum censuimus. Scripturæ menda aliqua consulto retinui; tametsi, obscuram hic diligentiam adhibendam a me esse, non credidi.



CA-

## CAPUT VI.

ACTA SINCERA SS. SATURNINI, HONESTI, ET FIRMINI  
ex codice Ms. Bibliothecæ Riccardianæ  
Florentiæ signato N. 223.

## S. I.

*Præfatio Auctoris, et tempus, quo S. Saturninus  
Tolosam venit.*

## ,,PASSIO S. SATURNINI EPISCOPI.

I., **S**i eorum virorum sanctissimas passiones debita admira-  
,,ratione veneramus, quos procul a sedibus nostris non tan-  
,,tum immensitate terrarum, verum etiam maximorum quo-  
,,que fluctuum interpositione discretos, (A) famæ defferen-  
,,tis (sic) officio et audivimus, et credimus felici martyrio  
,,consecratos; atque illos dies, quibus in dominici nominis  
,,confessione luctantes, beatoque obitu regno cælesti renascen-  
,,tes, ejusdem Domini, (B) cujus in decertatione viribus ad-  
,,juvantur, et post victoriam munere coronantur, vigiliis, ym-  
,,nis, Sacramentis etiam solemnibus honoramus, ut eorum pa-  
,,trocinia, atque suffragia in conspectu Domini orando quæ-  
,,ramus, honorando mereamur; qua sanctum diem istum so-  
,,lemnitate venerabimur, quibus gaudiis excolemus, in quo  
,,vir beatissimus Saturninus Episcopus Tolosanz civitatis, et  
,,Martyr in eadem civitate geminam coronam Deo teste  
,,promeruit, et de sacerdotii dignitate, et de honore marty-  
,,rii, ut quem jam venerabilem vita fecerat, etiam passio con-  
,,secraret? (C),,

II., Tempore illo, quo post corporeum Salvatoris ad-  
,,ventum exortus in tenebris sol ipse justitiæ, et splendor fi-  
,,dei (D) illuminare occidentalem plagam coeperat, quia  
,,sensim, et gradatim in omnem terram Evangeliorum soni-  
,,tus exivit, tardoque processu (E) in regionibus nostris A-  
,,postolorum prædicatione coruscavit; cum raro in aliquibus

D 2

civi-

„ civitatibus Ecclesie paucorum Christianorum devotione con-  
 „ surgerent, et crebro miserabili errore gentilium nitoribus  
 „ (F) foetidis in omnibus locis templa fulgerent, ante annos  
 „ satis plurimos, id est, Claudio, (G) qui Gajo vita defun-  
 „ cto subrogatus imperium Romanæ Reipublicæ obtinendo  
 „ ministrabat, sicut fideli relatione retinetur, primum et  
 „ summum Christi Tolosana civitas Sanctum Saturninum ha-  
 „ bere cœperat Sacerdotem. (H)

## A N N O T A T A.

(A) Ruinartius in Actis sinceris, recognitis, emendatis, auctis, et Amstelædami an. 1713. editis, perperam habet *discretas*. Alia etiam non pauca sunt in Riccardiano exemplari, unde Actorum lectio concinnior fiat; tametsi negandum non est, Ruinartii editionem, utpote ex præcedenti Surii, et ex novem codicibus Mss. expressam, emendatiorem lectionem fere repræsentare. Quæ digna animadversione videbuntur, omissis minutioribus aliis, nos observabimus.

(B) Luxata videntur verba: Ruinartius habet: *eiusdem Domini laudem, cujus in decertatione viribus adjuvati, post victoriam coronantur, vigiliis*, sed intricatior hæc lectio est.

(C) Hæc ipsa præfatio extat etiam in editionibus Surii, et Ruinartii: antiquissimum autem Missale Mozarabum in Collecta post Orationem Dominicam Missæ S. Saturnini aliquibus verbis utitur, quæ hinc desumpta videntur; nihil itaque obstat, quominus primo scriptori passionis S. Saturnini attribuat. Quod si ita est, non videntur scripta fuisse Acta ante pacem Ecclesiis redditam a Constantino; etenim vix credi potest, actas fuisse Tolosæ ante hoc tempus festivitates Martyrum in remotissimis terris occisorum ea solemnitate, quæ hic indicatur. Atque hac fortasse de causa primus Actorum scriptor tempus, quo S. Saturninus Tolosam ingressus fuerat, designare non valens, dixit solummodo *ante annos plures*, ut num. 31. et seqq. disserebam. Tametsi fac, designatum ab eo fuisse, facile errare potuit, qui de Sancto, ante plurimos annos mortuo, ex populari relatione scripsit: neque si adventum Sancti Saturnini sub Decio et Grato Coss. col-

collocarit, deberent propterea recentiores critici hujusmodi epocham ita mordicus tenere, ut contra unanimem SS. Patrum, præfato scriptore antiquiorum, assertionem, lente propagatum fuisse Evangelium, dicerent. Verum hæc fusius persequemur sequentibus libris.

(D) Ruinartius: *splendore fidei*.

(E) *Tardoque processu*, ita etiam aliqui codices apud Ruinartium, qui Fossatensem sequens scribit *parique processu*.

(F) *Nitoribus... fulgerent*. Melius apud Ruinartium *nidoribus... fumarent*.

(G) *Id est, Claudio, qui*. Deest certe aliquod verbum, v. g. *sub, vel imperante Claudio*. Vid. n. 31. et seqq.

(H) Hic deserit Actorum S. Saturnini filium Riccardiani codicis scriptor, ut de ejusdem prædicatione, et de SS. Honesto, et Firmino agat; sectione vero tertia resumit illud, tenetque usque in finem.

## §. I I.

De prædicatione S. Saturnini, et de SS. Honesto, et Firmino.

III., **O** quam præfulgida fuit dies illa, qua Tolosam ingressus est æquidicus Apostolorum cohæres Saturninus electus Dei Pontifex, cujus in habitaculis discordiæ paratis, intraverunt pedes beati perpetuam pacem ferentes! Cujus equidem auctoritatis fultus privilegio Oceanicæ partes regionis (A) attigerit, ut multorum relatione (B) didicimus, vel etiam quibusdam scriptorum documentis (C) comperimus, pauca de pluribus colligentes, (D) explicare proponimus. Post Salvatoris nostri Domini ad coelos adscensum, (E) in primordio prædicationis apostolicæ Saturninus sanctæ fidei certissime credulus, Apostoli Petri perfectus extitit Discipulus. (F) Saturninus itaque vir clarissimus, Apostolicæ jussionis legatione suscepta, verbi divini semina sumens, ad prædicandam veritatem expetendas oceanicas suscepit partes. Cum ergo passim idolatriæ (sic) cul-

„ tus „



„tus, et execrandæ religionis superstitio celebris haberetur,  
 „quo amplius vigeat, acriusque frendebat gentilitatis fero-  
 „citas, illuc intrepidus et divina virtute armatus accessit, et  
 „squalentium inculta jugerum divinæ prædicationis vomere  
 „proscindens, et quæque veritati obviantia extirpando radi-  
 „citus, uberrima fidei semina dispergens, ad Tolosam usque  
 „Christo ducente pervenit. De cujus situ loci, ne series in-  
 „immensum producta longius ab incepto nos retrahat, vel  
 „ne penitus piæ fructu devotionis indigus lectoris animum  
 „(fort. animus) fastidiat, melius judicamus reticere, quam a-  
 „liquid dignum ridiculo videamur inserere (G).

IV. „ Saturninus quidem vir inclitus pontificali sublima-  
 „tus culmine, virtutum, et signorum frequenti pollebat effi-  
 „cacia, et eruditionis tam humanæ, quam cœlestis ubertim  
 „affluebat eloquentia. Tolosæ igitur residens, mentes inibi  
 „degentium obtenebratas conspiciens erroris mortiferi caligi-  
 „ne, evangelicæ institutionis documentis informans, illustrare  
 „satagebat incommutabilis, et æternæ veritatis lumine. Ipse  
 „nimirum caritatis munificentia visceribus totis incessanter af-  
 „fluebat, et afflictis compatiens, cum utriusque vitæ stipen-  
 „diis remedia sanitatis exhibebat. Unde factum est, ut, dif-  
 „fusa longe lateque mira sanctitatis ejus flagrantia, ex diver-  
 „sis regionum partibus frequentia populorum ad eum conflu-  
 „eret, quatenus ex virtutum ejus insigniis, prout singulo-  
 „rum expetebant incommoda, levamen aliquod plebs mise-  
 „randa perciperet. Beatissimo igitur Saturnino Pontifice si-  
 „gnum sanctæ Crucis opponente divinitus, omnes utraque in-  
 „firmitate detentos, mente, et corpore sanabat infirmos, ex-  
 „hibens illis lavacrum sanctæ regenerationis.

V. „ Honestus tandem urbis Nemausensium (H) civis ve-  
 „nerandus et indigena, novitatis hujus admiratione permo-  
 „tus, rebus, domoque postpositis, viator strenuus Saturni-  
 „num adit, et tantæ rei, quam famæ præcurrens officium  
 „detulerat, diligentissimus investigator fidem adhibuit. Adhæ-  
 „rens itaque sacris apostolicæ fidei vestigiis, clarissimi Præ-  
 „sulis Saturnini factus est imitator egregius, et ab eo præ-  
 „dicationis evangelicæ documentis instructus, sagaciter abdi-  
 „cato superstitiosæ gentilitatis ritu, sacræ regenerationis la-

„va-

„vacuum percipiens, effectus est per omnia Catholicus. Quem  
 „utique sanctitatis pollentem moribus, et ecclesiasticis devo-  
 „tum frequenter insistentem cultibus, artibus etiam adprime  
 „eruditum liberalibus, ad altiora promovendo, Sacerdotali  
 „infula (I) Præsul insignis Saturninus decoravit; et suis ob-  
 „strictum obsequiis ad prædicandam divini verbi gratiam po-  
 „pulis gentilium, malitiæ et peccati contagione resolutis, in  
 „Hispaniam Pater sanctus delegavit. (K) Ipse autem Dom-  
 „nus (L) Honestus transcursis montibus, cum Pampilonam  
 „(M) pervenisset, et in civitate residens ad vota persolven-  
 „dum idolis primos Senatorum conspexisset accedere, libe-  
 „ram in vocem prorumpens, detestari cœpit execrabili-  
 „um hostiarum profana libamina, et ad nichilum, ut nichil erant,  
 „assertionibus evidentissimis redigere. Asserebat enim, simu-  
 „lacro esse obumbrata dæmoniis, et sibi sacrificantes quibus-  
 „dam ludificantia fallaciis, dicens, Unum Deum tantum es-  
 „se, ex quo, et per quem, et in quo subsistunt omnia; hæc  
 „vero artificum expressa manibus nichilo minus obesse, quam  
 „prodesse valentia.

VI. „ Dum ergo Dei athleta in populo constanter pro-  
 „sequeretur hæc, et hujusmodi, Senator Firmus inter Sena-  
 „torum primos vir præcipuus, rumoribus insolitis admirans  
 „obstupuit. Accedens itaque, et cujus professionis insignitus  
 „titulo, vel cujus auctoritatis fretus patrocinio, legibus Au-  
 „gustorum, (N) et ceremoniis, Deos blasphemando, con-  
 „traire præsumeret, diligenter requisivit, et eum tandem u-  
 „nius veri Dei cultorem esse, et gloriam Christianæ profes-  
 „sionis coram omnibus acclamantem reperit. Honestus præ-  
 „terea de doctrina, vel de secta requisitus, cujusdam Satur-  
 „nini professus est, se esse Discipulum, et ab eo, percep-  
 „to regenerationis lavacro, prædicationis etiam suscepisse of-  
 „ficium. Unde si tenebrarum errorem deserentes, fidei fer-  
 „vore respirando vellent incalescere, paratum se fore pol-  
 „licetur, ut ostendat, cujus debeant inhærere vestigiis, vel  
 „in quem confitentes credere. Senator vero de Saturnino  
 „fama deferente jam plura compererat, et assertionibus Ho-  
 „nesti daturum se facile pollicebatur assensum, si Saturni-  
 „num videat, cujus se Honestus gloriabatur esse Discipu-  
 „lum.

lum. Honestus autem, his compertis, gratias Deo agens gratulabatur non mediocri lætitia; et qui bona bonis accumulabat, Deum efflagitabat enixius, ut divini roris imbribus sua dignaretur irrigare plantaria.

VII. „ Saturninum tandem, quem in transalpinis (O) finibus virtutum opinio jam clarum reddiderat, affuturum esse repromisit, et quod spondit, veridicus exequi non distulit. Asciscens itaque magistrum ad participanda tantæ rei gaudia, nota fecit, quæ gesta fuerant, et suggerendo persuasit, ut supererogando quæ deerant, novæ frugis primitiva colligeret. Erat enim Saturninus veri luminis lucerna, et radius, exortumque lumen in tenebris orrentibus, Evangelii gratiam prædicando, satisfaciebat omnibus se rationem postulantibus. O mira et stupenda divinæ pietatis dispensatio, quæ fidei novellæ fundamentis Saturninum præesse voluit velut saxum immobile, ne forte, si Honesto tanti negotii adscriberentur insignia, flatu elationis insurgente, fundata noviter propulsaretur fabrica! Saturninus igitur Pontifex sanctissimus, delata rei gestæ notitia, non aliqua itineris asperitate deterritus, nullos gentium expavescens incursus, intrepidus iter arripuit, et ne plebs sitibunda de longe veniens deficeret, novi saporis propinaturus dulcedinem, quanta potuit celeritate, festinus occurrit. O caritatis virtus infatigabilis, O præsulis eximii benignitas inæstimabilis, quam laboris nulla frangit asperitas, nec ulla gentilium detertere potest impietas!

VIII. „ Vir ergo sanctus cum ad locum, quo tendebat, paucis diebus evolutis, pervenisset, ut fertur, juxta Dianæ templum antiquissimum se ad quiescendum fatigatus appulit, ibique primitus, quæ venerabantur nichil esse indicans, æternæ verba vitæ crebro adventantibus administrare non desistit. (P) Quid enim est vesanius, quam in his propitiatio- nem Divinitatis quærere, quibus calliginosa et fallax hominum opinio Divinitatis omnipotentiam attribuit, et manus artificis gloriando se fecisse asserit? Vel quid absurdius, infeliciusque esse potest, quam eos velle venerari, quos creatos ex deformi ligni, vel lapidis materia, humana, prout

voluit, condidit scientia? Proinde sane eos informans fre-

„ quen-

„ quentius prædicatione salutifera edocebat, ut, relicto idolorum cultu, in Deum unum crederent, et fidei Christianæ veri confessores fierent. Hujus itaque fundamenta fidei revelando manifestans, Trinitatis prædicabat eis mysterium, dicens, Unum esse Deum in Trinitate consistentem, a quo omnis creatura visibilis et invisibilis sumpserit principium. Eddisserens quoque assertionibus stabili ratione subnixis, qualiter Unigenitus Patris archano divinæ dispensationis consilio ex incorrupto Matris utero hominem verum suscepisset, demonstrabat, atque humanæ lapsum propaginis cum reparatione juxta prædicando reserabat.

IX. „ Cultores igitur idolorum, cognita veritatis relatione fidelissima, dæmoniæ figmenta falsitatis abdicantes, ad sacri baptismatis fontem vivum cucurrerunt, et peccatorum maculis, quibus aspersi fuerant, divinæ manu bonitatis abstergente, candidati carere meruerunt. Quanto ergo latius felicitis famæ divulgabatur opinio, tanto novellæ fidei pullulabat veneranda plantatio, et radicitus extirpabatur sæva gentilitatis fraus, et detestanda superstitio. Cum enim beatus rumor (Q) plurimorum hora permovisset, et insolitum rei negotium ad civitatem pertulisset, populus civitatis ad beatum virum caterbatim caput confluere, et ab eo verbum vitæ sitibundus exigere. Quibus equidem talenti sibi commissi pecuniam fideliter erogando distribuit, et plebem, quam prædo callidus sibi fraudulenter assignaverat, sui signum imprimens artificis, creatori suo restituit. Quos enim diabolus sub jugo peccati tyrannidis (sic) suæ crudelitatis depresserat, his, baptismatis gratia purificatis, pristina libertatis reparabat insignia. His ita perfectis, Firmus, Fortunatus cum Faustino non obscuro nati loco, et primi Senatorum, non secundi, nuntiis tandem gestæ rei excitati, cum civium nobilioribus ad beati viri se obtulere præsentiam, (R) et virtutem ejus, ac sermones non minora esse didicere, quam fama fecerat. Ejus ergo provoluti vestigiis, torrentis eloquii fluentes hauriunt, et qui prius erroris cultores extiterant sacrilegi, præcones effecti sunt Christianæ religionis gloriosissimi. Divinis enim eruditi institutionibus, et piæ Matris Ecclesiæ aggregati filiis, sa-

E

„ cri-

» crificiorum respuentes spurcitas, idolorum templa depopu-  
 » lantes vastavere, (S) lucum etiam cum antiquissimo Dia-  
 » nœ fano extirpantes confregere, et Deos, quos prius men-  
 » te sacrilega venerabantur, hos manu hostili insectantes, ad  
 » quæcumque poterant excidia redigebant.

X., O vere sanctum Præsulem Saturninum, cujus lacri-  
 » mis, et precibus tantus ad Dominum est revocatus popu-  
 » lus, qui et Christi jugo subditus, et idolorum effectus est  
 » devastator egregius! Cum demum novæ fructus segetis, su-  
 » pernæ gratiæ rore perfusus, ad altiora proficeret, et semi-  
 » num grana per loca terrarum spatiosa ubique diffunderet  
 » Saturninus (T) Pontifex sanctissimus, plura de spe futura  
 » eos cohortatus, et evangelici verbi administratione Honesto  
 » Sacerdoti tradita, post orationem communicatam (U) om-  
 » nibus vale facto remeavit ad propria.

XI., Verum si diligens lector, a propositæ rei summa  
 » digrediens, forte quæsierit, post discessum beati Saturnini  
 » Præsulis Firmus quid egerit? Quod exceptum est ex pluri-  
 » bus subsequentis operis textus brevi sermone declarabit. Fir-  
 » mus equidem sicut rei secularis non infimus, ita in divinæ  
 » religionis cultu præcipuus, ne divinæ fidei status decurren-  
 » tium temporum posteritate periclitaretur, divini verbi cœpit  
 » propagator existere, hos etiam, quibus jure dominationis  
 » præerat, (V) cohortationibus blandis Christi jugo nitebatur  
 » subijcere. Cum Eugenia quoque conjuge felici colligatus ma-  
 » trimonio, liberos genuisse legitur, (X) ex quibus, ut in  
 » omnibus Deo fructus sui primitiva redderet, primogenitum  
 » Firminum nomine fidei Christianæ documentis erudiendum  
 » Honesto tradidit, qui prius de sacri baptismatis fonte su-  
 » scipiens, eum Christo progenit. (Y) Hic itaque morum  
 » honestate magis magisque succrescens, atque in divinæ pro-  
 » fessionis amore fervescens, magistri factus est auditor egre-  
 » gius. Nam ut postea manifeste et evidenter enituit, ea,  
 » quæ de puro fonte hauserat, sincero vase fideliter recon-  
 » didit. Erat enim et circa ecclesiastica limina frequens et  
 » assidua commoratio, et in præceptis divinæ legis insatiabilis,  
 » et infatigata meditatio, arque in persolvendis Deo laudibus  
 » devotus semper existens, se ipsum omnibus bonorum ope-

» rum

» rum exhibebat exemplum. Quem utique Honestus multo  
 » jam gravatus senio (Z) cum omni cerneret vitæ, ac mo-  
 » rum honestate perspicuum, paterno gratulabatur gaudio,  
 » et per loca, quæ longo interjacenti spatio, visere non po-  
 » terat, ei exhortationis officia commiserat; ipse autem magi-  
 » stri vices exequabatur cum summa diligentia, infirmantium  
 » imbecillitates consolidans, consolidatos ad meliora provocans,  
 » incredulos quosque conclusionibus rationum necessariis re-  
 » vincendo confutabat, et blandis prædicationis suæ stimulis  
 » ad fidem convertendos incitabat. Talium siquidem Firmi-  
 » nus virtutum ornatus muneribus, cum Deo gratificaretur,  
 » et populis, et Honestus annorum diuturnitate confectus,  
 » tanti laboris oneri succumberet, eum, cui jam divini ver-  
 » bi vices tradiderat, ad sacerdotii culmen sublimandum in-  
 » stituit. Honorato (AA) igitur Tolosana Ecclesiæ jam ad-  
 » ministranti sacerdotium, Firminum ordinandum transmisit,  
 » et (quod) fideliter poposcerat, efficaciter obtinuit. Ubi e-  
 » nim rei notitia ad Honoratum delata pervenit, Ecclesiæ in  
 » prolis fœcunditate congaudens, Firminum veneranter excep-  
 » tum, magistri dictante sententia ad Episcopatus gradum sub-  
 » limando provexit. Quibus omnibus rite completis, in his,  
 » quæ agenda erant, diligenter erudiens, messem monstrabat  
 » esse quam maximam, sed nullam operariorum esse copiam.  
 » (BB) Unde ut divinæ traditionis regula stabilita firmaretur,  
 » oporteret eum multa pati pro Christi nomine. Cujus enim  
 » militantis virtus inexperta coronatur, nisi qui legitime cer-  
 » taverit? Ad hæc suscepta Firminus benedictionis gratia, Ho-  
 » nesti præceptoris sui præsentiam expetiit, (CC) et talenti  
 » dona, quæ perceperat, non reponens in sudario, ad usu-  
 » ram fideliter exposuit.

XII., Verum ubi regionis illius populos Christianæ fi-  
 » dei jugo colla subdidisse, et structuram alienam super fun-  
 » damenta, quæ jecerat, intellexit, non posse supererescere,  
 » (DD) in re fore arbitrans reliquum vitæ tempus non com-  
 » modare otio, plebem jam Deo dicatam deseruit, (EE) et  
 » Aginum, (FF) ubi atrocius gentilium fervebat impietas,  
 » Athleta Firminus adiit, et ibi cum Eustachio presbytero a-  
 » liquandiu non concussus aliquo gentilitatis incursu perman-

» 2

» sit.

» sit. Ubi quidem Evangelii gratia discurrere, cum fides in  
 » plerisque radiaret catholica, ad alia demigrans loca, fines  
 » expetit Arvernensium, (GG) quos illustrans indeficiente  
 » claritatis lumine, fugavit inde tenebrosam æternæ mortis ca-  
 » liginem (HH).

XIII. Qui tandem cujusdam nefandi Præsidis Valerii  
 » tyrannidem in Galliis (II) grassari audiens in Christiani no-  
 » minis excidium, Belvacum (KK) civitatem Galliarum per-  
 » niciter aggreditur, atque ibi verbum vitæ prædicando pu-  
 » blice, plurimas persecutorum perferens insidias, in carce-  
 » rem demum intruditur, unde novissime liber egrediens (LL)  
 » Ambianis (MM) felici consummatus martyrio, in pace  
 » quievisse legitur. (NN)

## A N N O T A T A.

(A) Cum Tolosa mediterraneo mari propior, quam o-  
 ceano sit, cur ejus Episcopus Saturninus in oceanica partes  
 regionis venisse dicitur? Credibile est, excurrisse in vicinam  
 Aquitaniam, et Novempopulaniam Apostolicum virum; nam  
 Elusana Ecclesia, Novempopulaniæ antiqua Metropolis, a S.  
 Saturnino originem suam ducebat. Est etiam Pompelon, et  
 Vasconia, ubi certo is prædicavit, oceano longe magis, quam  
 mediterraneo mari, vicina. Addo, haud inepte oceanicam re-  
 gionem pro occidentali usurpari.

(B) Fortasse referuntur in Actis aliqua, quæ ex sola tra-  
 ditione nota erant, sed incertum id est, cum præsertim par-  
 ticula vel disjunctive, et conjunctive utantur plures antiqui.

(C) Hinc constat, ante nostrum Auctorem scripsisse ali-  
 os de adventu S. Saturnini in Gallias, et ex hujusmodi scri-  
 ptorum documentis, vel ex multarum relatione ipsum didicisse,  
 S. Petri Discipulum Saturninum fuisse. Cum igitur idem  
 habuerit, ac de verbo ad verbum exscripserit Acta antiquis-  
 sima, et sincera S. Saturnini, alterutrum dicendum erit, vel  
 non invenisse in iis epocham Decii et Grati Coss., aut tam-  
 quam falsam rejecisse. Hoc quidem parum credibile est, nam  
 non dicit, emendaturum se aliorum errata, sed, omissis mul-  
 tis, quæ audierat, et legerat, breviter se relaturum tempus, et

mo-

modum, quo Saturninus venit in Gallias. Sed fac, correc-  
 tam ab eo Actorum epocham, hoc temere non egerit vir  
 pius, gravis, ac diligens, qualem se se Auctor noster osten-  
 dit. Non itaque intelligo, cur præfata epocha, etiam gratis  
 tributa primo Auctori, mordicus retinenda sit contra testi-  
 monium alterius, paululum quidem recentioris, sed majori  
 monumentorum copia scribentis. Majori, inquam, monumen-  
 torum copia; ille enim ex *fidei relatione* se scribere profite-  
 tur, hic ex eadem, et ex *quibusdam scriptorum documentis*.

(D) Ex his verbis infertur, Auctorem nostrum in com-  
 pendium redègisse historiam prædicationis S. Saturnini; sed  
 dubitari potest, an tantummodo *pauca de pluribus*, quæ viva  
 voce ferebantur, *collegerit*, an etiam nonnulla, quæ in scrip-  
 torum documentis invenerat, *omiserit*? Probabilius hoc secun-  
 dum reputo; habebat enim præ oculis Acta S. Firmini, quæ  
 deinceps num. XI. et XIII. laudat: est vero admodum veri-  
 simile, S. Firmini gesta fusius in eis relata fuisse, quam apud  
 nostrum Auctorem, qui de solo S. Saturnino data opera  
 scribens, eatenus de illo agere debuit, quoad hujus gloriæ  
 interesset.

(E) Nonnulla verba, sententiæ, et phrases, quæ hic ha-  
 bentur, inveniuntur etiam in Actis S. Dionysii a Bollandia-  
 nis tom. 4. Octob. pag. 792. et 925. editis, quæ scripta  
 creduntur habente septimo seculo, octavo incipiente: pla-  
 giarium itaque ac recentiorum auctorem nostrum suspicari a-  
 liquis poterit. Non absimile argumentum pag. 928. cit. tom.  
 sibi objiciunt laudati Bollandiani propter eadem verba, et  
 phrases, quæ tum in S. Dionysii Actis, tum in Vita S. Gau-  
 dentii Novariensis Episcopi, post seculi octavi medium scrip-  
 ta, inveniuntur. Satis igitur fuerit, non absimiliter dicere,  
 mutuasse a nostro aliqua scriptorem Actorum S. Dionysii; ni-  
 si si forte utriusque præluxerit tertius aliquis. Quidquid vero de  
 ætate Actorum S. Dionysii sit, tam certum est, Riccardia-  
 na Acta quarto, vel ad summum quinto seculo incunte scrip-  
 ta fuisse, ut in controversiam venire id nequeat.

(F) Credibile fit, S. Saturninum Apostoli Petri fuisse  
 Discipulum. Videsis argumenta num. 32. allegata.

(G) Neque nos de Tolosa antiquitus non minus, quam  
 nunc

nunc, nobili urbe, aliud dicemus, nisi ad Narbonensem olim provinciam eam pertinuisse.

(H) De S. Honesto Bollandiani agunt ad diem 16. Februarii. Urbs Nemausensium, seu Nemausus (Gallis hodie *Nîmes*) in Occitania inferiori sub Narbonensi metropoli sita est. Ex modo, quo Riccardiana Acta Galliarum urbes indicant, eorundem colligo antiquitatem; non enim Nemausena, Aginnensis, Arvernica, Andegavina, Belvacensis vocantur, ut fit in Actis S. Firmini a Bosqueto, et Bollandianis in lucem editis, sed vel a gentibus Nemausensium, Arvernensium urbes dicuntur, ut Notitia antiqua Provinciarum, et Urbium Galliarum, sub Honorio Imperatore confecta, facit; vel Aginnum, Belvacum, Ambiani cum antiquis geographis appellantur.

(I) Existimabat P. Chiffletus, ut Tillemontius ait in *Vita S. Saturnini*, Sancti hujus Acta posse attribui S. Paulino, vel Sulpicio Severo. Nescio, quibus ille rationibus moveretur; verum de Paulino confirmari suspicio posset ex his verbis Actorum: *ad altiora promovendo Honestum, sacerdotali infula Prasul insignis Saturninus decoravit*; et ex aliis numeris I. ubi idem Saturninus promeruisse dicitur *geminatam coronam et de sacerdotii dignitate, et de honore martyrii*. Nam similibus formulis S. Felicis ordinationem per Maximum Nolanum Episcopum Paulinus in Natali IV. v. III. et seqq. describit dicens:

» Quod (*munus Exorcista*) quia perspicua meriti virtute gerebat,

» Jure Sacerdotis veneranda insignia nactus,

» Mente loco digna meritum decoravit honorem.

» Sed ne sola sacrum caput infula comeret illi,

» Extitit et potior geminandæ caussa coronæ,

» Dira profanorum rabies exorta furorum.

Verum qualiscumque hæc consonantia verborum in scriptoribus communem patriam, ætatemque sortitis, opportunius afferretur in eos, qui in verbis *Sacerdotali infula decoravit*, cavillarentur, quasi ab scriptore quarti seculi non adhibenda pro denotanda presbyteri meri ordinatione.

(K) Hæc verba *ad predicandam divini verbi gratiam populis*

*populis gentilium malitia, et peccati contagione resolutis in Hispaniam Saturninus Honestum delegavit* indicant, ni fallor, Hispanos populos nullam tunc, vel certe exiguam Christianæ religionis notitiam habuisse: etenim neque Honesto Saturninus injungit, ut eat in Hispaniam quampiam provinciam, vel urbem religioni Christianæ contumacius forte obsistentem; sed generatim in Hispaniam, id est, in quamlibet ejus partem; neque Honestus pererrare omnes hujus partes debuit, ut *gentilium populos, malitia, et peccati contagione resolutos*, pervestigaret: nam in ipsomet ostio, et ubi Christiana religio in Hispaniam penetrans, ignota diu esse non poterat, quod quærebat, invenit. Quin ergo perquam miserrimus sub illud tempus Hispaniæ status indicetur hoc loco, dubitari nequit: neque itidem dubitandum, habenda sit fides, nec ne, antiquo, pio, diligentique huic Historico. Si itaque Saturninus Tolosam venit an. 250, ut eruditi critici volunt, oportebit credi, nonnullis adhuc post annis universam fere Hispaniam idololatricæ tenebris involutam fuisse. Sed quid ad hæc Irenæus, qui ante centum annos scribens, antiquas jam tum esse Hispaniarum Ecclesias dixit? Quid ætate huic suppar Tertullianus, adorari Christum *in omnibus Hispaniarum terminis*, asserens? Quid Cyprianus anno circiter 255. testimonium ferens de multis per Hispaniam dispersis Episcopis? Legesis infra Cap. V. lib. III, et siquidem exiguum Hispanorum Christianorum numerum post tertii seculi medium credideris, jam nunc per me licebit, ut in idem tempus Saturninum trahas.

(L) *Domnus pro Domino* non modo scriptores ævi medii, sed veteres etiam dixere, ut Lucretius = *At cum membra domnus presentit frigida servois*. Sulpicius Severus scriptori Actorum nostrorum coævus, de S. Martino recens mortuo ait epist. I. *Domnum Martinum obiisse nuntiant*. P. Franciscus Antonius Zacharias in *Onomastico rituali selecto* verbo *Domnus* inscriptiones duas affert, ut Sanctos etiam ipsos *Domnos* fuisse dictos ostendat. Non ausim tamen dicere, S. Honestum, martyrem quidem a nonnullis vocatum, sed rectius fortasse Confessorem dicendum, ecclesiastico cultu gavisum jam fuisse, quo tempore scribebantur hæc Acta.

(M) Quæ Pampilona hic dicitur, Hispanis nunc est *Pamplona*.

*plona*: ab Strabone *Pompelon*, quasi *Urbs Pompeii*, seu *Pompeiopolis* appellatur: Metropolis est Regni Navarræ, et in læta fertilique convalle sita, tum Arga flumine instar peninsulae alluitur, tum editissimis montibus tamquam mœnibus circumvallatur.

(N) Quod *Augustorum* leges hic allegantur, non probat, Augustos plures tunc imperasse, neque enim cum legum laboribus moriuntur eorum leges. Potuit etiam ex more sui seculi, hoc est, quarti, quando plures simul fere imperarunt, Auctor noster loqui. Potuit quin etiam advenisse Honestus, imperantibus Vespasiano Augusto, et Tito ac Domitiano Cæsaribus.

(O) Vocantur *Transalpini fines*, qui trans Pyrenæum montem sunt; quod quidem non est inusitatum.

(P) Dianæ templum, juxta quod Saturninus constitit, et primam concionem habuit, extra urbem erat; nam *populus civitatis*; ut paulo post dicitur, *ad beatum virum cæteratam cepit confluere*, postquam *rumor insolitum negotium ad civitatem pertulisset*. Ajunt, templum illud fuisse, ubi Ecclesia S. Saturnini nunc est; etsi autem in medio urbis in præsens hæc est, potuit antiquitus extra urbem esse locus, ut indicat etiam *Burgi S. Saturnini* nomen, quod gerit.

(Q) Hinc inferebam not. præced. S. Saturninum extra urbem constitisse.

(R) Nihil admodum mirum, quod vir Apostolicus, annuntiandi Christi opportunitatem extra urbem nactus, arripuerit eam ante conventum Firmum, cujus gratia veniebat. Crediderim tamen, scriptorem, anticipationem usum, retulisse hic aliqua, que postea evenerunt.

(S) Acta S. Firmini a Bosqueto, Bollandianisque vulgata, quæ in Operis fine cum eorundem Bollandianorum *commentario* recudenda censuimus, inverisimilia multa, quæ merito displicent laudatis criticis, inserunt: nam Saturninum Pompelonem ingressum fuisse, et post triduum prædicationis baptizasse *Utriusque sexus fere quadraginta millia hominum*; extirpasse radicitus *Diana templum, et lucum*; et *transacta una hebdomada*, Firmum, Fortunatum, et Faustinum cum multitudine plebis, et civibus urbis ad eundem postremo venisse.

se.

se, referunt. Ejusmodi nihil in Actis nostris legitur; quippe quæ, prædicasse quidem illum ante conventos Senatores, ajunt, at vero extra civitatem, et propter fortuitam occasionem; ad hæc non indicant tempus, quod inter illius adventum, et Senatorum congressum intercessit; nec item indicant conversorum numerum; templi denique, luci, idolorumque demolitionem Senatoribus populoque, ut par erat, non vero Saturnino, tribuunt. Mitto prolixos, inverisimilesque illorum discursus ex mera Auctoris meditatione ortos; mitto ipsorum Auctoris studium in conficiendis brevissime rebus quantumlibet difficilibus; mitto demum alia in Bollandianorum annotationis ad præfata Acta infra videnda, quæ exiguam ipsorum auctoritatem manifeste probant. At vero Riccardiana Acta tum iis omnibus nævis carent, tum stili concinnitate, Auctoris prudentia, diligentia, et antiquitate inter legitima et sincera recenseri merentur.

(T) Vita S. Papuli (cujus tamen mediocris auctoritas est) biennio rectam ab ipso Tolosæ Ecclesiam pro absente Saturnino, dicit. Acta nostra tempus non indicant, quod in Hispanorum conversionem Saturninus impendit, sed non fuisse breve colligitur cum ex uberi fructu, quem Pompelone prædicans retulit, tum maxime ex *seminum gratis per loca terrarum spatiosa ubique ab eo diffusis*. Quare non caret fundamento Toletanæ urbis, aliarumque Hispanarum traditio de Saturnino Apostolo suo. Hic vero obiter noto, videri, paucos fuisse, prædicante ubique Saturnino, Episcopos in Hispania. Vide not. K, ubi ex affini indicio collegi, perperam ipsum trahi ad seculum 3.

(U) Antiqua et ecclesiastica phrasis est *communicare*, seu *dare orationem*, de qua videri potest Cardinalis Bona rerum liturg. lib. 2. cap. 5. Quid proprie hic significet, nescio; tametsi, communem aliquam orationem ab adstantibus fusam, præeunte fortasse Saturnino consuetam *oremus* invitatione, intelligendam esse, vix dubito.

(V) Non hinc inferas, Firmum fuisse Pompelonensium Regulum; hi enim, quibus jure dominationis præerat, de familia ejus erant; nisi si forte intelligendi sunt Pompelonenses omnes, quibus præerat quodammodo *Senator Firmus* inter

F

Se-

*Senatorum primos vir præcipuus*, ut num. VI. dicitur.

(X) Ex hoc loco inferebam Cap. IV. num. 29. Riccardiana Acta non esse primitiva. Præluxerunt itaque Auctori nostro antiquiora alia S. Firmini Acta ab eo, ut in nota D indicavi, in compendium redacta, in quibus, missum fuisse Saturninum ab Apostolo Petro, verisimiliter dicebatur. Cum enim pro hujusmodi missione ipse alleget n. III. *quædam scriptorum documenta*, et cum fere omnia, quæ deinceps refert, inveniuntur, et quidem iisdem sæpe verbis, in Bosqueti Actis, ex antiquissimis illis manantibus, valde probabiliter creditur, missionem etiam S. Saturnini ab Apostolo Petro relatam fuisse in primitivis Actis S. Firmini.

(Y) Tum Riccardiana Acta, tum altera a Bosqueto, et Bollandianis vulgata de S. Firmino agere incipiunt post S. Saturnini discessum: utraque etiam baptizatum illum, educatumque a S. Honesto referunt. Credendum itaque est, natum eum fuisse post Firmi patris conversionem, et S. Saturnini discessum, vel parvulum certe tunc fuisse, ut Bollandiani S. 2. num. 14. *Comment. prævii* infra edendi, fatentur. Ex hac observatione luculentum sequenti capite conficietur argumentum adversus recentes criticos, qui advenisse Tolosam anno 250. S. Saturninum contendunt.

(Z) Hæc etiam S. Honesti longæva ætas pro indicato in præced. not. argumento mirifice deserviet.

(AA) S. Honoratus Tolosæ colitur 22. Decemb. Videtur proximus fuisse S. Saturnini successor.

(BB) Si nulla erat tempore ordinationis S. Firmini *operatorum copia*, ergo non ea contigit labente seculo tertio, quando operariis refertæ erant Hispania, et Gallia, ut lib. 3. cap. 3. et 5. videbimus.

(CC) Nulla posthac de S. Honesto fit mentio. Rediisse ipsum, constituto jam Firmino Pompelonensium Episcopo, in Galliam, suspicor; nam Tolosæ caput, et in aliis Gallicanis Ecclesiis aliæ Reliquiæ ejus visuntur; contra Pompelone nulla paululum antiqua ipsius memoria, nullus cultus.

(DD) Egregia enimvero Pompelonensium, Vasconumque omnium laus hic continetur; neque minor Firmini ipsorum Episcopi. Ipsorum, inquam, Episcopi, ut meridiana luce

luce clarius hinc intelligitur. Verum de Episcopatu S. Firmini, post absolutos de propagatione Evangelii libros brevem dissertationem *Commentario* Bollandianorum de eodem Sancto adjiciam.

(EE) Similia in antiquissimis Episcopis exempla multa leguntur; suffecerit in memoriam revocare, quod de S. Saturnino, Tolosanam suam plebem deserente, ut Pompelone, *et per loca terrarum spatiosa* in Hispania prædicaret, paulo ante audivimus. Quomodo vero Pompelonensi suæ Ecclesiæ Firminus interim consuluerit, non habeo dicere. Id tamen sine ulla ambiguitate credendum, vicaria opera in ejus administratione usum fuisse, si de reditu cogitabat; sin autem, creasse sibi Discipulum quempiam Successorem.

(FF) Aginnum urbs Aquitanicæ ad Garumnæ fluvium, vulgo *Agen* dicitur, Episcopum Burdigalensi Metropolitæ subjectum habet.

(GG) *Arvernensium* errore fortasse librarii, qui *Arvernensium*, vel *Arvernorum* voluit dicere. Erant Arverni nobilissimæ famæ populus in Aquitania, et eorum primaria urbs *Clarusmons* (Clermont) a mille jam annis vocatur. Primus ejusdem Episcopus S. Austremonius habetur: hic cum SS. Saturnino, Trophimo, Dionysio, Paulo, Martiali, et Gatiano in Gallias venerat, ut alibi dixi; credi itaque potest, mortem jam ipsum oppetiisse, cum Firminus Arvernorum fines ingressus est.

(HH) Quæ apud Arvernos, Aginnensesque fecisse S. Firminus dicitur, modice, puto, esse intelligenda: ac fortasse id solum intendit dicere Auctor, tam ingenti operæ pretio apud eos prædicasse Firminum, ut migrandum sibi alio, ubi fructus major speraretur, Apostolicus Vir crediderit.

(II) Vulgata Acta S. Firmini hic inserunt Andegavensem ejus per quindecim menses prædicationem, de qua nihil in Actis nostris, quæ, nisi fallor, breviter ipsam quoque indicassent, si in antiquioribus, primitivisque S. Firmini Actis relata fuisset. Sed non propterea Andegavi prædicasse S. Firminum negaverim, id enim vulgatorum Actorum scriptor ex traditione Andegavensium, vel aliunde rescire potuit. Animadvertenda hoc loco sunt Auctoris nostri verba, qui Agin-

giani, Arvernorumque urbes extra Gallias satis aperte ponit, quin ideo perversus geographus, ut nonnemo fortasse putarit, habendus sit. Etenim quam pronum erat id fieri ab eo, qui labente quarto seculo, quintove ineunte scribebat, quando Gallix passim distinguebantur primum a quinque, dein a Septem Provinciis, a Viennensi scilicet, utraque Aquitania (ubi Aginnum, atque Arverni) Novempopulona, utraque Narbonensi, et Alpium maritimarum; tam absona videretur hujusmodi collocatio post confusos a barbaris quinto seculo Gallicanarum provinciarum terminos. Ideoque Salvianus paulo post scribens, relicto usitato Scriptoris, qui a centum annis floruerant, loquendi modo, Aquitanos iterum Gallis accenset sub initium lib. 7. de Providentia Dei. Is etiam, qui quingentesimum circiter annum Sancti Firmini Acta, a Bosqueto, et Bollandianis vulgata, conscripsit, vocat quidem (antiquius exemplar, ut videtur, sequutus) *Galliarum urbem* Belvacum; sed Aginnum quoque *Gallia civitatem* de suo dicit. Hæc animadversio, alteraque de ommissa relatione *translationis S. Saturnini*, circa annum 400. facta a S. Exuperio, sufficere solæ possent, ut antiquiora, fideque digniora Riccardiana Acta vulgatis a Surio, Ruinartio, Bosqueto, et Bollandianis Sanctorum Saturnini, ac Firmini Actis haberemus.

(KK) *Belvacus*, sive *Bellovacorum urbs* (hodie Beauvais) Provinciæ Belgicæ accensetur in *notitia Provinciarum Gallia*. Ajunt, S. Lucianum, S. Dionysii socium, primum fuisse, qui in ea prædicavit. De ejus ætate eadem, quæ de SS. Dionysio, Saturnino, et Firmino est difficultas. Ex nostris Actis apparet, ante S. Firminum prædicatum jam ibi fuisse Evangelium. Qui S. Firmini Acta, a Bosqueto, et Bollandianis edita, conscripsit, appellat, uti præcedenti annotatione dixi, *Galliarum civitatem* Belvacum, quemadmodum Riccardianorum scriptor, unde licet inferri, simili modo appellatam urbem fuisse in primitivis S. Firmini Actis; sed vereor, ne bonus ille non intelligeret, quod exscribebat; nam primitiva Acta, ut ex Riccardianis intelligimus, ab Arvernis Belvacum transire faciebant Firminum, quod quidem ex recepto tunc modo loquendi erat ab urbe extra Gallias sita ad

Gal-

Gallicanam urbem transire; recte itaque ipsa ajunt, audivisse Firminum, apud Arvernos commorantem, persecutionem, quam in Christianos Valerius Præses moverat Belvacum *in Gallis*: verum ille Firminum transire facit ab Arvernis Andegavum, et postquam ipsum in hac urbe habet, auditam ab eodem dicit persecutionem Valerii *in Gallis*; quasi Andegavum, ad Ligeris dextram ripam locata, non omni tempore Galliarum urbs fuerit non minus, quam Belvacus. Ergo vel omittenda hæc ei fuerat circumstantia, vel Arvernis commorante Firmino, ut Auctor noster facit, apponenda. Ex dictis in his duabus notis constat, circiter annum 500, (quo nimirum tempore Bosqueti Acta scripta creduntur) oblivioni traditam fuisse distinctionem Galliarum a quinque, septemve Provinciis, quæ tamen nota omnibus erat ante annos centum, quando Riccardiana Acta adornata fuere, ut ex hoc loco, vel si alia argumenta non essent, colligi posset.

(LL) Acta nostra non indicant modum, quo S. Firminus libertatem consequutus fuit. Bosquetiana ajunt, a *Christiano populo de carcere eum fuisse exsolutum*, quod an verum sit, dubitabunt, opinor, critici.

(MM) Ambiani, Belgicæ Provinciæ populus nobilis, ad Oceanum habitant inter Caletos ab Occasu, et Morinos ab Ortu; ipsorum urbs princeps *Samorobriua* olim dicta, nunc vero *Amiens*. Ambianorum Episcopum fuisse S. Firminum plures volunt, quibus Bollandiani S. 3. n. 34. *Commentarii* de eodem Sancto, infra edendi, favent. Sed ruinoso eruditos viros fundamento niti, ex nostris Actis facile intelligitur; neque enim pro Gentibus, sed pro Pompelonensi Ecclesia ordinatus Episcopus Firminus fuit. Quamquam, si Pompelone is excedens, successorem sibi alterum dixit, non repugno, quominus Ambianorum Episcopus fuerit, aut saltem esse potuerit. Verum de Episcopatu S. Firmini deinde late dicendum.

(NN) Hic iterum priora S. Firmini Acta indicantur. Si ea, quæ a numero V. ad XIII. ex codice Riccardiano exscripsi, cum Actis Bosqueti, et Bollandianorum deinceps edendis, conferas, non utique negabis, vel una ab alteris desumpta fuisse, vel antiquiora S. Firmini Acta utrisque prælu-



luxisse. Et quidem Riccardianus scriptor, quem multis gravibusque indiciis labente quarto seculo, ineunteve quinto, vixisse ostendimus, mutuari nihil potuit ab eo, qui post integrum seculum Acta conscripsit. Sed neque hic ipse accepisse sua mihi videtur ab illo, cui aliquando opponitur: propterea malo credere, antiquiora S. Firmini Acta præluxisse utrisque. Cum vero antiquior non modo, sed etiam prudentior Riccardianus sit, huic certe, ubi invicem dissentiant, firmior fides habenda; in ceteris autem superadditis a recentiore altero, narratorum verisimilitudinem sequemur. Dixi paulo ante in nota *D* ad num. III. esse admodum verisimile, gesta S. Firmini in compendium redacta fuisse a Riccardiano scriptore; hic addo, verborum magis, quam rerum, parcum ipsum videri. Quapropter tametsi non ausim dicere habere nos jam denique antiquissima, primigeniaque Acta S. Firmini; fidele tamen, succosumque eorundem compendium a Riccardiano scriptore repræsentari, nullus dubito. Si autem brevioris ætas, ac dotes cæteræ attendantur, quin inter legitima sinceraque Acta recensenda sit narratio per undecim numeros dilatata, nemo dubitabit, opinor. Ad stilum quod attinet, breviter ajo, simillimum esse stilo Actorum S. Saturnini, plenum scilicet gravis sanctæque eloquentiæ, ac talem, qui se solòrum auctoris probet antiquitatem, tum fidem lectoris sibi conciliet.

## S. I I I.

*Martyrium Sancti Saturnini.*

XIV. Ceterum quoniam ad beatissimi Saturnini Præsulis præconium, paulo digredientes a proposito, quædam cœptis inseruimus, nunc stilum inflectentes ad inceptæ rei seriem, iter aggrediamur, quod cœpimus. Saturninus igitur, Tolosanæ Ecclesiæ præsidens sacerdotio, magis ac magis convalescebat, et confortabatur in Domino, quippe (*A*) cuius fide atque virrute eorum, qui in urbe eadem colebantur, cœperunt dæmonum vaticinia cessare, figmenta nudari, artes detegi, omnisque eorum gentilis (*B*) potentia,

,, omnis-

,, omnisque fallacia, Christianorum fide crescente, decre-  
 ,, scere. Cumque supradicto Episcopo ad Ecclesiam id tem-  
 ,, poris parvulam (*C*) juxta Capitolium, (*D*) quod inter do-  
 ,, mum suam, et domum Dei erat medium, frequens iter es-  
 ,, set, ac reditus, sancti viri præsentiam sustinere fallax dæ-  
 ,, monum turba non potuit; et, ut erant muta simulacra  
 ,, nonnullis adumbrata fantasiis, ad sacrilega obsequia, et so-  
 ,, lita cum silentio vota, cœperunt in silentio permane-  
 ,, re. (*E*)

XV. Cunctique sacrilegæ superstitionis antistites, tanta rei novitate permoti, cœperunt inter se invicem quarere, unde in numina sua repente venisset tantis temporibus inusitata taciturnitas? Quisnam ita semper garrula ora clausisset, ut nec invocantium precibus excitata, nec fuso taurorum cruore, et tantis delinita hostiis, aliquod consulentibus afferre responsum, aut irata, aut absentia denegarent? Audiunt a nescio (*F*) quodam religionis inimico, novam nescio quam insurrexisse sectam superstitioni gentilitatis inimicam, quæ Christiana appellatur, et in Deorum suorum excidium nititur. Hujus etiam fidei esse Episcopum Saturninum, cui crebro juxta Capitolium transitus, et a conspectu viri hujus exterrita Deorum suorum ora siluisse, nec facile posse reserari, nisi Episcopum illum mors matura subtraheret. O infelix error, et cæca demencia! Audiunt, Deos suos hominem terrere, et a delubris, atque sedibus suis Dæmones in transitu ipsius exulare. Non solum audiunt, sed etiam intelligunt; et hunc virum, adhortantibus idolis etiam sine præmissa interminatione terribili, (*G*) interficere potius, quam honorare malunt. Miseri! non considerantes, quod nullum magis quam illam colere deberent, cujus servi suis numinibus imperassent. Quid enim est stultius, quam timere metuentes, et illum, qui dominatur dominantibus, non timere?

XVI. Inter ergo hæc conquirentium, et stupentium studia cum paulatim magna fuisset multitudo hominum congregata, et omnes studiosius vellent parato ad victimam tauro certum aliquid de his, quæ dicebantur, cognoscere, et Deos suos litatione tam ingentis hostiæ vel reducere cupe-

,, rent,

„ vent, vel probare; ecce ipsum Sanctum Saturninum ad of-  
 „ ficiū solemne venientem unus ex ista malignantium turba  
 „ eminus venientem agnoscit, et dicit: En ipsam, en adver-  
 „ sarium cultibus nostris, religionis signiferum, qui destruen-  
 „ da prædicat templa, qui Deos nostros dæmonum appella-  
 „ tione condemnat, cuius postremo præsentia consueta nos  
 „ prohibet obtinere responsa. Itaque, quia ipsum nobis op-  
 „ portuno in tempore debitus ipsi finis exhibuit, nos pariter,  
 „ nostram, Deorumque nostrorum vindicemus injuriam, qui-  
 „ bus jam nunc, compellentibus nobis, aut sacrificando pla-  
 „ ceat, aut moriendo latificet. Ad tam sacrilegæ vocis im-  
 „ pulsum omnis sanctum virum insanientium turba circumdat,  
 „ ac presbytero uno, et duobus diaconibus, qui obsequiis  
 „ ejus adhæserant, per fugam lapsis, (H) ad Capitolium so-  
 „ lus trahitur, et cum dæmonibus immolare cogeretur, clara  
 „ voce testabatur: Unum, et veram Deum novi; huic soli  
 „ laudes, et hostias immolabo. Deos vero vestros dæmones  
 „ scio, quos incassum non tam hostiis pecudum, quam ani-  
 „ marum vestrarum mortibus honoratis. Quomodo autem vul-  
 „ tis, ut ego timeam, a quibus, ut audio, dicitis, me ti-  
 „ meri?

XVII., Ad hanc sancti Saturnini Episcopi vocem omnis  
 „ ille sacrilegæ multitudinis tumultus incanduit, et tauro illo,  
 „ qui victimæ erat præparatus, fune lateribus circumacto, et  
 „ post terga dimisso, ad ministerium suæ crudelitatis utuntur.  
 „ Postrema autem parte funis ejus, qui posterioribus tauri ip-  
 „ sius defluebat, sancti viri pedes alligant, actumque stimu-  
 „ lis acrioribus taurum, de superiori Capitolii parte in plana  
 „ præcipitant, ipsius gradu Capitolii capite colliso, cerebro-  
 „ que excusso, et corpore omni membrorum parte lacerato,  
 „ dignam Deo animam Christus excepit; ut, quem pro nomi-  
 „ ne suo fideliter dimicantem supplicii furor gentilis extorse-  
 „ rat, sibi post victoriam laureis coronavit. (I) Exanime cor-  
 „ pus, neque obnoxium jam injuriæ, usque ad eum locum,  
 „ tauro furente, perductum est, ubi, tunc disrupto, tumu-  
 „ lantiam eo tempore meruit habere sepulturam. Nam id tem-  
 „ poris Christianis ipsis propter furorem gentilium sancti vi-  
 „ ri corpus humare meruentibus, (K) dux tantum mulieres,

„ se-

„ sexus infirmitatem fidei virtute vincentes, et viris omnibus  
 „ fortiores, et sacerdotis, credo, exemplo ad tolerantiam pas-  
 „ sionis animatæ, benedicti viri corpus ligneo immersum fe-  
 „ retro, quam maxime in profundo loco cum sarcophago con-  
 „ diderunt, (L) ut venerandas sancti viri reliquias non tam  
 „ sepelire, quam abscondere viderentur. (M) Dominus au-  
 „ tem suscepit Martyrem suum in pace, cui est honor, et  
 „ gloria, virtus, et potestas in secula seculorum, amen.  
 „ (N).

### A N N O T A T A.

(A) *Cujus fide*: ab his verbis interrupta S. Saturnini Ac-  
ta Riccardianus scriptor resumit, qui suam in dicendo peri-  
tiam probat, cum ita orationem disponit, ut, ne unum qui-  
dem Actorum verbum omittens, apte narrationem continuet.

(B) *Melius Ruinartius apud gentiles*.

(C) Hinc constat, habuisse etiam in Occidente Chris-  
tianos Ecclesias sub Imperatoribus gentilibus. Scio, quid non-  
nulli respondent: sed paradoxa, opinor, non deerunt, dum  
confutatione hæc dignabuntur.

(D) Frequentia erant Capitolia in præcipuis Romani Im-  
perii urbibus. Videsis Baronium in notis ad Martyrol. Rom.  
diæ 29. Novemb.

(E) *Pro solita cum silentio concinnius apud Ruinartium  
solicita consulentium*.

(F) *Nescio*: videtur redundare hoc verbum, siquidem  
verbum est, et non sextus casus adjectivi nominis *nescius*: in  
Ruinartii editione deest.

(G) *Terribili*: melius Ruinartius *terribilem*.

(H) S. Gregorius Turonensis in *historia Francorum* cap.  
30. duos solos Presbyteros fuisse cum S. Saturnino, scribit.

(I) Ruinartius recte habet *coronaret*. Noster auctor vi-  
detur scripsisse *coronavit*; tametsi litteræ pene evanuerunt non  
solum hoc loco, sed et in sequentibus, adeo ut sine prævia  
Suri, vel Ruinartii lectione ægrè multa intelligantur. Hic de-  
sinit unus codex Ruinartii, quem mancum malo credere, quam  
ceteros relatione sepulturæ ditatos.

G

(K)

(K) Ruinartius ita legit: *nam paucis id temporis Christianis, ipsisque propter furorem gentilium sancti viri corpus humare metuentibus, dua tantum muliercula &c.* Hic modus loquendi hominis extra metum persecutorum positi, et inter plurimos Christianos viventis, esse videtur. Qui S. Saturninum advenisse volunt anno 250., et quinquaginta post annis Acta ejus scripta fuisse, respondebunt, opinor, crevisse interim Christianorum numerum, et sub Constantio Chloro, cui Gallix parebant, non sãvisse in eis persecutionem. Hujusmodi responsio probari utcumque posset, si præsupsita duo explorata forent; verum longe secus rem esse, toto capite primo vidimus. Quare verisimilius est, post redditam a Constantino pacem adornata Acta fuisse. Nam erat, cur Christiani timerent etiam sub imperatore Constantio, si minus sævitiam ejus, gentilium certe Decurionum, et vulgi furorem. Ad hæc non satis capio, cur Religio Christiana, quæ, si criticis eruditis fidem habeas, ad usque Decii tempora vix egerat radices in Galliis, mox, et quidem inter sæviores, ac frequentiores persecutiones, valde creverit. Neque dixeris, Christianorum semen fuisse Martyrum sanguinem; nam esto magnifice, ac vere Tertullianus id dixerit, negari tamen nequit, semen quoque, ac fortasse fœcundius, fuisse pacem; et vero post Constantinum totus fere Romanus orbis Christianus visus est. Quare ut libens concedo, Apostolicos viros, qui post Decium floruerunt, tranquillo æque, atque turbato tempore usos fuisse ad dilatandum regnum Dei, sic, minus industrios gnavosque fuisse antiquiores alios, non credo. Quæ hactenus dixi, urgentiora videbuntur, si exiguum Christianorum numerum in morte Saturnini cum Actis ponamus. Ait quidem Martyrologium Romanum, sub Decio interemptum hunc Sanctum fuisse; sed Baronium, Correctoresque alios Martyrologii in Actorum Surii intelligentia deceptos fuisse, dixi Cap. II. num. 14. Propterea plurimi recentiores sub Valeriano passum ajunt, ut decem circiter annos Saturnini prædicationi concedant: sed diuturniorem hanc fuisse, crediderim tum ob ea, quæ ex Riccardianis Actis sequenti capite colligemus, tum propter diuturnius tempus, quod Fortunatus lib. 2. cap. 8. indicat, dicens de eo: *Carnali in habitu noluit esse diu*; at

exau-

exauditum non fuisse a Deo, et mortem oppetiisse tempore maturo, cum jam spes esset adulta etc. Potuit itaque viginti, triginta, vel etiam quadraginta annos Saturninus prædicare. Si ergo mortis ejus tempore pauci Christiani erant, plurimi vero post quinquaginta ab ipsius adventu annos, exiguo ejusmodi intervallo temporis Christianorum numerus valde crevisset. Hoc, inquam, admitti posset, modo criticorum præsupsita duo explorata forent; sin autem, incertiora eadem fient ex hactenus dictis.

(L) Editio Amstelædamensis Ruinartii sic se habet: *Beati viri corpus ligneo feretro immissum, quam maxime in primo (vel in proximo, ut in erratis corrigitur) loco, coactis apte scrobibus, condiderunt, ut venerandas sibi sanctas reliquas.*

(M) Apud Ruinartium hæc adduntur: *Ne forte sacrilegæ mentis homines, si aliquid conditi corporis tumultu viderent honoris adhiberi, effossum statim corpus in frusta discerperent, et eriperent etiam ipsam tenuem sepulturam.*

(N) Hæc clausula deest in Ruinartio, qui tamen in subjecta nota sic ait: „*In uno e nostris codd. Mss. hic ponitur clausula, Gratias Deo omnipotenti, qui coronavit Marti- tyrem suum in pace, cui est honor et gloria in secula seculorum, amen. Deinde sub titulo, De ejus translatione: In diebus illis mansit aliquandiu, etc. Quæ sequuntur prioribus Actis postmodum adjecta videntur.*”, Hæc Ruinartius, cujus opinio a Bollandistis probata in Vita S. Dionysii, a nobis etiam contra Tillemontium asserta fuit cap. I. auctoritate Actorum nostrorum, quæ nihil de Translatione habent. Quare ut affatim certa ipsa est, ita æque certum, Riccardiana nostra Acta antiquiora esse dicenda Surianis Ruinartianisque, factum recentius referentibus.

## S. I V.

## De translatione corporis S. Saturnini.

XVIII. „**M**ansit (A) aliquandiu sub vili cespite, omnibus quidem inhonorum, sed honoratum a Deo Martyris corpus, donec Sanctus Hilarius post multum temporis (B)

in

„in Tolosana urbe Episcopus ordinatus, de antecessoris sui  
 „obitu instructus, et merito, effossa usque ad ipsum sepul-  
 „crum ligneum terra, sanctas veritus commovere reliquias,  
 „transvolutionem desuper multo latere diligenter extruxit,  
 „basiliculam etiam admodum parvulam vilibus lignis ad lo-  
 „cum tantum orationis adjecit; abscondendo videlicet Mar-  
 „tyris corpus, ne perfidi homines effossum eum diriperent,  
 „(C) Procedente dehinc tempore cum multorum ad basili-  
 „culam illam fideliter a seculo recedentium, pro solatio prop-  
 „ter corpus Martyris quiescentis deferrentur exequiæ, (D)  
 „et locus omnis tumultorum corporum multitudine fuisset  
 „impletus, S. Silvius, Episcopatum supradictæ urbis indep-  
 „tus, (E) pulchram, et speciosam basilicam magnis sump-  
 „tibus parans ad venerandi Martyris transferendas illuc reli-  
 „quias, ante consummationem cœpti operis recessit e secu-  
 „lo. Post cuius obitum S. Exuperius (F) in summum sa-  
 „cerdotium cooptatus, vir absque ullius Præcessorum inju-  
 „ria, absque ullius, qui id temporis Ecclesias regere vide-  
 „bantur, invidia, non solum nulli secundus, verum etiam  
 „ipsi beato Martyri virtutum meritis comparandus, basilicam,  
 „quam Decessor suus fideliter inchoaverat, instantissime con-  
 „summavit, et feliciter dedicavit. Qui cum transferre illuc  
 „Sancti Martyris reliquias, non pro sua incredulitate, sed pro  
 „ipsius honore dubitaret, admonitus per quietem est, ne in-  
 „fideliter negligeret, quod fideliter credidisset; nullam fie-  
 „ri vel diminutione cinerum, vel commotione membrorum  
 „spiritibus injuriam, quia manifesta res esset, hoc Martyri-  
 „bus proficere ad honorem, quod profuisset credentibus ad  
 „salutem. Statimque tali visione firmatus, religiosis Impe-  
 „ratoribus precem detulit, ac sine mora ulla, quod tam pie  
 „poposcerat, impetravit, ut translatas ad basilicam omni  
 „studio preparatam sancti viri reliquias, non tam temeraria  
 „violaret audacia, quam ambitiosius venerantis coleret obse-  
 „quæla. (G)

XIX. „Quod nunc huic opusculo superest, omnes le-  
 „gentes, omnes intelligant audientes, causam salutis nostræ  
 „in fide stare, neque sine causa Dominum Evangelica voce  
 „dixisse: Credis hoc? Cui cum responsum fuisset, Credo,  
 „ait:

„ait: Fiat tibi secundum fidem tuam. Non quod Dominus,  
 „scrutator cordis et renum, de illius credulitate nesciret, sed  
 „ut de his, quæ de dominicis virtutibus dicerentur, aut his,  
 „quæ nobis tribui posceremus, non debere nos dubie cre-  
 „dere, commoneret. Unde quia et ipse Salvator de talibus  
 „viris dixit: Si feceritis voluntatem meam, jam non dicam  
 „vos servos, sed amicos. (Joan. 25. 15.) Et idem sub pro-  
 „phetali voce testatus est: Mihi autem nimis honorati sunt  
 „amici tui Deus (Ps. 138. 16.) et iterum: Hi sunt, qui  
 „venerunt de tribulatione magna, qui laverunt stolas suas  
 „in sanguine Agni: Qui sequuntur Agnum (Apoc. 12. 14.)  
 „de quorum beatitudine dictum est: Plantati in domo Do-  
 „mini, in atriis Dei nostri florebut, (Ps. 91. 13.) et ite-  
 „rum: Præiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus,  
 „(Ps. 115 3.) et iterum: Exultabunt Sancti in gloria, læ-  
 „tabuntur in cubilibus suis (Ps. 149. 5.) et iterum: Gloria  
 „hæc est omnibus Sanctis ejus (ibid. v. 9.) quibus non so-  
 „lum credere in Christum, sed et pro Christo pati, et sta-  
 „tim post resolutionem corporum cum Christo esse donatum  
 „est: amicos Dei, ac dilectos Deo non negligamus ut mor-  
 „tuos, sed honoremus ut vivos; quia non dubia fide certum  
 „est, quod, si eorum fideliter suffragia postulemus, feliciter  
 „patrocinia sentiamus. Quia etiam si illorum studia cessarent,  
 „ille optata præstaret, qui cogitationum non solum præsen-  
 „tium, verum etiam cognitorum futurorum, dum rogatur in suis,  
 „se intelligit honorari, qui est benedictus in secula seculo-  
 „rum, amen.

## A N N O T A T A.

(A) Hic incipit secunda pars Actorum S. Saturnini, cir-  
 citer medium seculi quinti, ut videtur, scripta. Non extat  
 quidem ea in Riccardiano codice, prætermittique a nobis po-  
 terat; sed proderit ipsam hic legi, ut num. 37. dicebam, tum  
 ut Ruinartiana Acta integra lector habeat, tum ut asserta non-  
 nulla nostra confirmetur ex ea.

(B) S. Hilarius, 21. Maji Tolosæ cultus, vix notus a-  
 liunde est. Successisse S. Honorato, ac tertium a S. Satur-  
 ni-

nino Tolosanum Episcopum fuisse, ferunt. Sed Actorum verba videntur favere magis iis, qui tam longo temporis intervallo separandum a S. Saturnino putent, ut *de antecessoris sui obitu, et merito* aliorum relatione instruendus fuerit.

(C) Hinc arguo, ante pacem Ecclesiis a Constantino redditam hoc contigisse. Existimat quidem Tillemontius in *Vita S. Saturnini*, ordinationem S. Hilarii circiter annum 330. statui posse; sed ex præconceptione sua de adventu S. Saturnini Decio, et Grato Coss. opinione id facit, necesse enim est, diuturnum tempus S. Saturnini prædicationi concedere, ut ex Fortunato dixi in nota K. S. 3., ab ejusdem item obitu ad S. Hilarium æque, vel magis diuturnum temporis interval- lum ponendum est, ut in præcedenti nota monui. Animad- verterat hæc Tillemontius, ideoque minus apte, vigente adhuc gentilium Imperatorum persecutione, S. Hilarii ordinationem statuisset. Ejusmodi angustiis non premimur nos, qui S. Sa- turninum primo seculo collocantes, secundum, tertiumque pro S. Hilario habemus. Confirmatur itaque etiam ex hac secun- da Actorum parte opinio nostra de adventu S. Saturnini an- te Decii imperium.

(D) Vides, quam antiqua, venerabilisque est Christia- norum devotio, sepeliri se volentium, non quomodocumque in cœmeteriis sacris, sed intra ea etiam loca, ubi Sanctorum corpora fidelium venerationi patent.

(E) S. Silvius vergente jam ad finem quarto seculo or- dinatus Tolosæ Episcopus fuit. Ejus fortasse tempore S. Sa- turnini Acta scripta fuerunt.

(F) De S. Exuperio Bollandiani agunt ad diem 28. Sept. Extat in Collectionibus Canonum S. Innocentii I. Papæ epis- tola anno 405. ad ipsum scripta. Credi potest, transtulisse cor- pus S. Saturnini paulo post Episcopatum susceptum; propte- rea collocari potest Translatio circiter annum 400.

(G) Sub primis Christianis Imperatoribus vigeant Ro- manæ leges, quæ sepulta corpora commoveri volebant. Sed procedente tempore hujusmodi rerum cura Episcopis relicta fuit.

## COMPENDIUM ACTORUM S. SATURNINI

*Ex codice ms. Stroziano-mediceo 4. pag. 258. qui extat Florentia in Bibliotheca Laurentiana.*

## DE S. SATURNINO M.

Saturninus ab Apostolorum Discipulis Episcopus ordina- tus, in Urbem Tolosanam directus est. Cum autem, ipso ingrediente, dæmones a responsis cessarent, unus gentilium dixit, quod, nisi Saturninum occiderent, a diis suis nihil penitus obtinerent. Apprehendentes igitur Saturninum no- lentes (*fort. nolentem*) sacrificare, ad pedes tauri ligave- runt eum, cum stimulis agitanter, a summa arce, et per gradus Capitolii præcipitaverunt. Sicque capite confracto, et cerebro excusso, martyrium feliciter consummavit. Cu- jus corpus duæ feminæ rapientes, in profundo loco prop- ter metum gentilium condiderunt; quod postea Successores ejus ad locum reverentiorum transtulerunt. (a)

(A) Ex hoc compendio discimus, ut alibi dixi, fuisse quondam, ac superesse fortasse adhuc, exempla Actorum sin- cerorum S. Saturnini, quæ hunc Sanctum primo seculo col- locabant. Non equidem dissimulo, tum Stroziano-mediceum codicem, tum alterum Florentinum Servorum B. Mariæ Vir- ginis, in quo idem extat compendium, decimoquarto tan- dem seculo scriptos videri, ac propterea antiquitatis laude ca- rere. Sed quod deest compendio, exemplari, unde ipsum con- tractum fuit, fortasse non deerat: tametsi nobis scire sat est, uti hinc certo scimus, extitisse alias Acta sincera, quæ sub Decio et Grato Coss. Saturninum non constituebant: prop- tereaque non esse hujusmodi epocham tam expeditam, ut non habeat aliquid moræ. Nam si potissima ratio pro astruenda ea consensus codicum est, ecce tibi binos codices, Suriano- rum, Ruinartianorumque perfectam imaginem paucis lineis re- ferentes, qui decantatum consensum explodunt.

## CAPUT VII.

*Acta S. Firmini probant, S. Saturninum longe ante medium seculi tertii vixisse.*

38. **B**ollandiani num. 10. *Commentarii de S. Firmino*, quod in Operis calce exscribemus, recensent primo loco Acta S. Firmini a Bosqueto edita, inter ea, unde S. Saturninum circiter medium seculi tertii collocandum esse, *eruditi passim agnoverunt*. Non equidem miror, Bosqueti Actis plures pertractos fuisse in ejusmodi opinionem; nam Sanctus Firminus, Firmi a S. Saturnino baptizati, filius, non est ab hoc separandus diuturno nimis intervallo temporis: cum ergo Bosqueti Acta sub Diocletiano, et Maximiano S. Firminum statuunt num. 1. necesse erat, ut sub Decio Imperatore, seu circa annum 250. S. Saturninus collocaretur ab iis, qui prædictis Actis fidem habebant. Sed laudati Bollandiani, esto firmiter crederent, S. Firminum labente seculo tertio vixisse, ingenue tamen fassi sunt, nullum sententiæ suæ inesse præsidium in nominibus Diocletiani, et Maximiani, quæ num. 1. in Actis Bosqueti leguntur; neque item in alteris Decii, et Valeriani, quorum edicta Sebastianus Præses opponit num. XIII. S. Firmino: nam deesse hæc quatuor Imperatorum nomina in codicibus multis, et adjecta Actis videri, ajunt. Cum hæc ita sint, non videntur mihi præfati critici satis apte dixisse, *agnovisse* ex Actis Bosqueti *eruditos*, circiter medium seculi tertii S. Saturninum vixisse. Verum tricas verborum mittamus, stetque, eruditos deceptos fuisse, cum propter Bosqueti Acta S. Firmini, circa medium seculi tertii collocandum esse S. Saturninum, putaverunt.

39. Videamus itaque nos, an ab iisdem Actis diversam trahere consequentiam valeamus. Postquam num. IV. exposuerat Honestus Firmo, S. Firmini patri, præcipua Christianæ religionis mysteria, hæc addidit: *Istam talem religionem, et claram veritatis doctrinam nobis Saturninus Episcopus Apostolorum Discipulus ostendit, et jussit nobis prædicare Evangelium veritatis in omnibus gentilibus*. Tum num. V. Firmus ...

di-

*dixit: Si Saturninus, quem profers Apostolorum Discipulum, nobis tales sermones, et sententias asseruisset, huic forsitan mentis aciem vertissemus, audivimus enim famam, et virtutes ipsius ... Ad quem Honestus ... dixit ... Dominus meus Pater, et Magister Saturninus in promptu est*. Bollandiani nota (N) in verba *Saturninus Episcopus Apostolorum Discipulus* sic ajunt: *Non quia vidit Apostolos, sed quia eorum doctrinam docebat*. Violenta hæc expositio tolerari in illis posset, qui Bosqueti Acta legentes, addita ipsis a recentiori quopiam tum Diocletiani, et Maximiani, tum Decii, et Valeriani nomina ignorabant. Bollandiani quidem id noverant, imo ipsi primi notum id nobis fecerunt; verumtamen ita sibi persuaserant, non fuisse proprie Apostolorum Discipulum Saturninum, ut num. XI. *Commentarii* sic scribant: *De etate S. Saturnini ex Gregorio Turonensi, et probatis S. Saturnini Actis tam certo constat, ut nomen eruditi critici non mereatur, si quis hoc tempore S. Saturninum a medio seculi III. multum amovere, et ad aliud seculum transferre contendat, quemadmodum facile probari poterit ad 29. Novembris*. Affatim jam dictum fuit de duobus decantatis testimoniis, sperareque juvat, neminem posthac futurum, qui glorioso eruditi critici titulo fraudari timeat propter retractum S. Saturninum ad primum seculum. Faxit vero Deus, ut resumentes doctissimi viri intermissum calamitate temporum immortale Opus, non modo ad 29. Nov. de S. Saturnino, sed ad 31. Decemb. de S. Silvestro agant, atque optatum bonis omnibus finem eidem imponant.

40. Interim tamen ajo, violentam videri præfatam expositionem; nam Honestus paulo ante dixerat Firmo, se esse *Saturnini Episcopi Discipulum*, et quidem non *quia doctrinam ejus docebat*, sed quia hanc ipsam ex ore ejus acceperat. Cur ergo mox Magistro suo Apostolorum improprium discipulatum tribueret? Si autem commendandi eum causa sic appellatione dicas; quidni Jesu Christi, cujus utique doctrinam docebat, Discipulum appellavit? Crediderim vero, se quoque, vel ut melius dicam, suam doctrinam audientibus commendatam Honestum voluisse. Quin igitur Apostolorum sese Discipulum vocat, quorum doctrinam certe docebat? Consultior,

H

pu-

puto, fuisset libera repudiatio *Actorum*, post aliquot secula a Saturnini obitu scriptorum, et quidem ab homine non admodum diligente. Sed præviderunt fortasse acuti viri, retorqueri in ipsos posse hujusmodi sese extricandi modum; nam si Acta scripta non sunt ante quinti seculi finem, neque Gregorii Turonensis *historia Francorum*, quam nobis opponunt, ante sexti seculi finem adornata fuit; ad hæc ipsius auctor incuriosus a criticis habetur, ut jam vidimus. At sint parum antiqua, accurataque *Bosqueti Acta*; ejusmodi sane nævi a *Riccardianis Actis* absunt, quæ tamen Saturninum Apostoli Petri Discipulum vocant. Et hæc quidem utrorumque Actorum consonantia indicio est, tantumdem lectum fuisse in primitivis S. Firmini Actis: itaque vel si certo constaret, S. Saturni Acta constituisse hunc Sanctum tertio seculo, nihilominus tamen Acta Actis opponere nobis liceret. At vero abunde probatum fuit, indeterminatam relictam fuisse S. Saturnini ætatem in Actis ejus, aut siquidem determinatam omnino velis, probabilius longe esse, primum seculum designatum fuisse.

41. Ad alterum argumentum jam venio, pro cuius intelligentia pauca præfanda sunt. Absurde diceretur S. Firminus consummasse martyrium post annum 306, in quo Augustus dictus fuit Constantinus M.; imo et post annum 291, quando hujus Pater Constantius Chlorus regendas Gallias suscepit; quippe ille universæ Ecclesiæ pacem largitus est, hic alter fovit potius, quam vexavit, Christianos, et siqui in Provinciis, regimini ejus commissis martyrium fecerunt (quod de nemine sine gravissimis indiciis credendum est) non id quidem Constantio, ejusve Ministris, sed furenti gentilium vulgo tribuendum est. Hac de causa eruditi critici passim ajunt, Galliarum sub Diocletiano, et Maximiano Martyres intra annum 285. et 291. statuendos esse, quando nimirum in Gallias non semel venit sævissimus Maximianus, qui Ricciovaro, aliisque administris usus, copioso eas Martyrum sanguine irrigavit. Cum igitur Ambianis, nobili Galliarum urbe, passus sit S. Firminus, et quidem Sebastiano Præside Romano sententiam in ipsum ferente, oportet, martyrium ejus statui ante annum 292. ab iis, qui in persecutione Diocletiani,

ni, et Maximiani occisum putant, uti Bollandiani faciunt, qui annum circiter 290. pro martyrio assignant.

42. Est etiam attente consideranda chronotaxis vitæ SS. Honesti, et Firmini, hujus Actis innixa. Miraculorum, sanctitatisque Saturnini fama permotus Honestus, usque a Nemauso venit Tolosam, ubi religionis Christianæ veritatem ab eo edoctus, baptismum suscepit. Erat tunc Honestus in *primævo tempore juventutis*, ut ipsemet Senatori Firmo postea dixit *num. III. Actor Bosqueti*; quapropter remanere apud Saturninum voluit, ut Scripturas sacras ab ipso disceret. Procedente dein tempore cum propter omnigenam doctrinam, vitæque innocentiam carissimus Magistro esset, non modo consecratus Presbyter fuit, sed in Hispaniam etiam missus, ut Evangelium Gentibus prædicaret. Venit Honestus Pompelonem, animadvertensque, haud ægre susceptum iri ab ejus civibus religionem Christi, modo ipsos edocere Saturninus vellet, Tolosam repetiit, ac mox Pompelonem cum Magistro suo reversus est. Hic inchoatum a Discipulo opus perfecit, et post conversos baptizatosque quamplurimos, e quibus Firmus S. Firmini Pater præcipuus erat, Pompelonensem novellam Ecclesiam regendam, atque augendam Honesto tradidit, ipse vero Tolosam rediit. Hactenus S. Firminus non comparet, qui nondum natus videri potest, quandoquidem non a Saturnino una cum Patre, sed ab Honesto postea baptizatus fuit. Cum autem ætate jam ea Firminus esset, ut literas posset discere, voluit Firmus Pater, ut qui per baptismum Filium suum in Christo prius genuerat, per humanas, divinasque disciplinas iterum gigneret; quod quidem Honestus effecit tam diligenter, ut septemdecim annos natus Firminus Magister videri potuerit. Quapropter consequentibus septem annis excolendo virtutibus Christianis animo totus incubuit. *Honestus vero deinde, dum in senectutis tempore aggravatus esset, sæpe dirigebat eum per vicus, et suburbana civitatis, ubi prædicationis verbo populum jam Deo devotum confirmaret.* Verum transactis sex annis, quibus hujusmodi institutum tenuit, imparem se videns præ senio regendæ Ecclesiæ, Firminum, trigesimum annum circiter agentem, *direxit ad Honoratum Tolosana urbis Episcopam, ut eum in Epis-*

*copatus gradu ... constitueret.* Reversus est post consecrationem Firminus Pompelonem; et hinc, prædicaturus gentibus, discedens, primum Aginnum, tum Arvernos, postea Andegavum, deinde Bellovacum, ac postremo Ambianos venit, ubi et pro Christo occisus est. Ignoratur, per quot annos apostolatus ejus tenuerit; constat tamen, Andegavi 15. mensibus Firminum prædicasse, et ingentem ubique fructum retulisse. Hæc considerantes Bollandiani, tametsi ad angustandum tempus proclives fierent a sua de ætate S. Firmini sententia, annos tamen circiter decem hujus prædicationi concedunt; nobis vero, ut satis quidem esse decem anni pro iis, quæ Bosqueti Acta de prædicatione S. Firmini referunt, ita pauci videntur pro aliis, quæ ipsa omittunt, quæque ex Riccardianis Actis colliguntur, ut jam jam videbimus.

43. Hæc præmittenda fuere, ut argumentum nunc proponendum facilius intelligatur. S. Honestus in *primævo tempore juventutis* ad S. Saturninum accessit; idemque, *senectutis tempore aggravatus*, S. Firmino, vigesimumquartum ætatis annum agenti, prædicandi onus imposuit. Credi itaque licet, annos circiter quadraginta interim fluxisse. Adde nunc his alios sex, quibus Firminus, nondum Clericus, prædicavit, habebisque ad hujus Episcopatum a conversione Honesti quadraginta sex annos. Si ergo Decio, et Grato Coss., id est, anno 250. S. Saturninus venit in Gallias, ut eruditi critici volunt, sex et quadraginta post annos, seu anno 296. S. Firmini consecratio statuenda erit, etsi eodem anno Saturnini adventus, Honestique conversio pro libitu mero ponantur. Anno itaque quinto, aut sexto Constantii Chlori Episcopus factus fuerit S. Firminus, cujus prædicationem si decennalem dixeris, ut Bollandiani S. 2. *Comment. prævii* credidisse videntur, protraxisti jam eum usque ad annum 306, qui primus fuit Constantini M., sub quo propterea statuendum erit ipsius martyrium. Si autem breviorẽ prædicationem velis, statui id oportebit sub Constantio Chloro, quod æque fere absurdum esse, jam vidimus.

44. Quia vero non satis exploratum est juventutis, senectutisque initium, et posset nonnemini longius videri quadraginta annorum intervallum inter utramque positum, paulo

lo aliter argumentum propono, ne ob præposteram forte propositionem prævaricari videar. Dum S. Honestus Pompelonem venit, diuturnum jam tempus erat, ex quo S. Saturninus in Gallias advenerat; nam primum ut Sanctus hic inclaresceret, et usque a Tolosa ad Nemausum longe positam perveniret fama miraculorum, sanctitatisque ipsius, notabile tempus ponendum est; quandoquidem si non repugnat, uno eodemque anno Tolosam venisse Saturninum, hujus famam longe lateque propagatam, et Honestum ea permotum mox ad Saturninum cucurrisse; est tamen verisimile magis, annorum aliquot intervallo separanda hæc esse, silentibus præsertim hac de re Actis. Deinde perpendendum est tempus illud, utique longum, quod post baptismum addiscendis sacris literis, excolendisque virtutibus Honestus impendit, antequam in Presbyteratus gradum a Saturnino promoveretur, imo antequam dignus haberetur apostolicæ ad gentes missionis. Longum, inquam, nam ipsemet Honestus num. 3. *Actorum Bosqueti* ait, didicisse se sub Saturnino Magistro Scripturas sanctas a *primævo tempore juventutis*; est vero incredibile, sub hujusmodi tempore non Presbyterum modo, sed Apostolum etiam constitutum fuisse. Indicat quin etiam hoc modo loquendi Honestus, jam diu esse, ex quo juvenis esse ipse desierit. Quapropter, si, ingrediente Pompelonem Honesto, egressis jam tum decem annos Saturninum in Galliis, dixeris, moderatus, credo, videbor. Age itaque, decem his annis adde triginta consequentes usque ad S. Firmini, sub Honesti ingressu nati, ordinationem, incidetque hæc in annum 290, si Saturninus, venit in Gallias anno 250. Cum ergo Constantius Chlorus anno 292, vel ut S. Prosper in *Chronico* ait, 291. Galliarum imperium suscepit, sub eo S. Firmini martyrium, totumque fere tempus prædicationis statuendum erit.

45. Non video, quid ad hoc argumentum responderi queat, nisi ipsum *Bosqueti Actis* inniti, quæ non admodum magnæ auctoritatis sunt. At vero *Riccardiana Acta* (sincera quidem profecto, atque legitima) non discrepant in narrationis summa ab illis; esto enim non dicant, Honestum accessisse ad Saturninum in *primævo tempore juventutis*, indicant



cant tamen num. V. non parvum tempus intercessisse inter hujus ad Tolosanens, et illius ad Pompelonenses primum accessum. Tametsi non debui dicere, *Riccardiana a Bosqueti Actis* non discrepare; etenim discrepant in multis; nam asserunt quidem hæc, ut sæpe dixi, accessisse Honestum ad Saturninum a *primævo tempore juventutis*; quia tamen quando, et ubi id evenerit, aperte non dicunt, cavillandi locum relinquunt, ne forte ante ingressum Saturnini in Gallias Honestus ad ipsum venerit. Illa vero fugam intercludunt; nam postquam num. IV. Saturninum statuerunt *longe lateque diffundentem e Tolosa per diversas regionum partes sanctitatis sue flagrantiam*, ajunt num. V. *Honestus tandem urbis Nemausensium civis... novitatis hujus admiratione permotus, rebus, domoque postpositis, viator strenuus Saturninum addiit*. Ad hæc *Bosqueti Acta* de S. Firmino agere incipiunt post discessum S. Saturnini e Pompelone, et tum hac de causa, tum quia baptizatum illum fuisse postea ab Honesto dicunt, *susplicantur non immerito Bollandiani, nondum natum, vel puerulum certe fuisse Firminum, dum Pompelone commoratus fuit Saturninus*. Verum *Riccardiana Acta* clarioribus verbis utuntur, quam ut sub disjunctione loquendum sit; referunt enim num. XI. S. Firmioi ortum inter res, quæ *post discessum beati Saturnini* evenerunt. Postremo *Bosqueti Actorum* scriptor (de quo Bollandiani ajunt num. 16. *Videtur libenter magna exiguo tempore innexuisse, si non ipse rebus gestis, quas acceperat, tempora etiam affinxerit pro suo ingenio*) dicit num. X., S. Firminum circa trigésimum primum ætatis annum patriam suam reliquisse *non post multum temporis a suscepta consecratione episcopali*. At vero Riccardianus longe prudentior, tum demum Firminum Episcopum deseruisse Pompelonensem suum gregem, refert, *ubi regionis illius populos Christiana fidei jugo colla subdidisse, et structuram alienam super fundamenta, qua jecerat, intellexit, non posse supercrescere*. Tam longe itaque aberat *Actorum Bosqueti* auctor ab studio protrahendi tempus a Sancti Saturnini in Gallias adventu ad martyrium Sancti Firmini excursus, ut contraxerit potius non modice ipsum, indictam relinquens Pompelonensem hujus Sancti post susceptum episcopatum præ-

di-

dicationem. Si igitur argumentum nostrum, perpensis *Bosqueti Actis*, grave videri potuit, gravissimum enimvero dicendum est, *Riccardianis* inspectis, tum propter horum auctoritatem exceptioni nulli obnoxiam, tum propter multorum annorum accessionem ex Pompelonensi Sancti Firmini, jam Episcopi, prædicatione supputationi nostræ obvientem. Ergo vel deserenda sunt non modo *Bosqueti Acta*, sed *Riccardiana* etiam ipsa, vel martyrium S. Firmini sub Constantio Chlōro, Constantinove Ecclesiæ pacificatore collocandum, si anno 250. S. Saturninus venit in Gallias, ut mirabili confidentia eruditi critici pro certo et indubitato venditant.

46. Bollandiani §. 2. *Comment. de S. Firmino* eam Vitæ Sancti chronotaxim exhibent, quæ cum *Bosqueti Actis*, e quibus ipsam ordinant, conciliari minime queat. Ajunt enim, natum credi posse S. Firminum circa annum 250, tum prædicandi munus suscepisse ætatis anno 24. ab Honesto jam sene, et Episcopum tandem consecratum circa annum 280. Hæc, inquam, chronotaxis *Bosqueti Actis* repugnat; nam factis accessisse Honestum ad Saturninum statim ut hic Sanctus venit in Gallias, id est, anno 250, cui eruditi critici S. Saturnini adventum alligant: fuisset tunc ille ex fide Actorum in *primævo tempore juventutis*; ponamus itaque egisse eum *trigesimum ætatis annum*, (esto virilitatis magis quam *juventutis primæva ætas* hæc est) nihilo tamen secius *senectutis tempore aggravatus* ipse fuisset ex præfatorum Actorum testimonio an. 274, quando Firmino prædicandi onus imposuit. Ergo Honestus, quinquagesimum quartum ætatis annum dumtaxat agens, *senectutis tempore ita aggravatus fuisse* credendus est, ut juveni laico prædicationis officium committere debuerit. Dicent, opinor, vitium hoc fuisse scriptoris Actorum, *magna exiguo tempore innectentis, aut etiam rebus gestis pro suo ingenio tempora affingentis*. Sed primum quæ vitiosa videntur, corrigenda sunt, non, quasi probata et sincera in adversarium intorquenda, ut num. 22. *Commentarii* infra e-dendi de S. Firmino fit. Deinde etiamsi *Actorum Bosqueti* scriptori, tempora designanti, non magna fides habenda sit cum ob rationes in Bollandianorum *Commentario* videndas, tum quia antiquior, prudentiorque *Riccardianorum* auctor tempo-

ra

ra non designat; in iis tamen, quæ de *juventute, senectute* que Honesti ille dicit, nihil absonum invenietur, modo S. Saturnini adventus non innectatur, ut eruditi critici vellent, anno 250. Hi itaque adversantia sibi habent *Riccardiana, Bosquetianaque S. Firmini Acta*, ut affatim probatum fuit.

47. Ab argumento chronologico ad historicum veniendum est. Ex iis, quæ num. X. et XI. *Actor. Riccardianorum* dicuntur, constat, præfuisse Pompelonensi Ecclesiæ Honestum Presbyterum, quoad impar jam ipse oneri præ multo senio, adjutorem, discipulumque suum Firminum Tolosam misit, ut ab Honorato Saturnini successore, Episcopus consecraretur. Id ipsum etiam referunt *Bosqueti Acta* num. VIII. Hinc autem infero, non posse consecrationem Firmini statui post annum 250, ac multo minus affigendum esse huic anno S. Saturnini in Gallias adventum, utpote multis annis consecratione, atque nativitate etiam Firmini priorem. Si enim post an. 250. statuatur Firmini consecratio, irregularis eadem, et Sacrorum Canonum transgressores dicendi essent tres Sancti Honestus, Firminus, et Honoratus, quod æque foedum dictu, ac facile probatu est. Vere hoc a me dici, omnes intelligent, qui S. Cypriani epistolam LXVIII. *ad Clerum et plebes in Hispania consistentes, de Basilide et Martiale* legant, ut enim legitime electum fuisse Sabinum in locum Basilidis probet, hæc (Africani trigintaseptem Episcoporum Concilii nomine scribens) Cyprianus ait: „Propter quod diligenter de traditione divina, et apostolica observatione servandum est, et tenendum, quod apud nos quoque, et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopus ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, ut Episcopus deligatur plebe præsentem, quæ singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. Quod et apud vos factum videmus in Sabini collegæ nostri ordinatione, ut de universæ fraternitatis suffragio, et de Episcoporum, qui in præsentia convenerant, quique de eo ad vos litteras fecerant, judicio Episcopatus ei deferretur, et manus ei in locum Basilidis imponeretur. Hæc sacrosanta et inviolabilis disciplina, de traditione divi-

na, et apostolica observatione descendens, quæ circa tertii seculi medium in Hispania, Africa, et provinciis fere universis ex testimonio S. Cypriani vigeat, in S. Firmini consecratione servata non fuit: ergo vel violatæ disciplinæ rei fuisse consecrationis participes, vel Firminus Episcopus sacratus fuit sub initium Ecclesiæ, quando nondum illa stabilita erat; neque teneri poterat.

48. Dicit fortasse aliquis, Pompelonensem Ecclesiam, ut Tolosanæ filiam, matris potius, quam alienorum, implorasse auxilium; et vero Pompelone peractam consecrationem non fuisse, quia non pro ipsa consecratur Episcopus Firminus, sed pro gentibus ubique terrarum dispersis. Hoc secundum perperam dici, ex *Actis Riccardianis* jam constat, luculentiusque ex infra dicendis constabit: si autem verum foret, excusandus ad summum Honoratus esset, non tamen Honestus, atque Firminus, qui nihil per id tempus cogitantes de adhibendo remedio languenti gentilitati Galliarum, alteriusve longinquæ regionis, de Pompelonensi sua Ecclesia, brevi orbanda pastore, solliciti erant. Tametsi neque Honoratus ipse, Pompelonensem Firminum Tolosæ consecrans post medium seculi tertii, excusandus esset, quippe divisæ jam tum in provincias erant Hispaniarum, Galliarumque Ecclesiæ, ut ex epistolis LXVII. et LXVIII. S. Cypriani constat, de quibus lib. III. cap. 3. et 5. copiosius disseremus; Pompelonensis autem Ecclesia ante annos circiter triginta a S. Saturnino fundata, Tarraconensis provinciæ omnino erat; neque poterat non dependere ab aliquo hujus Episcopo, si labente seculo tertio nondum habuisse ipsa proprium dicenda sit. Et erat quidem tunc Cæsaraugustæ Episcopus S. Valerius, Diaconi sui S. Vincentii Mart. causa celebratissimus, atque non multis ante annis Felix quoque fuerat, ut ex Cypriani epistola LXVIII. colligitur: Tarraco etiam post medium seculi tertii insignem Christi Martyrem S. Fructuosum Episcopum habuit, de cujus passione sincera Acta adhuc extant. Ergo contributa Pompelonensis Ecclesia esset in Tarraconensem, Cæsaraugustanam, aliamve proximiorē; neque, emancipata jam, ad Tolosanam matrem suam recurrere in gravi negotio poterat sine Episcopi illius injuria, in cujus manum venerat. Et tum is,

tum ceteri Tarraconensis provinciæ Episcopi de Tolosano con-  
questi fuissent non minus, quam Alexandrinus Episcopus S.  
Demetrius de Palæstinis, sine ejus consensu Originem ordi-  
nantibus, ante aliquot annos questus fuerat.

49. Verissimum quidem est, S. Firminum ab Honorato  
Tolosæ Episcopo consecratum fuisse, quo tempore Pompe-  
lonensis Ecclesia triginta circiter annos ab origine sua nume-  
rabat, et quando in Hispania verisimiliter erant nonnulli E-  
piscopi minus, quam Tolosanus, a Pompelone remoti; sed  
id ipsum invicte probat, tam longe sanctissimos illos Viros  
abfuisse a transgrediendis Ecclesiæ regulis, ut ne lata quidem,  
vel certe usu receptæ, ipsæ adhuc essent, cum illi vivebant,  
ideoque sub nascentis Ecclesiæ initiis collocandos eosdem es-  
se. Etenim Ecclesiastica politia subsecuta est ipsam Ecclesiam,  
et quia brevi propagata hæc fuit per multas provincias, ita illa  
per easdem suscepta mox est. Et quidem in Hispania sacrosan-  
ctos canones maturrime fuisse susceptos, intelligi licet ex antiqui-  
tate Ecclesiarum ejus, et ex grandi numero Christianorum;  
quippe S. Irenæo, secundo seculo scribenti, antiquæ ipsæ jam  
tum visæ sunt; et paulo post Tertulliano adeo ingens erat  
Hispanorum Christianorum numerus, ut asserere non dubi-  
taverit, *omnes Hispaniarum terminos* Christum colere. Qua-  
propter mirandum non est, sub medium tertii seculi dixisse  
S. Cyprianum, eam servasse *Hispanos* in consecrandis Epis-  
copis disciplinam, quæ in Africa, et fere per provincias uni-  
versas tenebatur. Neque item mirandum, indicasse satis cla-  
re eundem S. Doctorem, fuisse tunc in Hispania numerum  
grandem Episcoporum in varias provincias contributorum; et  
tamtumdem fere de Christianis, Episcopisque Galliarum signifi-  
casse, ut lib. III. cap. 3. et 5. dicemus. Ne igitur sanctissi-  
mi Viri tamquam violatores sacrorum Canonum traducantur  
ob consecratum Tolosæ Pompelonensem Firminum, et qui-  
dem in Pompelonis Episcopum, eo tempore statuenda ea est,  
quo Canones, consecrationes ejusmodi prohibentes, nondum  
in Hispanis Ecclesiis vigeant, id est, longe ante medium  
seculi tertii, ac prorsus sub primitivæ Ecclesiæ tempora, quan-  
do cæcæ gentilitatis necessitas, et Christiana charitas, integer,  
ut ita dicam, Canonum Codex erant, quem Episcopis, apos-  
toli-

tolicisque Viris exhibebat Ecclesia.

50. Corrobari etiam posset argumentum propositum ex  
iis, quæ num. V. et X. *Riccardianorum Actorum* dicuntur  
de infelici statu, quo sub S. Honesti adventum Hispania e-  
rat, et de Evangelio a S. Saturnino *per loca terrarum spa-  
tiosa ubique in ea diffuso*. Nam consistere hæc neutiquam va-  
lent cum multitudine Christianorum, immo etiam Evange-  
licorum operariorum, seu Episcoporum, qui post medium  
seculi tertii in Hispania erant. Et quia eadem fere ratio de  
Galliis est, tantumdem de ipsarum statu, et de Firmini  
in eis apostolatu ajo. Sed de his aliqua dixi in *annotatis*  
ad num. V. *Actor Riccard.*, et multa dicenda erunt lib. III.  
cap. 3. et 5., quare inde petenda est argumenti demonstra-  
tio. Restat, ut unde eruditi critici luculenter probari putant,  
non admodum multas Ecclesias, Christianosque in Occiden-  
te fuisse ante annum 250, inde nos sub Apostolos floruisse San-  
ctum Saturninum, invicte probemus. Eruditorum criticorum  
argumentum, ut in libri principio, ita in fine juverit esse  
præsens. Sic itaque argumentantur: Cum Sanctus Saturninus  
venit in Gallias, paucæ in his erant Ecclesiæ, paucique  
Christiani, ut sincera ejusdem Sancti Acta testantur; atqui  
advenisse ipsum Decio et Grato Coss. seu anno 250, Ac-  
ta eadem ajunt: ergo lente propagatum fuisse per majorem  
Occidentis partem Evangelium dicendum est, quando in re-  
gione apostolicis viris maxime obvia tam sensim diffusum  
fuit. Affatim demonstratum jam est, claudicare, ut sic dic-  
cam, altero pede criticorum argumentum, qui gratis affin-  
gunt in minori propositione scriptori Actorum, quod non-  
nullorum librariorum vitium dumtaxat fuit. Invertamus ita-  
que pro re nostra argumentum hoc modo: Cum Sanctus Sa-  
turninus venit in Gallias, exiguus in his erat Ecclesiarum,  
Christianorumque numerus: ergo ejus adventus innectendus  
non est anno 250, quando Galliæ, immo etiam remotio-  
res Occidentis provinciæ Christianis erant refertæ; sed sta-  
tuendus sub Apostolorum ætatem, quando non poterat non  
exiguus adhuc esse in plerisque Provinciis Christianorum nu-  
merus. Si consequentiam argumenti nostri probatam vis, le-  
ge duos Libros sequentes: etenim tot sunt probationes e-

jus, tamque ad Religionis nostræ gloriam conducentes, ut non mihi licuerit esse breviori. Nec vero decebat, præcipuum inquisitionum nostrarum caput super mirabili promptaque divulgatione Evangelii in universo mundo perfunctorie tractari, cum ipsius præsertim gratia tam operose inquisierim in S. Saturnini ætatem, ex qua nonnulli eruditi critici inconsulto, ut mihi quidem videtur, consilio dependere faciunt confirmatissimam alterius veritatem. Sed bene est, quod immissum in nos telum in ipsos vertitur, ut jam nunc videbitur.



## LIBER SECUNDUS.

Antiquorum testimonia de celeri propagatione Evangelii.

## CAPUT I.

*Testimonia Sacra Scriptura.*

1. **A** moto jam obice, quem S. Saturnini Acta videbantur ponere, ne antiquorum auctorum asserta de celeri in universo orbe propagatione Evangelii in sensu obvio, ut par erat, intelligerentur, expedito posthac itinere licebit incedere, unaque Christi Crucifixi virtutem, et sapientiam mirari, qui Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitia visus est; verumtamen Deus vel hoc ipso comprobatus fuit, quod mox in toto orbe terrarum innumeri Gentiles, atque Judæi in ipsum crediderint. Neque vero aliter fieri poterat; nam pleni sunt Psalmi, et Prophetarum libri vaticiniis hujusmodi, quæ collecta videri possunt apud Eusebium lib. sec. *Demonst. Evang.* apud Auctorem *De promissionib. et prædictionib. Dei* inter S. Prosperi Opera, apud Huetium, et recentiores alios Auctores. Speciminis instar hæc sunt: *Malachia* 1. v. 11. dicitur, „ Ab ortu . . . solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda. „ *Joelis* 2. v. 28. Effundam spiritum meum super omnem carnem. *Osea* 2. v. 24. Et dicam non populo meo; populus meus es tu: et ipse dicet; Deus meus es tu. *Isaia* 9. v. 2. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis. *Psalm.* 71. v. 8. Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. . . . „ Omnes gentes servient ei. *Psalm.* 21. v. 28. Reminiscetur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ. „ *Psalm.* 67. v. 12. Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa: „

2. Quod autem olim promiserat Deus, id per se ipsum, et per Discipulos suos Dei Filius perfecit, qui docens, benefaciensque omnibus, plurimos ad se sequendum atraxit; et jam jam ascensurus in cælum, Apostolis sic præcepit. Matth. c. 28. v. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes: Marc. c. 16. v. 15. Euntes in mundum uniuersum, prædicate Evangelium omni creatura.* Et quamvis dubitare nefas foret, an Apostoli Christi verbo obedierint, addit tamen mox idem Marcus v. 20. *Illi autem profecti prædicauerunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.* Et Paulus, quo nemo melius de propagata religione edoctus fuit, quippe qui *Apostolus Gentium* constitutus, *Ab Ierusalem per circuitum usque ad Illyricum* repleverat jam *Evangelium Christi*, ut ipse ad Romanos scribit c. 15. v. 19. Paulus, inquam, in hac epist. c. 10. v. 18. non dubitat allegorice de Apostolis exponere Psalmi 18. v. 5. verba: *In omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terra verba eorum.* Capite quoque primo v. 8. Romanos laudans ait: *Fides vestra annuntiatur in uniuerso orbe.* Et in epist. ad Coloss. c. 1. v. 6., et 23. dicit: *in uniuerso mundo . . . et in uniuersa creatura, qua sub cælo est, prædicatum Evangelium fuisse.*

3. Scio, diversas hic esse expositorum sententias, contententibus multis, de incepta ab Apostolis, et ante finem mundi complenda universali propagatione Evangelii intelligenda hæc esse; aliis vero nihil esse asserentibus, cur perspicuis, inque Dei laudem cedentibus, verbis vis inferatur. Nam quod plures gentes hodieque esse dicantur, quibus Fidei lux nondum affulsit, probat id quidem, Evangelicum semen copiosos, diuturnosque fructus non fecisse in ipsis; non vero sparsum nequiquam fuisse. Et certe gravissimi auctores testantur, in Sina, et in America inventa esse satis clara vestigia vigentis inibi quondam Religionis nostræ. Antiqui etiam Patres de hac quæstione tractantes in diversas sententias abierunt, ut videre licet apud P. Suarez *disputatione LVI. tom. II. Commentar. in tertiam partem D. Thoma*, ubi pro more suo docte, erudite, ac subtiliter eam versat, allegatque pro secunda opinione tum laudata modo verba Pauli, tum Chrysostomum homil. 76. in Matth: Theophilact. Eu-

Euthym. Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, et Anselmum; pro prima vero Augustinum, Origenem, Damascenum, Cyrill. Hierosolymitanum, Theodoret. Gregorium M., et S. Thomam. Etsi autem magis ipse probet horum sententiam, pro certo tamen ponit, (quod nobis in præsens sat est) ita fuisse ante Hierosolymitanum excidium propagatam Ecclesiam, ut jam tum in universo mundo prædicatum fuisse Evangelium, per synecdochen dici posset, propter ejus in toto Romano imperio, vel in orbe terræ cognito divulgationem: et id ipsum de Patribus, quos pro se allegat, dicit; Origenes enim, qui tractatu 28. in Matth. ait, *multi non solum barbararum, sed etiam nostrarum gentium usque nunc non audierunt Christianitatis verbum*, infinitam nihilominus Christianorum multitudinem agnoscit, ut deinceps videbimus. Cyrillus etiam, cujus Catechesis XV. allegatur, existimat in ea ipsa, prædicatum jam tum fuisse Evangelium in universo fere mundo. Majus aliquid, et significantius ex Theodoro postea audiemus. Nobis favet, etiam, ut de ceteris Patribus taceam, S. Augustinus, ubique diffusum ab Apostolis Evangelii sonum, sæpissime asserens; tametsi stricte id accipi non vult, et Hesychio, Salonitano Episcopo, qui secundam, de qua modo dicebam, sententiam defensabat in epistola ad ipsum (inter Augustinianas editionis Venetæ an. 1570. septuagesima nona) rescribens epist. 80. non modo primam tenet, sed asserit etiam, esse *in Africa barbaras innumerabiles gentes, in quibus nondum esse prædicatum Evangelium ex iis, qui ducuntur inde captivi, et Romanorum servitiis jam miscentur, quotidie nobis addiscere in promptu est.* Sed venerabilis Beda, etsi alias totus Augustinianus, pro Hesychii opinione contra Augustinum stat, cum exponens verba Psalmi 18. *In omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum*, sic ait: *Sonus prædicationis ipsorum Apostolorum exiit a Judæa perveniens in omnem terram, id est, in omnes partes terræ, et etiam in omnes angulos partium, quia verba eorum in omnes fines orbis terræ pervenerunt.*

4. Sed verisimilior per me credatur prima sententia, modo nemo abutatur ea ad coercendam Ecclesiam intra illas provincias, quæ ex sacris literis, aut cœvis auctoribus, sus-

cepisse jam a primo seculo fidem, noscuntur. Extrema enim laboramus inopia scriptorum primi seculi; Apostolorum vero Actus, Epistolæ canonicæ, et Apocalypsis ne unum quidem verbum faciunt de prædicatione longe maximæ partis Apostolorum, Discipulorumque Domini. An quia nihil memoria dignum fecerunt? Immo vero cum Prophetarum vaticinia, Jesu Christi præceptum, et Marci, Paulique testimonia, modo adducta, ideam nobis ingerant diffusissimæ, ac plane catholicæ Ecclesiæ, existimare licet, eorum conciones similes fuisse illis Petri, in quibus Actor. c. 2. v. 9. 41. et c. 4. v. 4. *Erant viri ex omni natione, quæ sub cælo est, Parthi, et Medi, et Elamitæ, et qui habitant Mesopotamiam, Judæam, et Cappadociam, Pontum, et Asiam, Phrygiam, et Pamphiliam, Ægyptum, et partes Lybiæ, quæ est circum Cyrenem, advena Romani, Judæi quoque, et Proselyti, Cretes, et Arabes*, quorum nunc tria, nunc quinque millia crediderunt. Existimare, inquam, licet, eorum labores itinera, et pro regno Christi dilatando sollicitudinem non fuisse absimilia laboribus, itineribus, et sollicitudini Petri, ac Pauli, quorum Lucas in Actibus meminit; instarque illius curæ fuisse, quam Joannes pro Asianis, et Parthis; Jacobus vero pro duodecim Tribubus, quæ per universum orbem dispersæ erant, habuerunt. Quod enim Paulus I. ad Corinth. c. 9. v. 16. dicebat: *Si evangelizavero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit, ut enim mihi est, si non evangelizavero, id, opinor, Apostoli omnes dicebant.*

5. Ut autem evidentius appareat, voluisse Deum, copiosissimam mox sibi Ecclesiam parare, consideranda est opportuna providentia ipsius tum in Romani Imperii amplificatione, tum in Judæorum stupenda dispersione; nam facilius sic fiebat prædicatorum accessus ad omnes gentes. Ad hæc cessare passim voluit Idolorum oracula, quibus miseri homines in idololatria maxime detinebantur: contra vero Apostolos suos Spiritu Sancto replevit, et vaticinandi facultate, potestate in Dæmones, linguarum peritia, transferendi montes, curandi morbos, suscitandi mortuos, mortifera quæque innoxie bibendi virtute decoravit. Neque Apostolos so-

los

los divinis his muneribus replevit; sed voluit etiam (Act. 2. v. 17.) novissimis his diebus effundere de Spiritu suo super omnem carnem, et juvenibus visiones, senibus somnia, servis et ancillis prophetiam tribuere, et quidem tam affluenter, ut credentes in Christum eadem, quæ inter homines Christus ipse conversans fecerat, imo majora opera facerent. Ut autem in locupletandis multis beneficus, sic largus in loco, et tempore visus est; nam durabant illa miracula secundo tertioque seculo in Oriente, Ægypto, Græcia, Italia, Gallia, atque Africa, ut ex Justino, Irenæo, Tertulliano, Origene, Cypriano, et Eusebio discimus. Providit quoque benignissime Deus, ne portæ Inferi, terrenæve potestates adversus Ecclesiam prævalerent; quin potius sic statuit, ut sanguis martyrum semen esset Christianorum. Quasi vero levia hæc forent, potentiora alia ad augendam Ecclesiam illicia adhibuit, quippe Christianorum antiquiorum innocentia, et sanctitas ita gentilium oculos percellabant, ut nulla re magis, testibus laudatis modo apologistis nostris, credentium numerus augetetur. Mitto supernaturales, internasque gratias, quas is, qui de cælo pro salute omnium descenderat, large omnibus impertiebat; nam quo pacto auxilia, sine quibus cætera nihil prodessent, negaret, qui in extraordinariis, minusque necessariis largissimus erat? Quæ cum ita sint, non admodum miror, exclamasse aliquando Gentiles: *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos: Actor. 14. v. 16. et vix illos contineri potuisse ab Apostolis, ne sibi immolarent. Si enim Apollonius Tyanzus, et Simon Magus, hypocrisi sola, atque præstigiis utentes, illudere populos sic potuerunt, ut statuz, honoresque divini ipsis decernerentur; quanto majorem populorum commotionem fuisse credemus, cum non unus vel alter illusor, sed duodecim Apostoli, et septuaginta Discipuli Christi, Spiritu Sancto repleti, perque orbem terrarum dispersi sanctissimas Religionis Christianæ leges tum verbis divinis, admirabilique vitæ innocentia persuadebant, tum inauditis prodigiis verissimas atque ab omnibus amplectendas probabant?*

6. Generalia ista esse, atque nemini non nota, dicet aliquis. Ita est; verum ipsa huc afferenda putavi, quod plu-

rimos

K

rimos inter eruditos criticos nunc esse videam, qui infirmis quibusdam conjecturis, ex *S. Saturnini Actis* præsertim desumptis, tantum deferunt, ut illorum vel obliti, vel, quasi nihil determinantium, parum solliciti, non vereantur, lucernam fidei in Occidente sub modio tenere ad usque seculi tertii medium. Non equidem probo majorum nostrorum plures, ex qualibuscumque chartis Ecclesiarum fere omnium origines ad Apostolos referentes: sed minus probare queo criticos recentiores, ex futilibus conjecturis, negativisque argumentis easdem ad seculum tertium, vel quartum passim trahentes. Nam etsi considerare illi debebant, vanos sæpe esse rumores vulgi, frequentesque impostorum fraudes; veniali tamen errore peccarunt, quum de celeri Evangelii propagatione probe docti, facilius crediderunt, quod aliunde verisimile videbatur, quodque in Dei laudem in primis cedebat. At recentiores critici prudenter quidem mente retinent Ecclesiastici monitum cap. 19. v. 4. *Qui credit cito, levis corde est*: sed insectandi fabulas ardore abrepti, ad intolerandam hyperbolem Scripturæ Sacræ, ac Sanctorum Patrum verba constringunt; et dummodo ambitiosi non appellentur, vetustæ professionis Christianæ gloriam, quam religiosissimi quique magni faciunt, negligere pene videntur. Hæc vere a me dici, ex iis, quæ sequentibus capitibus afferentur, planum fiet. Sed prius transcribere volo ex libro *LI. Adversariorum* Gasparis Barthii integrum Caput XIV. ubi celebratissimus hic criticus refutat argumentis ex re ipsa petitis eos, qui negant, per orbem universum ab Apostolis sparsam doctrinam Evangeliorum. A catholicis quidem Scriptor est, sed vel hoc ipso suffundi magis rubore Catholici illi queunt, qui de mortis Christi triumpho abjectius sentire videntur. Sic itaque ratiocinatur.

7. „Cum ridicula plurima, et futilia omnia sint, quæ  
 „ sacra Veritatis Historiis, et successibus ab hominibus pro-  
 „ fanis, animo maligno magis quam rerum ordinis studioso,  
 „ opponuntur; tum in sese ipsis considerata, plerumque re-  
 „ futationem suam secum ferunt. Sic cum Apostolos Veri-  
 „ tas testetur omnem orbem docturos, et imbuituros (*fort.*  
 „ imbuturos) doctrina salvifica, ecce tibi homines inanes sa-  
 „ crarum cogitationum, qui metiri itinera eorum, et doc-

tri-

„ trinxæ exspersæ spatia iis locis audent circumspicere ( *f. cir-*  
 „ cumscribere ) quibus corporibus suis præsentis divini doc-  
 „ tores affuerunt. At quam inepta res sit non cursum doctri-  
 „ næ potius, quam viam pedum eorum, qui eam disseruerunt,  
 „ observare, et attendere, non argumentis adscitis docendum  
 „ est, sed ex re ipsa apparet. Statuas enim, sodes, apud ani-  
 „ mum tuum, adesse in Germaniam nostram hominem plane  
 „ inusitatum genus doctrinæ, imo novum omnino, et nulli  
 „ cognitum vel auditu Numen, novam omnino Vitam inferre,  
 „ et docere, et secundum ea, quæ doceat, non vivere so-  
 „ lum, sed eadem confirmare miraculis supra omnem fidem,  
 „ opinionem, et famam eum efferentibus, ut divina omnia  
 „ ei adsint, Contemptus Opum, et Honorum, quæ vel sola  
 „ res mirifice animos populi percellit, et in admirationem du-  
 „ cit, Parsimonia victus, Morbos sanet non attactu solum,  
 „ sed et umbra sua, sed et sudariis, et indusiis corporis sui  
 „ sordes redolentibus; an tu Famam, et doctrinam ejus iis  
 „ solis oppidis, et locis hæsuram autumabis, quibus præsens  
 „ adfuerit ipse? Nec uno putas octiduo omnes Antistites,  
 „ Sacerdotes, sacrificos, omnes denique Medicos, omnem  
 „ populum res ejus, et doctrinam ita percepturum, ut invi-  
 „ tus etiam ipse non possit ullum mortalium totis regionibus  
 „ latere; quod ipsum Christo ipsi Domino nostro contigisse  
 „ clamat sacra ejus rerum gestarum Historia; ut non solum  
 „ oppidatim, sed per pagos etiam universos infinita multitu-  
 „ do ad eum concurrerit. Hæc, et alia, quæ hinc deducun-  
 „ tur, cum non videnda oculis, sed palpanda prorsus mani-  
 „ bus objiciantur, audent tamen homines absurdæ impietatis  
 „ poscere velle impletionem, ut ajunt, dictorum eorum.  
 „ quibus Apostoli per omnem mundum spargere doctrinam  
 „ celestem jubentur. Præterea cum in urbem aliquam Spiri-  
 „ tu Dei pleni homines venissent, parvo velut fomite cœle-  
 „ stis doctrinæ reperto, ignem injecerunt eum, qui infinita  
 „ hominum pectora incenderet, qui mox congregati, et usu  
 „ rerum mundanarum prorsus se abdicantes, cum collegia  
 „ quædam servarent Pietatis, quot putas discipulos quotidie  
 „ ascivisse, quot indigenas? quot peregrinos? quot studio-  
 „ sos legis? quot Rationis bonæ? Hi porro nequaquam otio-

R 2

„ Si,

„ si, operante nimirum Numine, quod in ipsis erat, plurimo-  
 „ rum Salutem, sparserunt vulgo infinitis locis trans ma-  
 „ ria, et terras tam novæ, tam præsentis, tam divinæ  
 „ doctrinæ felicitatem. Præcipue cum eo modo procedere  
 „ divina Bonitas coelestem doctrinam vellet, ut statim initio  
 „ audita Concione aliqua Apostolorum non solum verterentur  
 „ in amplexum veritatis toti greges mortalium, verum etiam,  
 „ illico postquam baptissati forent, et ipsi induerentur iis vir-  
 „ tutibus, quibus præditi Doctores omnem mundum in admi-  
 „ rationem suam rapiebant. Et non minori postea virtute spar-  
 „ gebant doctrinam salvificam, redeuntes quandoque et Apo-  
 „ stolis cum exultatione referentes, quanta effecissent, ut vi-  
 „ des Act. XIX. Suscipiamus exempli gratia historiam prædi-  
 „ cationis Gentium Doctoris, qui exemplo adeo nobis a B.  
 „ Luca propositus videtur, cum in Actibus Apostolorum hu-  
 „ jus potissimum vitam describat, ut ceterorum res gestas hu-  
 „ jus narratione intelligere disceremus, et effectus Dei gene-  
 „ rales in sparsione salvificæ doctrinæ, hujus successibus ap-  
 „ plicare. Is universam Asiam sapientia cælesti sua oppletu-  
 „ rus, Nobilissimum Joniæ Emporium, Ephesum proficisci-  
 „ tur. Veniens illuc non reperit quemquam sanæ doctri-  
 „ næ, ut decebat, conscium. Duodecim soli homines illic  
 „ erant Baptissati ad doctrinam Joannis Baptistæ, hos ille ve-  
 „ ra inbuit Salutis intelligentia, infert deinde se Synagogæ Ju-  
 „ dæorum, eis palam veritatem adnunciat. Non cessant inte-  
 „ rim signa, et sequentes prædicatam Virtutum divinarum ef-  
 „ fectus. Infinita agmina ægrotorum et desperatæ valetudinis  
 „ hominum, non verbis ejus tantum, non nutibus, sed vesti-  
 „ mentis agris corporibus impositis, et adhibitis sanantur.  
 „ Quanto tu reris uno octiduo rumore Joniam de tali homine  
 „ oppletam fuisse? At ille locum eum commodum agnoscens,  
 „ non mensem unum illic aut alterum, sed integrum bienni-  
 „ um præstolatus est, et currentis cælestis Sapientiæ fontem,  
 „ per universam, ut B. Lucæ cap. XIX. Actuum recensio  
 „ est, Asiam innumerabilibus rivis derivavit. Sic eo biennio  
 „ non potest esse dubium, nobilissimam, et populosissimam  
 „ orbis terrarum partem omnibus angulis, omnibus cathedris, et  
 „ Scholis, oppidis, et pagis, tam divinam doctrinam combibisse

„ om-

„ omnes in ea mortales, qui modo aurem publicæ Famæ, et  
 „ omnium hominum admirationi non sponte et dedita opera  
 „ subtraherent. Ad hanc rationem si ceterorum etiam Apo-  
 „ stolorum, quorum omnium, ut dixi, Paulus instar habet,  
 „ prædicationem consideraveris, non tibi narrationum seriem,  
 „ sed te ipsum deesse percipies, qui dubitare velis de talibus  
 „ rebus, quales nequaquam non omnem dubitationem exclu-  
 „ dunt, modo intra ipsas velis eas contemplari, quæ utique  
 „ ullo non loco etiam Rationi humanæ doctrinæ divinæ certi-  
 „ tudinem probant, modo ne animo averseris eam, qua con-  
 „ stant omnia, quæ humanum captum superant, Fidem vide-  
 „ licet, quam ubi rebus perspicue veris, quæque tales esse ex  
 „ sese ipsis, et tuo te proprio insuper testimonio, devincunt,  
 „ applicare non vis, sane Deo te ipsi, et hominibus omnibus  
 „ sani capitis, te ultro in perniciem tuam, tibi etiam nullo modo  
 „ ignotam, opponis. Accedit huic Evangelii per omnes pro-  
 „ vincias prodeunti publica Pax in Imperio tum Romano di-  
 „ vinitus ei doctrinæ præparata, quæ non armis, sed patientia  
 „ injuriarum, morte innumerabilium testium conturbatura erat  
 „ Regnum Diaboli, excussura mentibus Antiquum inde ab  
 „ exordio mundi errorem: Novo Spirituali Regno plantando  
 „ in animis hominum, ut præsentia omnia contemnent, contra  
 „ sensus suos Spe et Fide niterentur. In quali omnino ratio-  
 „ ne Veritas tot Philosophis frustra quæsita latebat., Hacten-  
 „ us Barthii ratiocinatio, gravitatis bonique sensus magis, quam  
 „ elegantix perspicuitatisque, plena.

## C A P U T I I.

*Scriptorum primi et secundi seculi testimonia de celeri  
 Evangelii propagatione.*

8. **E**usebius lib. 3. Hist. cap. 31. edit. Christophorsoni de  
 Evangelistis, seu Prædicatoribus, qui Apostolis suc-  
 cesserunt, disserens, Sanctosque Ignatium, et Quadratum lau-  
 dans, hæc addit: „ Et præter istos alii complures erant eadem  
 „ ætate percelebres: qui quidem et Apostolis proxime succes-  
 „ serunt, et tanquam Discipuli tantorum, et tam insignium

„ vi-



virorum eximia, et divina virtute decorati, Ecclesiarum fun-  
 damentis, ab Apostolis ubique locorum præclare jactis,  
 structuram concinnam illam quidem adjunxerunt: qui et  
 plenius cumulatiusque amplificaverunt prædicationem verbi di-  
 vini, et salutaria regni cælorum semina fuse lateque per  
 universum orbem disseminarunt. Etenim plerique omnes  
 Discipuli, qui eo tempore vixerunt, ardentiore cœlestis sa-  
 pientiae studio amoreque incensi, et præ quodam divi-  
 ni verbi desiderio animis perculsi, præceptum Servato-  
 ris antea traditum exquisite executi sunt: et his qui indi-  
 gebant, facultates suas libenter impertierunt. Deinde a do-  
 miciliis suis peregre profecti, munus obierunt Evangelista-  
 rum, atque iis, qui ne adhuc quidem omnino verbum fi-  
 dei audivissent, Christum prædicare, et Scripturas sancto-  
 rum Evangeliorum tradere omni cura, et cogitatione stu-  
 duerunt. Qui cum in locis quibusdam peregrinis fidei fun-  
 damenta, pastoresque alios constituissent,  
 usque curam eorum, qui ad fidem nuper erant adducti,  
 doctrina Christi sedulo excolendorum commisissent, ipsi ad  
 alias regiones, gentesque cum gratia et virtute divina se  
 contulerunt. Quippe virtutes permultæ admirabiles, et mi-  
 racula sacrosancti Spiritus ope per eos ad id usque tempo-  
 ris gerebantur: ita ut frequens hominum multitudo ipsa  
 prima prædicationis auditione persuasa, propenso studio pie-  
 tatem et cultum, qui Deo omnium rerum opifici soli de-  
 betur, animis exciperet, complectereturque. En quinam,  
 Eusebio teste, fidei fundamenta per universum orbem jecerunt,  
 quinam vero divinum ædificium perfecerunt, atque amplifica-  
 verunt. Rectissime autem judicasse Eusebium, consimilia om-  
 nium fere Patrum testimonia, quæ subjicio, luculenter pro-  
 babunt.

9. S. Clemens Papa, et Martyr in epist. ad Corinthios,  
 ab antiquis Patribus sæpe laudata, et tanquam legitima ab e-  
 ruditis criticis admissa, ait S. 5. de Paulo Apostolo: *In Ori-  
 ente, ac Occidente verbi præco factus, illustrem fidei sua fa-  
 mam sortitus est, in justitia mundum universum instruens, et  
 ad Occidentis penetrans terminos* (καὶ ἐπὶ τὸ τέρας τῆς δύσεως  
 ἔλθων). S. Hermas, quem Paulus Apostolus in ep. ad Rom.

salutat, auctor fuisse creditur Operis *Pastor* inscripti, quod  
 tanti olim factum fuit, ut publice in Ecclesiis legeretur, imo  
 sacris Scripturis accenseretur a multis; quare, licet ipsum a-  
 pocryphum dixerit Gelasius Papa, et nævos in eo aliquos e-  
 ruditi passim agnoscant, in cæteris tamen, quæ hæreticæ adul-  
 terationis suspitione carent, auctoritatis magnæ esse, nemo  
 negaverit. *Pastor* itaque lib. 3. *similitudine* 9. de lapidibus  
 ad Ecclesie ædificium electis agens, sic ait: *Hi duodecim mon-  
 tes, quos vides, duodecim sunt gentes, quæ totum obtinent or-  
 bem. Prædicatus est ergo in eis Filius Dei per eos, quos ipse  
 ad eos misit. . . . Ha duodecim gentes, quæ totum obtinent or-  
 bem, duodecim nationes sunt. . . . Universæ nationes, quæ sub  
 calo sunt, audierunt, et crediderunt, et uno nomine Filii Dei  
 vocati sunt.* S. Ignatius Antiochenus Ep. et Martyr cap. 4.  
 epist. ad Philadelphios, quæ una e septem ab eruditis recep-  
 tis est, ait: *Unum baptismum, et una Ecclesia, quam suis su-  
 doribus et laboribus fundarunt Sancti Apostoli a finibus terra  
 usque ad fines in sanguine Christi.*

10. S. Justinus Philosophus, et Martyr Apologiam pri-  
 mam pro Christianis, quæ olim secunda appellabatur, circa  
 annum 150. obtulit Imperatori Antonino Pio, ejusque filiis  
 adoptivis M. Aurelio, et Lucio Vero, ac ipsi etiam Senatui,  
 Populoque Romano: declarat vero in ipso titulo, se eam  
 conscripsisse, *Pro iis, qui ex omni hominum genere vocati,  
 præter æquum odio habentur, et vexantur.* Postquam autem in  
 prima parte probavit, non debere, indicta causa, Christianos  
 damnari, et vitæ ipsorum innocentiam ostendit; ad demons-  
 trandam veritatem religionis Christianæ ex adimplerione va-  
 ticiniorum venit, sic præfatus num. 30. *Jam demonstrationem  
 instituemus, non dicentibus credentes, sed futura, antequam fi-  
 ant, prædicentibus necessario fidem habentes, eoquod ipsis oculis  
 ita, ut prædicta fuerant, evenisse, et evenire videamus: quæ  
 sane demonstratio vobis quoque, ut arbitramur, maxima, et ve-  
 rissima videbitur.* Tum num. 31. narrat, quomodo sub Pto-  
 lomæo Ægyptiorum rege Sacra Scriptura græce reddita fuerit,  
 et ait: *Præannuntiatum reperimus, Jesum Christum . . . esse, et  
 vocari Filium Dei, et nonnullos ab eo mitti ad omne hominum  
 genus, qui hæc prædicent.* Et num. 32. adducta in medium

prophetia, *Non deficiet princeps e Juda, neque dux e femore ejus, donec veniat, cui repositum est, et ipse erit expectatio gentium*, ita prosequitur: *Vestrum est igitur accurate inquirere, et pernoscere quoadusque Judæis suus fuerit proprius princeps et rex, nimirum quoad apparuit Jesus Christus. . . Illud autem: Ipse erit expectatio Gentium, significabat fore ex omnibus gentibus, qui eum denuo venturum expectarent. Quod quidem vobis licet cernere, et rei experientia credere. Ex omni enim hominum genere expectant illum in Judæa Crucifixum, post quem statim bello capta Judæorum terra vobis tradita est. Alia multa vaticinia, quæ completa jam esse dicit, pergit adducere, et in iis nonnulla sunt numm. 39. 40. 41. 42. 45. 49. et 50. quæ de prædicatione Evangelii ubique, et in omnibus gentibus agunt. Et id quidem considerandum illis esset, qui Scripturæ Sacræ testimonia, et prophetias de prædicando ubique Evangelio ante finem mundi duntaxat complenda esse volunt, ut capite præcedenti vidimus. Nam Justinum certe adversarium habent, qui de impletis illis nihil hæsitans, acturusque de resurrectione mortuorum, et secundo Christi adventu, sic orditur numerum 52. *Quoniam igitur quæ evenerunt, jam omnia ostendimus prædicta, antequam evenissent, per Prophetas fuisse; necesse est, et ea, quæ similiter prædicta sunt, ac aliquando evenient, omnino eventura credere. Et num. 53. Quomodo enim homini crucifixo crederemus. . . nisi testimonia de eo, antequam homo factus veniret, prædicata inveniremus, eaque eventu confirmata videremus? Judæorum terra vastitatem, ac eos, qui ex omni hominum gente illius Apostolorum doctrina credidere, et vetera, in quibus opinionis errore versabantur, instituta aversati sunt, nimirum nosmetipsos inventes, ac plures ex gentibus, et veriores, quam ex Judæis, et Samaritis, Christianos esse perspicientes? Tandem num. 56. ait: *Satis autem pravis demonibus non fuit, antequam Christus apparuisset, filios illos inducere, qui ex Jove geniti dicuntur; sed postquam ille prodiit, atque inter homines versatus est, cum, et quomodo a Prophetis prænuntiatus esset, didicissent, ac illum in omni hominum genere credi, et expectari cognoscerent, rursus, ut jam demonstravimus, alios impulerunt, Simonem, et Menandrum Samaritanos. &c.***

11. Hæc fusius describere volui, quod ii, qui ad usque seculi tertii medium paucos fuisse, in Occidente præsertim, Christianos contendunt, nihil in Justini Apologia invenisse videntur opinioni suæ adversum. Sed qui adducta testimonia perpendat, multo autem magis qui laudatam Apologiam attentè legat, non poterit non fateri, Justinum persuasissimum habuisse, Religionem Christianam ita jam tum divulgatam in universo orbe, tantaque aviditate passim susceptam, ut Romani Imperii Principes, quos hujusmodi nihil latere poterat, agnoscere vel inviti deberent, completa esse vaticinia antiqua de evangelicæ tubæ sono in omnem terram diffundendo. Quia vero in *Dialogo cum Tryphone Judæo* exaggeratius, ac distinctius loqui Justinus videtur, quid dicat, et quomodo verba ejus recentiores critici exponant, modo videndum est; sed præmonere lectores volo, plurima alia in laudato Dialogo testimonia esse, in quibus idem generalibus verbis dicitur, quæque consistere nullo modo queant cum recentiorum expositione. Libenter hic cuncta describerem, si legentium fastidio non deterrerer; indicabo itaque solum numeros, quos in Veneta editione S. Justini anni 1747. tenent. Vide num. 41, 42, 52, 53, 83, 91, 110, 118, 119, 120, 121, 131.

12. Ergo unicum, quod sibi ex Justino adversarii nostri testimonium opponunt, num. 117. exstat, ubi sacrificium Eucharistiæ a Christianis in omni terrarum loco offerri, ait, juxta Malachæ prophetiam *Et sacrificia vestra non suscipiam de manibus vestris: quoniam ab ortu solis usque ad occasum nomen meum glorificatur in gentibus: vos autem profanatis illud.* Quia vero Judæi contentionis studio dicebant, non accepisse Deum Israelitarum, Hierosolymis tunc commorantium, sacrificia; eorum autem preces, qui eo tempore ex illo genere in dispersione erant, gratas sibi esse dixisse, et ipsas sacrificia vocasse: Equidem, respondet Justinus, *preces et gratiarum actiones, quæ a dignis peraguntur, sola esse perfecta et Deo accepta sacrificia, et ipse pronuntio. Hæc enim Christiani quoque sola peragere didicerunt, etiam in recordatione alimonia sua sicca et liquida, in qua etiam passionis, quam Filius Dei propter eos pertulit, recordantur. . . Quod autem et ipsi vos decipitis, et magistri vestri, dum scripturam sic interpretamini, quasi*  
de

de dispersis vestri generis hominibus dicat, eorum preces et sacrificia in omni loco pura et accepta esse; agnoscite vos mentiri, et operam dare, ut in omnibus vosmetipsos decipiatis: primum quidem, quia ne nunc quidem ab ortu solis ad occasum diffusum est genus vestrum, ac gentes videre est, in quibus nondum quisquam vestrum habitavit. Nullum enim (græce ἄδ εἰς ἅπαντα nullum vero) omnino genus est, siue Græcorum, siue Barbarorum, siue quolibet nomine appellantur, vel Hamaxiobiorum, qui in plaustris habitant, vel Nomadum, qui domibus carent, vel Scenitarum, qui pecora pascentes habitant in tentoriis, nullum, inquam, ejusmodi genus est, in quo non per nomen Crucifixi Jesu preces, et gratiarum actiones Patri, et Creatori universorum fiant. Deinde &c.

13. Maurini Editores in nota ad hunc locum Justini verba ex aliis similibus Hermæ, Irenæi, Tertulliani, et Lactantii confirmant. Sed hæc Justini, inquiunt, et aliorum testimonia nimis præfracte sumi non debent. Nam Origenes tract. 28. in Matth. multas esse nationes fatetur, quæ nondum Evangelii lucem receperint. Ipsos Judæos, quos Justinus in omnibus locis versari negat, Rex Agrippa apud Josephum 2. de bello Judæico ita in omnes regiones diffusos esse ait, ut nulla gens sit, in qua non aliqua pars Judæorum reperiat. Non displicet mihi hæc observatio, si ad ipsam rem referatur; sed dubito, an Justini menti consona satis sit. Nam si ipse nolebat, nimis præfracte sua verba intelligi, non debebat, Judæorum verba nimis præfracte accipere. Veri itaque similis est, existimasse Justinum, apud omnes omnino gentes Christianorum religionem vigere. Neque vero temere hanc opinionem induisse dicendus est, nam magnam orbis terræ partem peragravit, ingentemque eruditionem acquisierat, neque tamen ullam hominum nationem noverat, quæ Christi legem penitus ignoraret. Prudenter itaque sibi persuaserit, prophetias de apostolicæ vocis sono in omnem terram exituro ad litteram accipiendas esse. Quin ipse Trypho, hujusque socii Judæi, qui in aliis Justini verbis cavillari volebant, hæc probari sibi indicant, dum tanquam vana, et gloriosa non respuunt.

14. Bollandiani tom. 4. Octob. in vita S. Dionysii Parisiens.

siens. Ep. S. 3. Comment. prævii, ajunt, ex citatis Justini verbis solum inferri, fuisse tunc aliquos in singulis nationibus, qui Deo Patri per Jesu Christi nomen supplicarent, non tamen inde sequi, fuisse apud easdem gentes Ecclesias Episcopales, vel etiam Parœciales ab inferioris ordinis sacerdotibus directas. Sed non videntur eruditi viri considerasse integrum locum Justini, qui Malachiæ prophetiam compleri dicit per Eucharistiæ Sacrificium, quo Deo Patri per Jesu Christi nomen in omnibus omnino gentibus Christiani supplicant. Ergo inferioris saltem ordinis Sacerdotes ubique fuisse, Justinus credebat. An autem Episcopi etiam fuerint, aut multi numerarentur Christiani, non hic inquirō. Laudati Bollandiani, qui sub tertii seculi medium paucos in Galliis Christianos, vixque unum et alterum Episcopum fuisse volunt, levissima solum Christianæ religionis vestigia apud remotas barbarasque nationes sub medium seculi secundico-guntur admittere. Verum utrobique ipsos falli, tum ex iis, quæ de S. Saturnino libro superiori, tum ex modo dictis de S. Justino, satis constat, opinor.

15. De S. Polycarpi martyrio, quod ante alterum S. Justini contigisse creditur, præclaram Epistolam Smyrnenis Ecclesia scripsit ita inscriptam: Omnibus, quæ ubique sunt, sanctis Ecclesiis Catholicis. Tum num. 8. S. Polycarpus dicitur, Totam Ecclesiam Catholicam per universum orbem dispersam precibus Deo commendavisse. Generalia quidem hæc verba sunt, sed quæ contemni tamen non debent, quando per distinctiora alia ipsorum significationem intelligimus. Hujusmodi est Bardesanis testimonium, qui antequam in hæresim laberetur, laudatissimum conscripsit. De fato Dialogum ad Antoninum Imperatorem, cujus particulam ex Eusebii lib. 6. c. 8. Præparat. Evang. affert Baronius ad ann. 175. num. 20. et 21. Sic itaque Bardesanes in eo quærit: Quid autem dicemus de Christianorum secta, qui in omni parte orbis, imo vero in omni civitate inveniuntur? Dein Christianos Parthos, Medos, Persas, Bactrianos, Gallos, et Ægyptios distincte laudat: ut non immerito cum Baronio post hæc dicamus, illud plane observatione dignissimum, non fuisse hoc tempore in orbe provinciam, imo nec civitatem, in qua non essent Christiani. Qui

libros octo *Constitutionum Apostolicarum* S. Clementi Papæ abjudicant, fatentur nihilominus, vulgatos fuisse secundo seculo, antiquissimamque Ecclesiæ faciem in eis videri. Quare nemo nos reprehendet, si inde etiam amplitudinem Ecclesiæ ante finem secundi seculi colligamus. Consulantur itaque lib. VI. cap. 18. et 25. lib. VII. cap. 31, 34, 36, et 44. lib. VIII. cap. 12. et 18. in quibus Ecclesia dicitur *Catholica, Œcumenica, diffusa a finibus usque in fines*. De Apostolis autem asseritur, *ubique, in toto orbe terrarum, in singulis civitatibus* munus suum exercuisse. Ad hæc evenisse Judæis malum, quod timebant, quando, nisi Christum occiderent, omnes credituros in eum, dicebant; *Nam in eum gentes crediderunt: ipsi in omni regione orbis terræ precum et orationis offertur incensum: et odor cognitionis Evangelii in omnibus gentibus suavis factus est*. Animadversioneque dignum videtur, hujusmodi formulas reperiri potissimum in septimo et octavo libro, ubi Liturgia antiqua continetur.

16. Ut in S. Justino, sic in S. Irenæo frequentissimæ sunt formulæ, quibus Ecclesia dicitur *ubique, in universo mundo, ab ortu solis ad occasum diffusa*; quare nihil attinet congerere testimonia, quæ in ipsius libris quinque *adversus hæreticos* mox legentibus occurrunt. Sed quia adversarii patum curant generalia hujusmodi verba, consideranda sunt, quæ magis speciatim idem dicit sub ipsius disputationis initium. Postquam capite primo late exposuerat portentosam doctrinam Valentini discipulorum, ipsi opponit cap. secundo fidem catholicam, quam Ecclesia, inquit, *per universum orbem usque ad fines terræ seminata, et ab Apostolis, et a Discipulis eorum accepit*. Tum cap. tertio ita prosequitur: *Hanc prædicationem cum acceperit, et hanc fidem, quemadmodum prædiximus, Ecclesia, et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans. . . Nam etsi in mundo loquæ dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una, et eadem est. Et neque hæc, quæ in Germania sunt fundatæ Ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt; neque hæc, quæ in Hiberis sunt; neque hæc, quæ in Celtis; neque hæc, quæ in Oriente; neque hæc, quæ in Ægypto; neque hæc, quæ in Libyâ; neque hæc, quæ in medio mundi sunt constituta: sed sicut*

*sicut Sol creatura Dei in universo mundo unus, et idem est, sic et lumen, prædicationis veritatis ubique lucet, et illuminat omnes homines, qui volunt ad agnitionem veritatis venire*. Denique his verbis claudit caput quartum, *Ecclesia universa unam, et eandem fidem habet in universo mundo, quemadmodum prædiximus*.

17. Per Hiberos, Celtasque intelligendos esse Hispanos, et Gallos, certum videtur; tametsi de Celtis dubitatio aliqua esse posset, quia hoc nomine solos Lugdunensis provinciæ populos Cæsar in *Commentariis* appellat; sed Græci Gallos omnes Celtarum, Galatarumque appellatione indicant, quorum usum loquendi Irenæus, Græcus ipse, græceque scribens, sequi credendus est. Bollandiani paulo ante citati late disputant de hoc testimonio adversus eos, qui multas Ecclesias, et Episcopos fuisse jam tum in Galliis inde inferunt. Necessaria quidem hujusmodi illatio non est, neque Irenæus mendax dicendus foret, si præter ipsum, qui Lugdunensis Episcopus erat, unus, vel alter inferioris ordinis Sacerdos paucorum Christianorum parocciæ præfectus, in universa Gallia fuisset duntaxat. Verum probabilis ne est exilis isthæc interpretatio verborum? Probabilissima Bollandianis videtur, ipsamque confirmant ex Eusebio *Hist. lib. 5. cap. 23. et 24.* ubi de controversia, occasione Paschæ inter Asianas Ecclesias, et Victorem Papam exorta, agens, dicit, scripsisse Irenæum ad Victorem *ex persona fratrum in Gallia, quibus præerat*, tum pro celebratione Paschæ die dominico, tum pro retinenda inter dissentientes concordia. Sic itaque argumentantur. Non est credendum, Episcopos ceteros, si plures fuissent, nullas partes in hac controversia egisse, vel illaudatos relinquendos ab Eusebio, qui, Concilia in aliis provinciis celebrata commemorans, fere semper *Episcoporum Concilia* ipsa appellat. Unicus ergo tunc Irenæus Episcopus Galliarum, vel certe perpauca fuisse videntur; neque audiendus auctor *Libelli Synodici*, qui tredecim Episcoporum Concilium in Gallia tunc habitum laudat, nam anonymus ipse est, et seculo nono scripsit.

18. Nihil attinet in dissolvendis his immorari, quando ipsi, qui ea opponunt, ingenue fatentur, cogi se ita exponere.

nere Irenæum propter Acta S. Saturnini, quæ sub medium seculi tertii paucos in Gallia Christianos, rarasque Ecclesias fuisse, luculenter ajunt. Non equidem tantum defero anonymo, S. Saturnini Acta ex *fidei recordatione* scribenti, ut ipsius gratia perspicuis plurimorum, cœvorumque Patrum verbis inferre vim velim. Sed bene est, quod neque hunc adversari nobis, satis superque libro primo probatum fuit. Quare tuto possumus in S. Irenæi verbis eam Christianorum, Ecclesiarumque frequentiam agnoscere, quam ipsa præseferunt. Fiet vero credibilior Christianorum in indicatis provinciis multitudo, si ingens hæreticorum numerus, qui seculo secundo erant, consideretur. Nam quamvis multi, lateque dispersi essent, paucissimi tamen erant ad orthodoxos comparati. Erant præterea *multæ gentes barbarorum*, ut idem Irenæus dicit lib. III. c. 4. *quorum, qui in Christo credunt, sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et veterem traditionem diligenter custodientes, in unum Deum credentes . . . quantum ad sermonem nostrum barbari sunt, quantum autem ad sententiam . . . sapientissimi sunt, et placent Deo, conversantes in omni justitia, et castitate, et sapientia. Quibus si aliquis annuntiaverit ea, quæ ab hæreticis adinventæ sunt, proprio sermone eorum colloquens, statim concludentes aures, longe longius fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Sic per illam veterem Apostolorum traditionem ne in conceptionem quidem mentis admittant quodcumque eorum portentiloquium est: neque dum enim congregatio fuit apud eos, neque doctrina instituta hæreticorum . . . Omnes autem hi multo posterius, mediantibus jam Ecclesiæ temporibus, insurrexerunt in suam apostasiam.*

19. Neque dubitandum est, quin Christiani barbari quidem sermone, sed sententia sapientissimi, Episcopos, vel certe Presbyteros habuerint: nam manca, brevisque ævi sine his est Christiana religio. Ad hæc quod de S. Justino agens supra dixi, locum etiam habet in S. Irenæo, qui de Eucharistiæ Sacramento disserens lib. 4. cap. 32. ita ait: *Novi Testamenti novam docuit Christus oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo. Id autem, subdit, manifestissime significari his Malachiæ verbis: Ab ortu solis*

*solis usque ad occasum nomen meum glorificatur inter gentes, et in omni loco incensum offertur nomini meo, et sacrificium purum. Quoniam magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens.* Habebant ergo Christiani inter barbaras gentes Presbyteros, qui Eucharistiæ Sacrificium offerent, immo etiam Episcopos, qui Presbyteros crearent. Nisi si forte velis, tam sapientes eos fuisse, ut, asciscendos sibi aliunde Presbyteros esse, nossent; ac rursus tam barbaros advenas Presbyteros, horumque consecratores externos Episcopos, ut Scripturis etiam sacris carerent. Verum de S. Irenæo satis: qui autem plura velit, consulat librum ejus secundum capp. 56., 57. et lib. 3. capp. 1., 3. tum lib. 4. capp. 7, 63, 64, 66, 67. et præfationem in librum 5.

20. Æqualis Irenæo est Anonymus ab Eusebio lib. 5. cap. 15. editionis Christophorsoni laudatus, qui adversus Montanistas scribens, ait: *ad catholicam et universam sub cælo Ecclesiam contumeliis onerandam eos fuisse a spiritu malo perdoctos.* Serapion etiam Antiochenus Episcopus, qui labente secundo seculo vixit, in epistola ad Coricum, et Ponticum ab Eusebio lib. 5. cap. 18. descripta, dicit: *Omnem in Christo fraternitatem, quæ per universum orbem terrarum diffusa est, ab hac nova et peregrina prophetia Montanistarum abhorreere.* Clemens Alexandrinus Stromatum libros secundo seculo labente scripsit, sic autem in fine VI. loquitur: „Philosophi Græcis solis, neque iis omnibus placere . . . Magistri autem nostri, verbum non mansit in sola Judæa, sicut philosophia in Græcia, sed diffusum est per totum orbem terræ, Græcorum simul, et barbarorum gentibus, et vicis, et totis urbibus, persuadens, totas domos, et seorsum unumquemque ex iis, cui (fortasse qui) audierant, et ex ipsis etiam philosophis, non paucos jam traducens ad veritatem. Et Græcam quidem philosophiam si quis magistratus prohibuerit, ea statim perit; nostram autem doctrinam a prima usque prædicatione prohibent simul Reges, et Tyranni, et singuli Ducibus, et Magistratus cum universis satellitibus, et innumerabilibus etiam hominibus in nos belligerantes, nosque pro viribus excindere conantes. Illa autem magis floret, non enim emoritur, ut doctrina humana, neque flaccescit, ut

„do-

„ donum imbecillum , manet autem ejusmodi , ut prohiberi  
 „ nequeat , cum prædictum tamen sit , fore , ut ea patiatur per-  
 „ secutionem . „

## CAPUT III.

*Scriptorum tertii seculi testimonia de divulgatione  
 Evangelii .*

21. **T**ertullianus in egregio *Apologetico adversus Gentes* an-  
 no circiter ducentesimo scripto , sic ait cap. 37. „ Si hostes  
 „ exertos , non tantum vindices occultos , agere vellemus ,  
 „ deesset nobis vis numerorum , et copiarum ? Plures nimi-  
 „ rum Mauri , et Marcomanni , ipsique Parthi , vel quantæ  
 „ cumque , unius tamen loci , et suorum finium gentes , quam  
 „ totius orbis ? Hesterni sumus , et vestra omnia implevimus ,  
 „ urbes , insulas , castella , municipia , conciliabula , castra ip-  
 „ sa , tribus , decurias , palatium , senatum , forum . Sola  
 „ vobis relinquimus templa . Cui bello non idonei , non prom-  
 „ pti fuissetus , etiam impares copiis , qui tam libenter tru-  
 „ cidamur , si non apud istam disciplinam magis occidi lice-  
 „ ret , quam occidere ? Potuimus et inermes , nec rebelles ,  
 „ sed tantummodo discordes solius divortii invidia adversus  
 „ vos dimicasse . Si enim tanta vis hominum in aliquem or-  
 „ bis remoti sinum abruptissemus a vobis , suffudisset utique  
 „ dominationem vestram tot qualiumcumque amissio civium ,  
 „ imo etiam et ipsa destitutione punisset . Proculdubio expa-  
 „ vissetis ad solitudinem vestram , ad silentium rerum , et  
 „ stuporem quemdam quasi mortuæ urbis quæsissetis , quibus  
 „ in ea imperassetis . Plures hostes quam cives vobis reman-  
 „ sissent ; nunc enim pauciores hostes habetis præ multitudi-  
 „ ne Christianorum pene omnium civium , pene omnes cives  
 „ Christianos habendo . „

22. Christianorum in imperio Romano numerum vi-  
 dimus , restat , ut , quot fuerint eodem Tertulliano teste in  
 universo mundo , videamus . Sic igitur ait in libro *adversus*  
*Judaos* cap. 7. „ In quem alium universæ gentes crediderunt

„ nisi-

„ nisi in Christum , qui jam venit ? Cui enim et aliæ gentes  
 „ crediderunt Parthi , Medi , Ælamitæ , et qui habitant Meso-  
 „ potamiam , Armeniam , Phrygiam , Cappadociam , et inco-  
 „ lentes Pontum , et Asiam , et Pamphyliam , immorantes  
 „ Ægyptum , et regionem Africæ , quæ est trans Cyrenem ,  
 „ inhabitantes Romani , et incolæ ; tum et in Hierusalem Ju-  
 „ dæi , et ceteræ gentes ; ut jam Getulorum varietates , et Mau-  
 „ rorum multi fines , Hispaniarum omnes termini , et Gallia-  
 „ rum diversæ nationes , et Britannorum inaccessa Romanis loca ,  
 „ Christo vero subdita , et Sarmatarum , et Dacorum , et Ger-  
 „ manorum , et Scytharum , et abditarum multarum gentium ,  
 „ et provinciarum , et insularum multarum nobis ignotarum ,  
 „ et quæ enumerare non possumus , in quibus omnibus locis  
 „ Christi nomen , qui jam venit , regnat , utpote ante quem  
 „ omnium civitatum portæ sunt apertæ , et cui nullæ sunt clau-  
 „ sæ , ante quem seræ ferreæ sunt comminutæ , et valvæ æreæ  
 „ sunt apertæ . „ Tum potentissimorum regnorum Salomonis ,  
 „ Darii , Pharaonis , Nabucodonosoris , Alexandri , et Romano-  
 „ rum facta comparatione , subjungit : „ Christi autem regnum ubi-  
 „ que porrigitur , ubique creditur , ab omnibus gentibus su-  
 „ pra enumeratis colitur , ubique regnat , ubique adoratur ,  
 „ omnibus ubique tribuitur æqualiter . „ Hæc Tertullianus ad-  
 „ versus Judæos , id est , adversus homines toto orbe dispersos ,  
 „ Christique gloriæ inimicissimos , quibus , si falsa jactasset , ne-  
 „ que facultas , neque revincendi voluntas defuisset .

23. Nolunt , quod sæpe jam dixi , Bollandiani in *vita S.*  
*Dionysii Ep. et Mart.* grandem Christianorum numerum in  
 Galliis agnoscere sub Decii imperio , imo neque sub S. Mar-  
 tini adventu , qui labente jam seculo quarto contigit ; Tertul-  
 lianum vero dicentem , *Galliarum diversas nationes in Chris-*  
*tum credere* , parum sibi incommodare , ajunt , tum quod de  
 nationibus Cisalpinæ Galliæ intelligi possit , tum quod in ipsa  
 Lugdunensi Provincia , ubi Christianos aliquos fuisse non ne-  
 gant , diversæ nationes , seu populi essent ; nec vero necesse  
 sit , ad diversas Aquitanæ , Belgicæ provinciarum nationes re-  
 currere . Verissima quidem , si verborum corticem duntaxat  
 attendas , at si mentem scriptionis consideres , tam absona ex-  
 positio videbitur , ut refutatione opus non sit post relata præ-

M

ser-

sertim verba ex Apologia ejusdem *adversus Gentes*, quæ illaudata prætereunt Bollandiani, quia generalia, immanèque exaggerata fortasse crediderunt. Sed vel fides abroganda est præcipuo Tertulliani operi, et quidem propter causam, quæ ad SS. Justinum, et Irenæum æque pertinet, vel agnoscenda est jam inde a seculo Ecclesiæ secundo Christianorum infinita prope multitudo in universo Romano Imperio, ideoque in universa Gallia, quæ nobilima ejusdem pars erat. Conterraneus, ætateque par Tertulliano Minutius Felix hoc ipsum confirmat, cum in Dialogo, qui *Octavius* inscribitur, Cæcilium Christianæ religioni adhuc inimicum sic loquentem inducit: *Ut Fœcundius nequiora proveniunt, serpentibus in dies perditis moribus, per universum orbem sacraria ista teterrima coitionis adolescent.*

24. Ad Origenem nunc venio, qui ineunte seculo tertio Alexandrinam Scholam tanta morum innocentia, atque doctrinæ fama rexit, ut ethnici etiam Philosophi frequentandam sibi illam duxerint. Multa ad rem nostram pertinentia ex ipsius operibus collegit Joannes Albertus Fabricius in libro, cui titulum dedit *Salutaris Lux Evangelii*; hinc itaque, quando Origenes ad manum non est, selectiora loca describam; neque timeo, ne prudentum reprehensionem incurram, quasi acatholicum hominem exscribam; nam laboriosum, eruditumque criticum sequor in iis, quæ cum magna catholicorum approbatione collegit. Ergo Origenes lib. 1. *Contra Celsum* pag. 7. obtrectatorem hunc Christianorum, qui sub Adriano Imperatore vixisse fertur, ita coarguit: „ Deinde „ quoniam sæpius nominat doctrinam clanculariam, coarguem „ dum est hoc quoque, quando per totum orbem notior est „ Christianorum prædicatio, quam philosophorum placita „ Quis enim Jesum e Virgine natum, et crucifixum ignorat „ . . . . Quæ cum ita se habeant, perabsurdum est, doctri „ nam hanc vocare clanculariam. *Et pag. 23.* Jesus vero nos „ ter, licet opprobretur ei patria vicus, . . . valuit concute „ re totum terrarum orbem, non solum magis quam Athe „ niensis Themistocles, sed magis etiam quam Plato, aut Py „ thagoras, vel sapientum totius orbis quivis alius, aut Re „ gum, Imperatorumque. *Tum pag. 41.* Christus Dei, Prin „ ceps

„ ceps promissionum Dei, in quem solum . . . competit, ut „ dicatur *Expectatio gentium*, omnium enim gentium homi „ nes crediderunt Deo per eum. *Dein pag. 49.* Ecquis non „ dicat, promissum illud: *Venite post me, et faciam vos pis „ catores hominum*, implevisse Jesum in Discipulis divina quæ „ dam virtute . . . . Nam sicut dictum est per Prophetas præ „ nuntiantes de prædicatione Evangelii: *Dominus dedit ver „ bum evangelizantibus virtute multa* . . . ut impleretur et a „ lia prophetia dicens: *Celeriter currit sermo ejus*; videmus sa „ ne in omnem terram exisse vocem Apostolorum Jesu, et „ in fines orbis verba eorum. *Et pag. 53.* Affirmamus igitur; „ res Jesu extare apud universi orbis habitati homines, quam „ late inter gentes incolunt fundatæ per Jesum Ecclesiæ Dei, „ quæ constant ex conversis ad meliorem mentem a malis „ innumeris. „

25. Similia multa habet tum reliquis septem libris, tum in aliis operibus: quare unum duntaxat locum ex cap. 1. lib. 4. *De principiis* describam, qui est hujusmodi. „ At ve „ ro in omni orbe terrarum, in omni Græcia, atque uni „ versis ceteris nationibus innumeri sunt, et immensi, qui „ relictis patriis legibus, et his, quos putabant Deos, ad „ observantiam Moyseæ legis, et disciplinarum se Christi „ cultum tradiderunt. Et hoc non sine ingenti odio ad „ versum se commoto eorum, qui simulacra venerabantur, „ ita ut ab iis frequenter cruciatibus affigerentur, nonnun „ quam etiam agerentur in mortem: amplectuntur tamen, et „ cum omni affectu custodiunt doctrinæ Christi sermonem. „ Et est videre, quomodo brevi tempore ipsa religio crevit, „ poenis multorum, mortibusque proficiens, sed et bonorum „ direptione, atque ab his omni genere suppliciorum tolerato, „ et eo maxime mirum est, quod ne Doctores quidem ipsi „ vel satis idonei sunt, vel satis plures: prædicatur tamen in „ toto orbe terrarum, ita ut Græci, et Barbari, sapientes, „ et insipientes religionem Christianæ doctrinæ suscipiant. Ex „ quo dubium non est, hoc humanis viribus, aut opibus non „ agi, ut cum omni credulitate et potestate sermo Christi „ Jesu apud omnium mentes atque animos convalescat.

26. Ætate fere æqualis, sed aliis titulis longe illustrior

Origene Cyprianus fuit: hic igitur initio libri: *de unitate Ecclesie* ait, hæreses, et schismata inventa fuisse a Diabolo, vidente *Idola derelicta, et per nimium credentium populum sedes suas, ac templa deserta*. Et post pauca Ecclesiam comparans soli, et arbori, inquit: *Ecclesia, Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit... ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit* Mitto alia multa, quæ attente legenti Cyprianum mox occurrent. Quin et eadem formulæ inveniuntur in Epist. 31. editionis Maurinorum, quæ est *Cleri Romani ad Cyprianum*; et in epist. 75. eidem a Firmiliano Episcopo Cæsareæ Cappadociæ scripta. Quare duos ( si Cleri Romani, et Cæsariensis Synodi voces duorum tantum loco habendæ sunt ) suffragantes nobis testes habemus.

27. Potest et alia via Cypriani mens deprehendi; quippe nihil inculcat ipse frequentius, quam appropinquare jam jam extremum iudicium, et esse præ foribus Antichristum: nec vero ignorabat verba Domini Matth. 24. v. 14. *Et predicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet consummatio*. Tametsi quid ajo, non hæc ignorasse, quæ idemmet describit cap. 11. epistolæ ad Fortunatum *De exhortatione martyrii*? Illius nimium epistolæ, quam sic exorditur: *Desiderasti, Fortunate carissime, ut quoniam persecutionum, et pressurarum pondus incumbit, et in fine atque in consummatione mundi Antichristi tempus infestum appropinquare jam cepit, ad preparandas Gentes*. Quanti a prudentibus fiat hoc argumentum, nescio; ad plerosque omnes antiquos Patres pertinere ipsum, utique scio. Videtis Baronium ad an. 601. n. 20.

28. Non ægre ferant adversarii, quod tot generalia testimonia accumularem, quando alternis fere magis definita produco, unde quid in illis lateat, et quid sibi ipsa velint, certum atque evidens fiat. Hujus generis est testimonium Arnobii, qui desinente seculo tertio septem libros *ad Gentes* scripsit, in quorum primo pag. 13. ita inquit: „ Negliguntur Dii, clamitant *Gentiles*, atque in templis jam raritas „ summa est. *Et pag. 33.* Brevi tempore totus mundus ista „ *Christiana* religione completus est. *Lib. item 2. pag. 50* „ Vir-

„ Virtutes sub oculis positæ, et inaudita illa vis rerum, vel „ quæ ab ipso fiebat palam, vel ab ejus præconibus celebra- „ batur in orbe toto, eas subdidit appetitionum flammæ, et ad „ unius credulitatis assensum mente una concurrere gentes, „ et populos fecit, et moribus dissimillimas nationes. Enu- „ merari enim possunt ( *fortasse non possunt* ) atque in u- „ sum computationis venire ea, quæ in India gesta sunt, apud „ Seras, et Persas, et Medos, in Arabia, in Ægypto, in Asia, „ Syria, apud Galatas, Parthos, Phrygas, in Achaia, Ma- „ cedonia, Epiro, in insulis, et provinciis omnibus, quas „ Sol oriens, atque occidens lustrat: ipsam denique apud do- „ minam Romam, in qua cum homines sint Numæ regis arti- „ bus, atque antiquis superstitionibus occupati, non distu- „ lerunt tamen res patrias relinquere, et veritati coalescere „ Christianæ.

## CAPUT IV.

*Scriptorum quarti seculi testimonia de divulgatione Evangelii.*

29. **H**ic nostra inquisitio consisteret, si non contenderent adversarii ( ex egregio scilicet sexti seculi testimonio, ut alibi diximus ) *Gallicanis in finibus ad paucorum notitiam ineffabilia Trinitatis Dominica Sacramenta pervenisse ante S. Martinum Turonensem Episcopum*. Age ergo, atque ex densa quarti seculi testium nube selectos paucos audiamus. Arnobii, quem modo laudavi, discipulus fuit Lactantius, cui liber *de moribus persecutorum* vulgo tribuitur. In eo hæc de exordio Ecclesiæ cap. sec. leguntur. „ Ordinavit „ *Christus Discipulos*, et instruxit ad prædicationem dogma- „ tis ac doctrinæ suæ... et inde Discipuli... dispersi sunt „ per omnem terram ad Evangelium prædicandum, sicut il- „ lis Magister Dominus imposuerat, et per annos XXV. us- „ que ad principium Neroniani Imperii per omnes provin- „ cias et civitates Ecclesiæ fundamenta miserunt. Cumque jam „ Nero imperaret, Petrus Romam advenit, et editis quibus- „ dam



dam miraculis, quæ virtute ipsius Dei data sibi ab eo potestate faciebat, convertit multos ad justitiam, Deoque templum fidele ac stabile collocavit. Qua re ad Neronem delata, cum animadverteret, non modo Romæ, sed ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu idolorum, et ad religionem novam, damnata vetustate, transire; ut erat execrabilis, ac nocens tyrannus, prosilivit ad excidendum cæleste templum, delendamque justitiam, et primus omnium persecutus Dei servos, Petrum cruci affixit, et Paulum interfecit. *Et cap. 3. Rescissis igitur a Senatu actis tyranni Domitiani, non modo in statum pristinum Ecclesia restituta est, sed etiam multo clarius ac floridius enituit: secutisque temporibus, quibus multi ac boni principes Romani imperii clavum regimenque tenuerunt, multos inimicorum impetus passa, manus suas in orientem, occidentemque porrexit, ut jam nullus esset terrarum angulus tam remotus, quo non religio Dei penetrasset, nulla denique natio tam feris moribus vivens, ut non suscepto Dei cultu ad justitiæ opera mitesceret. Sed enim postea longa pax rupta est, extitit enim post annos plurimos execrabile animal Decius etc. Idem lib. 4. Divinarum Institutionum cap. 26. de mysterio Crucis Christi disserens ait: „ Nulla gens tam inhumana est, nulla regio tam remota, cui aut passio ejus, aut sublimitas Majestatis ignota sit. Extendit ergo in passione manus suas, orbemque dimensus est, ut jam tum ostenderet, ab ortu solis usque ad occasum magnum populum ex omnibus linguis, et tribubus congregatum sub alas suas esse venturum, signumque illud maximum atque sublime frontibus suis suscepturum. Tum lib. 5. cap. 13. Cum ab ortu solis usque ad occasum lex divina suscepta sit, et omnis sexus, omnis ætas, et gens, ac regio unis ac paribus animis Deo serviat etc.*

30. De Eusebio Cæsariensi in Palæstina Episcopo dicendum hic esset, nisi pigeret quidquam ex ipso afferre, qui tot, tamque preclara pro nobis testimonia habet, ut vel sola justum opus possent conficere. Nam in *Historia*, imo in ea parte *Historia*, quæ Decii imperium præcedit (cum scilicet levæ solum, si adversarii nostri audiuntur, religionis christi-

christianæ vestigia in multis etiam Romani imperii provinciis agnoscenda erunt) in hac, inquam, parte *Historia* sexdecis, vel deciesocties repetit, Christianam Religionem ab innumera hominum multitudine in toto orbe terrarum susceptam fuisse. Specimen accipe ex lib. 2. cap. 3. edit. Christophoroni, cui hunc titulum fecit: *Quomodo universum orbem brevi spatio Christi fama pervaserat*. Tum sic ait: „ Ita quidem certe cœlesti divinaque virtute, et præsidio repente nulla fere mora interposita tanquam quoddam solis jubar salute Dei verbum universum terrarum orbem suo splendore collustravit, sacrarum litterarum testimonio apposite respondens, in omnem terram sonus divinatorum Evangelistarum, et Apostolorum exivit, et in fines orbis terræ verba eorum. Atque Ecclesia quidem Christi non aliter quam area, quæ tempore messis immenso frumenti numero repente compleri solet, infinita prope et innumerabili multitudine hominum in cunctis civitatibus et vicis veram religionem ac fidem amplectentium subito referta est.

31. Pro aliis ejusdem operibus specimen habe ex postrema parte orationis, quam in tricennalibus Constantini, presentibus multis Episcopis ipsoque Imperatore; recitavit: „ Quid, ait, tam mirandum tibi videri poterit, quam viros abjectos, et imperitos a piscatu penitus abducere, eosque legumlatores et doctores universi orbis terrarum constituere: nec solum promittere, se eos facturum piscatores hominum, idque reipsa præstare, verum etiam tantam virtutem tantamque facultatem illis tribuere, ut monumenta scriptis mandarent, librosque ederent: iique tam magnam apud omnes haberent et auctoritatem, et existimationem, ut in omnes tam barbarorum, quam græcorum linguas, quæ in toto orbe terrarum existunt, converterentur, omnesque gentes in illis perdiscendis studium, et operam ponerent, proque certo crederent, divina eloquia in illis comprehendi? *Et post pauca*: prodeant in medium omnes philosophi, nobisque dicant, quis unquam de Deo aliquid, aut heroe ex omni ætate audiverit, qui vitæ æternæ, ac cœlestis regni doctrinam hominibus tradiderit, sicut de Servatore nostro exploratum est, qui quidem effecit,

„ ut

„ ut infinitæ hominum multitudines per totum orbem terra-  
 „ rum piis sapientiæ præceptis institutæ, severam vivendi di-  
 „ sciplinam excolerent? Quisve Deus, aut heros exstiterit,  
 „ qui universum mundum ab ipso solis ortu ad occasum us-  
 „ que peragrans, imovero parem, et æqualem fere cum so-  
 „ le cursum conficiens, splendidissimis suæ doctrinæ radiis  
 „ sic eundem collustrarit, illuminaritque, ut omnes gentes  
 „ ubique terrarum uni Deo unum, eundemque cultum tri-  
 „ buerent? Aut quis Deus, Herosve fuerit, qui omnes De-  
 „ os, et Heroas, tam Græcos, quam Barbaros, profigarit,  
 „ lege sanciverit, neminem eorum Deum existimandum esse,  
 „ et sancitum populo persuaserit: deinde cum unus ab om-  
 „ nibus oppugnaretur, omnes hostium copias deleverit, effe-  
 „ ceritque, ut ipse solus ex omnibus Diis, et inclytis He-  
 „ roibus, qui a primis jactis fundamentis mundi extiterint,  
 „ passim ab ultimis totius orbis terræ oris Dei Filius ab om-  
 „ nibus gentibus appellaretur? Aut quis cunctis totius orbis  
 „ terrarum incolis, seu terra, seu mari illi sint, præscripse-  
 „ rit, ut singulis septimanis in unum convenientes, diem  
 „ dominicum festum celebrarent, institueritque, ut sicut cor-  
 „ pora pascerent cibariis, sic animos divinis disciplinis refi-  
 „ cerent?

32. Tametsi Lactantius, Eusebiusque post redditam a  
 Constantino Ecclesiis pacem scripserint, non tamen existi-  
 mandum est, hinc ipsos originem prodigiosæ Christianorum  
 multiplicationis repetivisse, quandoquidem conceptis verbis  
 hanc tribuunt prædicationi Apostolorum, ceterorumque pri-  
 mi seculi prædicatorum. Quid, quod scribebant recenti per-  
 secutione, nondumque penitus extincta in Imperii parte Li-  
 cino subdita? Ut non modica laus Constantini, Episcopo-  
 rumque fuerit, si pristinum splendorem jam tum Ecclesia re-  
 ceperit. „ Fuit enim (ut Sulpicii Severi verbis utar) Diocle-  
 „ tiano, et Maximiano imperantibus, acerbissima persecutio  
 „ exorta, quæ per X. continuos annos plebem Dei depopu-  
 „ lata est; qua tempestate omnis fere sacro martyrum cruo-  
 „ re orbis infectus est... Et nullis unquam magis bellis  
 „ mundus exhaustus est; neque majore unquam triumpho vi-  
 „ cimus, quam cum decem annorum stragibus vinci non po-

„ tui-

„ tuimus. „ Mirum, hæc scribi potuisse ab homine Gallo, S.  
 Martini Discipulo, ac Biographo, si ante quinquaginta annos sub  
 Decii imperio, imo si ante S. Martinum perpauci Christia-  
 ni in Galliis fuerant, ut adversarii nostri volunt. Sed de Sul-  
 picio alias dicendum erit.

33. Sub Constantini filiis egregium opus *de errore pro-*  
*phanarum religionum* Julius Firmicus conscripsit, in quo pag.  
 445. sic ait: „ Quis locus in terra est, quem non Christi  
 „ possederit Nomen? Qua Sol oritur, qua occidit, qua e-  
 „ rigitur septentrio, qua vergit auster, totum venerandi No-  
 „ minis majestas implevit. Et licet adhuc in quibusdam re-  
 „ gionibus idololatriæ morientia palpitent membra, tamen in  
 „ eo res est, ut e Christianis omnibus terris pestiferum hoc  
 „ malum penitus amputetur... Modicum tantum superest, ut  
 „ legibus vestris (*Imperatores alloquitur*) funditus prostratus  
 „ Diabolus jaceat, ut extinctæ Idololatriæ pereat funesta con-  
 „ tagio. Veneni hujus virus evanuit, et per dies singulos subs-  
 „ tantia profanæ cupiditatis expirat. Erigite vexillum fidei etc.,  
 Per idem fere tempus florebat S. Hilarius Pictaviensis Epis-  
 copus, qui de exoriente Ecclesia hæc ait Tract. in Psalm.  
 XIV. num. 13. „ Apostoli plurima tabernacula (*Ecclesias*)  
 „ condiderunt, et per omnes orbis terrarum partes, quæcum-  
 „ que adiri possunt, quin etiam in Oceani insulis (*Britan-*  
 „ *nias forlasse intelligit*) habitationes Deo plurimas parave-  
 „ runt. *Et lib. contra Auxentium num. 3.* Misereri licet nos-  
 „ træ ætatis laborem, et præsentium temporum stultas opi-  
 „ niones congemiscere, quibus patrocinari Deo humana cre-  
 „ duntur, et ad tuendam Christi Ecclesiam ambitione secula-  
 „ ri laboratur. Oro vos, Episcopi, qui hoc esse vos credi-  
 „ tis, quibusnam suffragiis ad prædicandum Evangelium A-  
 „ postoli usi sunt? Quibus adjuti potestatibus Christum præ-  
 „ dicaverunt, gentesque fere omnes ex idolis ad Deum trans-  
 „ tulerunt... Illi manu, atque opere se alentes, intra cæna-  
 „ cula, secretaque coeuntes, vicos, et castella, gentesque fe-  
 „ re omnes terra, ac mari contra Senatus consulta, et regum  
 „ edicta peragrantes, claves, credo, regni cælorum non habe-  
 „ bant; aut non manifesta se tum Dei virtus contra odia hu-  
 „ mana porrexit, cum tanto magis Christus prædicaretur,

N

quan-

„ quanto magis prædicari inhiaberetur. „ Neque vero aliter lo-  
 qui Hilarius poterat, qui cap. 25. in Matth. ait, prædican-  
 dum fuisse in universo orbe Evangelium ante Hierusalemis  
 excidium. S. Hieronymus in cap. 24. Matth. ait: „ Signum  
 „ Dominici adventus est Evangelium in toto Orbe prædica-  
 „ ri, ut nullus sit excusabilis: quod aut jam completum,  
 „ aut in brevi cernimus esse complendum. Non enim puto,  
 „ aliquam remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoret.  
 „ Et quamquam non habuerit prædicatorem, tamen ex vici-  
 „ nis nationibus opinionem fidei non potest ignorare. „ Eo-  
 dem modo loquitur S. Ambrosius lib. 10. in Luc. cap. de  
 signis futuræ destructionis Templi.

34. S. Basilius enarratione in cap. VIII. Isaia verba hæc  
 primi versiculi *Velociter spolia detrahe, cito prædare*, sic ex-  
 ponit pag. 717. Edit. Paris. an. 1566. „ Deprædatio spolio-  
 „ rum cita admodum ac præpes facta est. Evangelii siquidem  
 „ doctrina fulgetra quavis perniciosior, ad extremos usque limi-  
 „ tes terræ habitabilis pertigit, spolians principem seculi hostes,  
 „ et ad obedientiam Christo redhibendam eos traducens, quos  
 „ ille prædo detinebat captivos. „ Eadem comparatione usus  
 est quinto seculo S. Isidorus Pelusiota lib. I. epist. 270. ad  
 Agathonem ita scribens. „ Optime vir, ex iis, quæ evene-  
 „ runt, majora tibi perspicere licet. Ethnicismus enim mul-  
 „ tis et temporibus, et laboribus, et opibus, et armis, et  
 „ literis corroboratus, ex oculis evanuit. Nostra autem reli-  
 „ gio plebeis, et illiteratis, et pauperibus, atque abjectis  
 „ hominibus demandata, brevi temporis spatio fulgetra in mo-  
 „ dum quoque gentium pervasit, non oculos modo atque as-  
 „ pectum, sed etiam mentes illuminans: quoniam videlicet  
 „ ille ex commenticiis fabulis constabat, hæc autem ex cœ-  
 „ lestibus dogmatibus compacta erat. „

35. Sed piget, antiquissimorum testium fide confirma-  
 tissimum assertum posteriorum, quantumvis gravium, verbis  
 corroborare: et satis superque fuerit, si ex citato paulo an-  
 te Fabricio indicemus nonnullos alios. Consulantur ergo S.  
 Joannes Chrysostomus *homilia* 2. in Joannem, et *hom.* 1. de  
*laudibus Pauli*; S. Hieronymus in 5. *Amos*, ep. 35. ad He-  
 lodorum, et 57. ad Latam; Theodoretus lib. 9. *Therapeuti-*

*ca gentium pag. 115. Auctor quæstionum ad Antiochum quæst.*  
 42. *Auctor de promissionibus, et de vocatione omnium gentium*  
 inter S. Prosperi opera pag. 114. et lib. 2. cap. 17. His li-  
 cebit adjungere alios, quos, de origine particularium Eccle-  
 siarum agentes, deinceps laudabimus; nunc enim generatim  
 de celeri, et grandi propagatione Evangelii inquirimus. Ad-  
 dendi etiam illi omnes sunt, qui ante Hierosolymæ excidium  
 prædicatum fuisse in universo mundo Evangelium putarunt,  
 ut cap. 1. dixi.

## CAPUT V.

*Testimonia gentium Scriptorum de multitudine  
Christianorum.*

36. Scriptorum hactenus adducti idonei, credo, testes sunt as-  
 sertionis nostræ, utpote plures numero, ætate antiqui,  
 et doctrina vitæque sanctitate conspicui; ad hæc loco et tem-  
 pore invicem separati scribebant; et quidem adversus Ju-  
 dzos, et Gentiles, qui tantam Christianæ religionis gloriam  
 refutare, si quo possent modo, non omitterent; urgebantur  
 enim hinc valde ab apologistis nostris, ut olim a Prophetis præ-  
 dictam, ita adamussim completam Evangelii in toto mundo  
 divulgationem, dicentibus. In hujusmodi argumento mirifice  
 complacuisse sibi Patres videntur, ac præ ceteris S. Justinus,  
 necnon Auctor *quæstionum ad Antiochum Ducem* inter S. A-  
 thanasii opera, qui post adductum Christi vaticinium Matth.  
 Cap. 26. v. 13. *Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit*  
*hoc Evangelium in toto mundo, dicetur, et quod hæc fecit in*  
*memoriam ejus*, intrepide adversarios interrogat: *Factum ergo*  
*id est, an non?* Verum tam longe hi aberant a perspicua ve-  
 ritate neganda, ut pro vitiligatorum more vel hinc religio-  
 nem Christianam calumniarentur, et cum Cæcilio in dialogo  
*Octavius* dicerent: *Ut fecundius nequiora proveniunt, serpenti-*  
*bus in dies perditis moribus, per universum orbem sacraria ista*  
*teterri ma coitionis adolescunt.*

37. Tacitus etiam ingentem Christianorum multitudinem,

imperante Nerone, fuisse fatetur XV. *annalium* cap. 44. sic scribens, „Repressa in præsens exitiabilis superstitio, rursus erumpebat non modo per Judæam originem ejus mali, sed per Urbem etiam.... Igitur primo correpti, qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens.„ Et Plinius Proconsul, seu Proprætor Ponti, et Bithyniæ Trajanum epist. 97. lib. X. de Christianorum animadversione consulens ait: „Visa est mihi res digna consultatione propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum, et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam, atque agros superstitionis istius contagio pervagata est. Tum prope jam desolata templa, et sacra solemnia diu intermissa, commemorat. Lucianus paucis post annis in *Pseudomante* testatur, repletum esse Pontum Christianis. Si autem ex una ceteras Asiæ civitates discere licet, enī quid Tertullianus ad Scapulam cap. ult. scribit. „Atrius Antoninus in Asia cum persequeretur instanter, omnes illius civitatis christiani ante tribunalia ejus se manu facta obtulerunt. Tum ille, paucis duci jussis, reliquis ait: O miseri, si cupitis perire, præcipitia, et restes habetis.„

38. Neque existimes, gentiles scriptores in Oriente duntaxat Christianorum multitudinem agnovisse; nam Tacitus modo citatus de Christianis Urbis loquitur: de his etiam intelligenda videntur Eusebii verba lib. 3. *Hist.* cap. 4. edit. Christophorsoni dicentis. „Tantopere vero temporibus illis Domitiani Imper. quæ supra demonstravimus, nostræ fidei decemtrina splendescbat, ut hi etiam scriptores, qui a sermone et disciplina religionis nostræ videantur prorsus alieni, historiæ suarum monumentis cum persecutionem, tum martyria, quæ id temporis gesta erant, tradere, minime grati fuerint.„ Fortasse indicare voluit Eusebius Brutium, et Dionem, quorum primum citat ipse in *Chronico*, necnon Synællus, et Auctor *Chronici Paschalis*, qui multos Christianos 14. anno Domitiani martyrium fecisse ex Brutii testimonio refert. Dio vero de Domitiano agens lib. 67. inquit: *Alii multi, qui in mores Judæorum transierant, damnati sunt:* quibus verbis Christianos cum Judæis confundi ab ethnico scriptore, communis opinio est.

39. Quamquam autem agebantur hæc Romæ maxime; in extrema tamen Hispaniæ, atque adeo Occidentis, parte similia evenisse, colligitur ex inventa ibi inscriptione, quam ex Grutero pag. 238. et Baronio ad an. 69. num. 46. sub jicio.

NERONI. CL. CAES. AVG.

PONTIF. MAX. OB. PRO

VIN. LATRONIB. ET. HIS.

QVI. NOVAM. GENERI. HVM.

SUPERSTITIONEM. INCVLCAR.

PVRGATAM.

39. Scio, nonnullos esse, qui recens confictam inscriptionem suspicantur. Verum perperam eos agere, Antonius Pagius ad an. 64. num. 4. ait. Ac profecto si respuenda est, quod ab Ambrosio Morales quæsitæ, nusquam inventa fuerit, actum jam est de fere omnibus inscriptionibus ab antiquis laudatis. Ex adducta itaque inscriptione (qua Christianam religionem superstitionem vocari, plerique credunt) intelligimus, fuisse non modo in Hispania Christianos sub Nerone, sed etiam martyres plures. Et fortasse non id ignoravit Hispanus Historicus Paulus Orosius, qui lib. 7. cap. 7. de Nerone ait: „Primus Romæ Christianos supplicens, et mortibus affecit; ac per omnes provincias pari persecutione excruciatum imperavit.„ Sed de origine Hispaniæ Ecclesiæ postea videbimus. Quoniam autem Orosium, ineuntis quinti seculi non ignobilem scriptorem, laudavi, juvat unum et alterum locum ex ipsius historia describere. Citato lib. 7. cap. 9. de Hierosolymitano Templo ab imperatore Tito destructo disserens, inquit: „Sed Ecclesia Dei per totum orbem uberrime germinante, hoc Templum tanquam effœtum, ac vacuum, nullique usui bono commodum, arbitrio Dei auferendum fuit.„ Et cap. 10. de Domitiano ait: Per annos quindecim ad hoc paulatim per omnes scelerum gradus crevit, ut confirmatissimam toto orbe Christi Ecclesiam, datis ubique crudelissimæ persecutionis edictis, convellere auderet.„

40. Objiciunt sibi Bollandiani in *Comment. præv. ad vitam S. Dionysii Paris. Ep. et Mart.* num. 59. et seqq. primum, et tertium Orosii testimonium, et dicunt ex priori non

colligi, fuisse jam tum Christianos in omnibus Imperii Romani provinciis, ac multo minus Ecclesias, et Episcopos plures in Galliis, atque in reliquis provinciis; quemadmodum inferre non deberemus, esse fures domesticos, et quidem plures numero, in omnibus regni alicujus provinciis, ex novo supplicii genere, quo hujusmodi ubique puniri, Rex juberet. Ad alterum respondent, vel errare Orosium, vel sic intelligendum, ut fides Christi suscepta tum fuerit in multis mundi regionibus, non tamen in omnibus; fuerintque sparsim creatæ Ecclesiæ, *sed non admodum multa numero*: nam tum temporis, ajunt, *a gentibus non paucis, maxime Septemtrionalibus, Christi fidem nondum fuisse susceptam apud omnes in confesso est*. Recenriores hic, credo, omnes laudantur; nam contrariam antiquorum fere omnium confessionem jam audivimus: utris autem major fides sit habenda, definire non ausim, quippe antiqui hyperbolice fortasse loquuti sunt; quæ vero recentiorum *omnium* consensus dicitur, hyperbolice certe intelligenda est; sunt enim hodieque gravissimi scriptores multi, qui antiquitus illuxisse fidem omnibus omnino gentibus, etiam septemtrionalibus, et Americanis, volunt. Sed fac, præferendam esse sententiam, quæ inter recentiores communior videtur, ideoque hyperbolice antiquos loquutos fuisse, dicit. An propterea horum verba aut aperte carpenda, aut ita extenuanda, ut gloriosa vanaque magis, quam prudentia, et gravia appareant? Ferri quidem posset expositio primi textus; si non ipsemet auctor legitimam ejus intelligentiam in secundo, et tertio mox declarasset. Si autem errare Orosium dicas; dixerit ipse, non sibi turpe esse errasse cum ceteris Patribus. Si denique, *non admodum multas numero Ecclesias* indicare eundem, velis; ergo *admodum multas* indicare volens, imperite uteretur his formulis: *Ecclesia Dei per totum orbem uberrime germinabat: Confirmatissima toto Orbe Christi Ecclesia erat.*

## CAPUT VI.

*Quid putent recentiores multi de propagatione Evangelii.*

41. **T**ametsi deducta hactenus testimonia Scripturæ sacræ, SS. Patrum, atque gentilium auctorum tam certum, quam quod certissimum, faciant generale assertum de rapido Evangelii cursu; sitque etiam satisfactum argumentis contrariis; quia tamen obiter, vel sparsim de his egimus, unde pretium hujusmodi mercium fere minuitur, proderit, adversariorum sententiam, rationesque magis explicare. Duplex traditio est in plerisque Ecclesiis, una de originis suæ tempore, altera de primis prædicatoribus, seu fundatoribus suis. Utraque sæpe vera, utraque falsa aliquando est. Et quamvis non raro etiam eveniat, ut sincera hæc, adulterina illa sit, fit tamen, nescio quomodo, ut tam arcte ambæ conjunctæ vulgo habeantur, ut unius assertio, vel ruina quasi præjudicium quoddam alterius sit. Sed ut mihi parum probantur, qui originem Ecclesiarum suarum primævo tempore haud temere consignantes, agre ferunt, detrudi a criticis in posteriora tempora Sanctos, quos pro parentibus venerantur; sic displicent critici, ab hujusmodi Sanctorum ætate Ecclesiarum origines mox deficiunt. Quippe ante probandum esset, veros propriosque Ecclesiarum Parentes fuisse eos, qui ut tales vulgo habentur: nam Majores nostri, pietatis magis quam eruditionis cultores, Parentum loco nonnunquam habuisse videntur insignes quosdam viros, qui vel sanctitate vitæ, vel doctrinæ splendore, vel dilatandæ fidei zelo sic olim inclaruerunt, ut, abolita tractu temporis præcedentium Patrum memoria, illorum dumtaxat nomina, monumentaque conservata fuerint. Quapropter non est Ecclesiarum origo continuo trahenda ad eorum ætatem, qui auctores ipsarum feruntur, sed prius probandum est, non abusive, ac minus proprie, sed vere optimoque jure auctores haberi. Abutuntur itaque recentiores nonnulli credulitate nostra, dum, relicta nobis infirmiori traditione de primis Ecclesiarum nostrarum auctoribus,

ex eadem firmiorem alteram de vetustissima Christiana origine dirigere tentant, ad hominem, ut ajunt, argumentantes.

42. Apud Gallos id maxime videre licuit, qui antiqua, valdeque verisimili traditione credebant, habere se se plures Ecclesias jam inde ab Apostolorum ætate fundatas, unaque venerabantur tanquam Prædicatores suos primos nonnullos Sanctos, qui vel non fuerunt proprie tales, vel siquidem fuerent, ipsorum tamen res gestas implicarunt posteriores scriptores cum Sanctorum recentiorum gestis. Acuti critici id observarunt, et dejecerunt a primo seculo non modo laudatos omnes Sanctos, sed statuerunt etiam, repugnante tota fere antiquitate, ad usque medium tertij seculi, imo ad usque S. Martini adventum rara levique vestigia Christianam religionem in Galliis impresisse. Non hic disputo, recte ne, an perperam, trahantur ad tertium seculum SS. Trophimus, Dionysius, Saturninus, Paulus, Martialis, et ceteri, quibus acceptam refert Gallicana Ecclesia Christianam fidem. Vixerint, quo vis tempore, et traverintque Majores nostri primo ipsos seculo consignantes: hinc non sequitur necessario, errasse etiam antiquissimos scriptores dicentes, religionem Christianam fuisse quaquaversus diffusam in orbe terræ, ac nominatim in Galliis, ante seculum tertium. Quid enim si priorum prædicatorum memoria perit? Quid si antiquissimos Patres, quos assertores, propagatores, restauratoresve religionis melius fortasse populi dicerent, auctores appellare voluerunt?

43. Quid vero si rationes, quibus recentiores critici trahunt laudatos Sanctos ad tertium seculum infirmæ sint? At qui non magni ponderis esse, ex iis, quæ de S. Saturnino agentes diximus, satis constat, opinor. Et illa quidem particularis disputatio mirifice confirmatur ex generali altera, quam nunc tractamus; advenisse enim Saturninum in Gallias cum rara ibi Ecclesia, paucisque Christiani enant, acta ejus testantur; est etiam antiqua, communisque opinio circiter idem tempus Trophimum, Dionysium, et Apostolicos alios Viros advenisse. Cum ergo Ecclesiarum raritas, Christianorumque paucitas esset in Galliis primo seculo, non vero labente jam tertio, ut ex multiplicibus testimoniis paulo ante adductis colligere licet; consequens fit, ut unde eruditi critici suam sta-

bi-

biliri maxime opinionem credebant, inde infirmari valde, fateri cogantur.

44. Præviderunt recentiores vim argumenti; quare arcte inhærentes vulgatis S. Saturnini Actis, quæ adventum ejus Coss. Decio et Grato consignant, pernegant grandem Evangelii propagationem ante hos Consules; et Severum Sulpicium, Gregorium Turonensem, et septem Episcoporum epistolam ad S. Radegundem Reginam in opinionis suæ patrociniū advocant. Verum ista omnia mature jam solvimus, neque tanta sunt, ut dubitandum nobis esset, hujusmodi tricas abscindere, si unanimis SS. Patrum de celeri divulgatione Evangelii sententia aliter constare non posset. Unanimis, inquam, sententia; nam etsi pauca solum hujus generis testimonia recentiores sibi opponunt, tot tamen, tantaque ea esse jam vidimus, ut, habeat ne quidquam historia luculentius assertum, dubitare possis. Est vero animadversione dignum, de intelligentia Sacræ Scripturæ hic quodammodo agi, quippe fidei Christianæ propagatio in ipsa prædicatur, imo jam facta asseritur; quare concors SS. PP. interpretatio, et sententia, ut ut difficultatibus involuta, suscipienda foret.

45. Scio, recentiores credere, facile se hinc expeditum iri, si dixerint, Scripturæ sacræ, Patrumque asserta indefinita, generaliaque esse; et vero licere per ipsos existimari, Apostolos, atque Discipulos Christi, et Apostolorum annuntiasse Evangelium non modo in multis Romani Imperii provinciis, quarum in sacris literis mentio non fit, sed penetrasse etiam in Indiam, Æthiopiam, Scythiam, Galliam, Hispaniam, Britanniam, et alias Regiones, constituisseque in his omnibus Ecclesias aliquas, ab Episcopo, vel Presbytero quopiam directas: neque exaruisse mox ubique religionis hæc semina, sed alicubi ex. gr. Romæ, in Ægypto, et in Asia uberes fructus reddidisse; alibi, maxime in Occidente, remansisse quidem usque ad quartum seculum aliquos Christianos hac illac sparsos, verum paucos numero, non modo comparate ad multitudinem infidelium, sed etiam absolute, et sine ullo respectu consideratos. Itaque potuisse Sulpicium scribere, sub Marco Aurelio fuisse primum intra Galliis martyria visa, serius trans Alpes Dei religione suscepta; potuisse scriptorem

o

Acto-

Actorum S. Saturnini dicere, *raras* fuisse, imperante Decio, in ipsa Narbonensi provincia Italiae finitima *Ecclesias*, ipsasque non in pluribus, sed in aliquibus civitatibus, et quidem paucorum Christianorum devotione erectas; imo Gallicanis in finibus ad paucorum notitiam pervenisse ante S. Martinum ineffabilia Trinitatis dominica sacramenta, non immerito asseruisse septem Episcopos sexto labente seculo ad S. Radegundem scribentes. Nihil vero esse, addunt, cur reliquas Occidentis provincias, magis ab Italia remotas, fortunatiores credamus. Ac profecto si Christianos ipsae multos jam tum numerassent, Martyres quoque aliquos numerare possent; atqui Lugdunenses sub Marco Aurelio Martyres primi ex indubitatis sunt; nam neque ante Scyllitanos sub Imperatore Severo Africa, neque ante Tarraconenses sub Valeriano Hispania Martyres ostendunt.

46. Ad hanc Ecclesiam fere omnes, extra Italiam sitae, quae pro Apostolicis se se venditant, perquam paucos ante quartum seculum Episcopos numerant; vel si plures, nugae narrare creduntur: quod quidem indicio est, habuisse ipsas primum Episcopos sub tertium seculum; etenim velle, ut quinque, vel sex Episcopi (quot ostentare summum possunt Ecclesiae antiquissimae) expleant intervallum circiter ducentorum et quinquaginta annorum, quod ab Apostolis ad Constantinum fuit, absonum nimis est; neque minus paradoxa diuturna, crebraque interregna ab aliis inducta. Si autem res ita se habent in illis, non admodum multis, Ecclesiis, quae omnium consensu ante quartum seculum fuerunt, quid de innumeris aliis credemus, quae blandientes solas traditiones allegant, quo origines apostolicas repetant? Si de una, alterave Ecclesia ageretur, tolerari forsitan possent Episcoporum longaevitae, diuturna interregna, monumentorum amissio, et huiusmodi alia, quibus vulgus illuditur; sed res est de multis: quota enim quaeque non ambit exordiri Episcoporum suorum catalogum ab Apostolico viro aliquo? Cum ergo nihil sit, cur tot Ecclesiae, totque Episcopi jam inde a primo seculo admittendi videantur, vel errasse dicendi sunt, qui *confirmatissimam toto orbe Christi Ecclesiam* sub Domitiani imperio cum Orosio dixerunt, vel commode intelligendi, ut in multis quidem mun-

di regionibus Christiana religio suscepta fuerit, esto non admodum multae Ecclesiae essent.

47. Haec summa responsionis adversariorum. Videsis *commentarium praeivium* Bollandianorum ad vitam S. Dionysii Ep. et M. tom. 4. Octob. die 9. pag. 881. et Tillemontium tom. 4. in vita ejusdem S. Dionysii. Si autem recentiorum consensus quidquam valet, ut certe quidem valet, clarissimus Stillingus opponit nobis in *Commentario* ad vitam S. Firmi eruditos criticos omnes. Licet vero paulo gloriosius id fieri, alibi ostendamus, non tamen negamus, habere nos, in Gallia praesertim, plurimos ex criticorum grege adversarios; neque criticos solum, sed etiam, quod longe majus est, multas Ecclesias, ex. gr. Parisiensem, et Tolosanam, quae in adornatis ante paucos annos Breviariis recentium criticorum sententiam de aetate SS. Dionysii, Saturnini, aliorumque Galliciae Apostolorum amplexae sunt. Verumtamen vel hinc intelligi licet, quam sit probanda Romanae Ecclesiae gravitas, verecundiaque in contrectandis, ac disponendis Ecclesiasticis libris. Quamvis enim probe ipsa norit, quid vulgo eruditi putent de baptismo Constantini, de Marcellini Papae lapsu, de aetate Dionysii Parisiensis, deque similibus multis, hunc tamen honorem defert canosae antiquitati, et stabilitate semel legi, ut ab his tradita omnia retineat, quoad liquido satis non constat, reprobanda esse.

48. Et quoniam novitiam suam de lenta Evangelii divulgatione opinionem tunc maxime produnt recentiores, cum de aetate S. Dionysii Parisiensis Episcopi agunt, duo, quae in ipsis mihi displicent, dicam. Primum, quod S. Dionysium tertio seculo consignantes contra opinionem a mille annis praevalem, ut ipsi quoque fatentur, nihil pro inveterata opinione dedocenda satis aptum allegant. Haud temere id a me dici, Disputatio prior de S. Saturnino affatim, credo, probat. Alterum, quod in illis probare nequeo, inconsulta negatio est celeris propagationis Evangelii. Siccine haec illis incommodat, ut consistere alias non possit S. Dionysii adventus in Gallias circa tertii seculi medium? Si ita res est, haec, ut ut verisimilis, epocha improbanda omnino foret, ne unanimitatis Patrum assertio falsa, vel imprudens certe, atque im-

mane exaggerata videatur. Verum stare ambo queunt; licet enim plurimi Christiani in Galliis essent tertio seculo, multi tamen erant, ac fortasse majori numero, Gentiles; neque urbes omnes habuisse tunc Episcopos dicendæ sunt. Licuit ergo Dionysio, post patrata Apostolis digna facinora, Parisiis, exigua tunc temporis urbe, consistere, ibique sanguinem pro Domino fundere. Hæc vero satis fuerint, non modo ut Galliarum Apostolus, Parisiensisque Episcopus haberetur, sed etiam ut seri nepotes, qui non dubiam de prædicato in Galliis Evangelio jam inde a primo seculo traditionem habebant, existimarent, eundem fuisse Apostolorum Discipulum. Quamquam autem erraverunt fortasse circa ætatem S. Dionysii, non errarunt tamen, dum sano quodam sensu Galliarum Apostolum, Parisiensemque primum Episcopum ipsum dixerunt.

49. Respondebit aliquis, non placituram conciliationem nostram studiosis S. Dionysii. Quasi vero recentium criticorum sententia eisdem valde arrideat. Verum quid habet nostra, cur magnopere displiceat? E duabus, quæ feruntur in Gallia, traditionibus, integram servat præcipuam de prædicato ibi magno cum operæ pretio Evangelio ab usque primo seculo: alteram autem de Apostolatu S. Dionysii non improbat quidem, sed sensum declarat, quo Gallorum Apostolus dicendus est. Dicam vero ego, quibusnam conciliatio nostra nullo pacto probabitur, recentioribus videlicet criticis, qui sententiæ suæ ruinam timent, admissis pluribus Christianis in Galliis ante Decii imperium. Cum enim vulgatis S. Saturnini Actis, in quibus pauci fuisse Christiani, adveniente eo in Gallias, dicuntur, plurimum innitantur, necesse ipsis foret, statuere ante Decii imperium tum S. Saturnini prædicationem, tum SS. Dionysii, Trophimi, et aliorum Galliarum Apostolorum, qui una cum illo, vel certe non multo post advenisse creduntur. Hoc autem ab se concedi posse negabunt, propterea quod in laudatis Actis advenisse Saturninus dicitur *Decio et Grato Coss.* Quoniam ergo sperandum non est, probari ab ipsis propositum conciliandi modum, experiamur, an assem, ut ita dicam, extorquere possimus ab iis, qui redimere litem respuunt. Tametsi perorata jam causa videri potest; nam probavimus libro primo, vulgata a Surio

et

et Ruinartio S. Saturnini Acta, in quibus prædicasse ipse dicitur Decio et Grato Coss., ita esse interpolationis suspecta, ut nemo prudens (post detectum præsertim antiquissimum Riccardianum Codicem) assumere hujusmodi notam temporis veluti certam possit, quo quidquam inde definiat. Ostendimus etiam hoc altero libro, Prophetias, Jesu Christi jussionem, Apostolorum testimonia, Spiritus Sancti dona primitivis Christianis ubertim communicata, atque ipsosmet scriptores gentiles luculentam nobis de propagatione fidei ideam ingerere; neque vero vanam hanc suspicari licere per SS. Patres, qui primo, secundo, tertio et quarto seculo in locis valde dissitis scribentes, unanimi voce clamant, non esse Christianam Religionem unius alteriusve regionis; sed totius Romani imperii, imo totius mundi. Verumtamen unum restat adhuc pro luculentiori demonstratione, ut scilicet, quorum reprobamus sententiam, eorum responsa superius proposita, minus apta esse probemus.

## CAPUT VII.

*Refutatio argumentorum capituli præcedentis.*

50. Dicebant itaque, verba Sacræ Scripturæ, et SS. Patrum generalia, seu indefinita esse; neque satis constare, quomodo sint accipienda. Ego vero ajo, tribus modis accipi posse. Ut sonant: ut usus fert: et ut exigit necessitas. Si nihil obstat, quominus accipiantur, ut sonant; quin ita accipienda sint, nemo dubitat. Verum usus, quem *penes arbitrium est, et jus, et norma loquendi*; sæpe vult, ut neglecto primario sensu, obvio alio, neminique non noto, accipiantur: estque apud doctos, et indoctos frequentissima figura, *tropus* a Grammaticis appellata, id est, verbi, vel orationis a propria significatione in alienam immutatio. Si vero alterutro ex his modis probi alicujus Scriptoris verba sumas, absurdum tamen quid consequatur, tunc ad remotiorem, in qua salva sit veritas, intelligentiam confugere necesse est. Quapropter facile patiar, non accipi primo modo has for-

mu-



mulas: *Omnes homines, omnis creatura, totus orbis terrarum, ubique*, et hujusmodi alia, quibus Sacra Scriptura, et Patres, de fidei propagatione loquentes, utuntur. Quis enim credat, neminem unum hominum, neque ullum terræ angulum fuisse, qui ante Hierosolymam eversam Evangelicam lucem non viderit? Obstant etiam, quominus in tam late patienti significatione sumantur, nonnulli Patres, qui vel recens, vel nondum omnino, conversas ad Christum gentes aliquas referunt. Usus præterea loquendi fert, ut parum pro nihilo reputetur, utque fieri ab omnibus, et ubique dicatur, quod a plerisque passimque fit.

51. Hoc temperamento intellectis generalibus verbis, debitus Scripturæ Sacræ, et Patribus honos servatur, cum ex usu loquendi ajunt, omnes ubique homines Evangelicam lucem vidisse: quia revera omnes, vel fere omnes Romani Imperii provincias peragrarunt Apostoli, horumque Discipuli; qui etiam ipsius limitibus non contenti, ad barbaras tum Aquilonis, et Austri, tum Orientis, et Occidentis gentes transierunt, et qua fuerant cælesti virtute præditi, non modo ingentem ipsi fructum perceperunt, sed docuerunt etiam alios modum, quo et semel jam parta servarent, et novis, quotidianisque accessionibus uberiora eadem, atque firmiora redderent. Egregia tot gesta ut ex loquendi usu satis sunt, quo generales illæ formulæ veræ, prudentesque habeantur, sic necessaria videntur, ne vanæ, atque gloriosæ videantur.

52. Scio, ipsos etiam scriptores prudentes plusculum exaggeratis loquendi formulis aliquando uti, ut ad abstrusiorum quandam significationem recurrendum sit, ne a veritate aberrasse dicantur. Verum id raro fieri a probis auctoribus, et tunc solum cum ex orationis adjunctis sincera et integra veritas deprehendi potest, negandum non est. Sed concedamus, exaggerari res plane ab uno aliquo Patre, vel antiquo scriptore. Non fuit, opinor, omnium hujusmodi vitium; etenim recte, Trajanum laudans, inquit Plinius, *Neque unus omnes, neque omnes unum fallunt*. Atqui antiqui omnes scriptores, qui de Christianæ religionis origine, vel data opera, vel obiter agunt, eodem loqui modo jam vidimus. Neque dixeris, plura nos exigere pro generalium assertorum veritate servanda,

da, quam exegisse videantur antiqui scriptores, quibus satis superque fuit, annuntiatum fuisse Evangelium in plerisque Romani Imperii Provinciis, et inter multas barbaras gentes, ut sine hæsitatione dicerent, annuntiari Christum in universo orbe, et ipsius Ecclesiam esse, appellarique debere, *Catholicam* seu universalem; esto interim non ignorarent, tum esse plurimas gentes, quæ de Christiana Religione non magis noverant, quam Ephesii illi, qui, *Neque si Spiritus Sanctus est, audivimus*, Paulo dixerunt Actor. 19. v. 2. tum in illis ipsis Regionibus, in quibus palam Christus annuntiabatur, partem longe maximam hominum nihil de eo scivisse, vel curasse. Hyperbolice ergo de propagatione Evangelii locuti sunt SS. Patres, nec tamen reprehendendi propterea sunt, quando hujusmodi genus loquendi in Scriptura etiam Sacra non infrequens est.

53. At vero si talis fuit SS. Patrum sententia, nihil impedit, quominus ex ipsorum mente Luterani, Calvinistæ, et Anglicani hæretici, qui multa hominum millia in quatuor orbis partibus sibi adhærentia numerant, Catholica appellent conventicula sua. Et vero poterunt, ut Tertullianus Romanis, minitari sic ipsi Turcis, Moscovitis, Tartaris, Persis, Mogolis, et Sinis deserendas eorum urbes, insulas, castella, municipia, tribus, decurias, castra, palatium, senatum, conciliabula, ipsumque forum, modo recedere ab eorum regionibus velint. Poterunt Lutero, et Calvino accommodare Clementis Papæ verba de Paulo dicentis: *In Oriente, ac Occidente verbi praco factus, illustrem fidei suæ famam sortitus est, in justitia mundum universum instruens, et ad Occidentis penetrans terminos*. Poterunt cum Herma gloriari: *Universa nationes, quæ sub cælo sunt, audierunt, et crediderunt nobis, et uno nomine filii Dei vocati sunt*. Poterunt de conventiculis suis dicere, quod de Christi Ecclesia S. Martyr Ignatius dicebat: *A finibus terræ usque ad fines extenditur*. Poterunt denique similia his alia multa jactare de Ecclesiis, seu Synagogis, quas in Europa, Asia, Africa, et America certo habent. Nec refert, paucos admodum, extra Aquilonares præsertim Europæ provincias, ipsos esse non modo comparate ad Christianos ceteros, ad Mahometanos, et ad

Gen-

Gentiles, sed absolute etiam, et in se se. Nam primo, et secundo seculo tam exiguo numero *trans Alpes* erant Christiani juxta recentes criticos, ut perspicacis Sulpicii oculos effugerint. Imo tertio et quarto in ipsis Romani imperii Gallicanis provinciis, per quas ad Germanos, Britannos, et Hispanos iter erat prædicatoribus Evangelii, inque ipsamet Narbonensi provincia, Italiæ finitima, usque adeo *pauci erant Christiani, et rara Ecclesia*, ut Religionem Christianam vix fuisse in Galliis agnitam ante S. Martinum dicturus sis, nisi gravissimo Actorum S. Saturnini scriptori, et sanctissimis septem Episcopis, ad S. Radegundem scribentibus, abrogare fidem temere velis. Quot vero Christianos putas tunc fuisse in Aquilonaribus terris, in interiori Africa, in America, et in multis Asiæ provinciis, quæ Christi fidem serius, quam Galliæ susceperunt? Si ergo nihil horum obstare potuit, quominus, præeunte S. Justino Martyre, vere fidenterque Patres dicerent, jam inde a secundo, imo et a primo seculo *Ab ortu Solis usque ad occasum legem divinam susceptam fuisse in omni gente, et regione, ab omni sexu, et ætate; atque ne unam quidem esse hominum nationem, sive barbarorum, sive Græcorum, seu etiam aliorum omnium, quocumque appelletur nomine, vel in plaustis degentium, vel pecora alentium, inter quos per nomen Crucifixi Jesu preces et gratiarum actiones Patri, et Conditori universi non fiant*: si, inquam, nihil prædicatorum impedire Patres debuit, quominus hæc scriberent; enim vero non video, cur per eosdem Luteranis, Calvinistis, et Anglicanis non liceat esse grandiloquis, et Catholicorum nomen audacter sumere.

54. Sed qui factum est, inquirunt, ut Christianorum plenæ si Galliæ erant ante Marcum Aurelium, non etiam Martyres habuerint? Et tamen Gallicani Martyres anteriores sunt Africanis, et Hispanis. Argumentum ex Sulpicio Severo descendit, qui, quod primum sub Marci Aurelii imperio Gallicanos Martyres in Eusebii Historia fortasse reperit, primos omnium eos credidit; atque ex fallaci hoc antecedenti satis apte intulit, Christianam religionem serius trans Alpes susceptam fuisse. Vide, quæ libro primo dixi. Ex inibi autem disputatis, et ex unanimi, quam supra ex-

po-

posui, assertionem Patrum, Sulpicio antiquiorum ac diligentiorum, licet argumentum ejus in hunc modum invertere. Plurimi Christiani fuerant in Galliis, in Africa, et in Hispania jam inde a primi seculi fine, et ab initio secundi; igitur et Martyres aliqui. Consequentia Sulpicianæ dici potest, descenditque satis recte ex antecedenti, quando nihil est, cur harum provinciarum Christiani feliciori, quam ceteri, sorte gavisi sint. Antecedens quidem improbat Sulpicio, sed probatur ceteris Patribus, quorum sententiam nos amplectemur libro tertio, ubi de singularum Ecclesiarum origine inquiretur.

55. Unum vero animadvertendum hic duco, Doduelli, reliquerumque *semichristianorum impudentem opinionem de paucitate Martyrum* ista criticorum argumentandi methodo confirmatum iri. Martyres enim noti præ ignotis pauci; paucissimi vero, quorum acta sincera habemus: si ergo ab his sumendum exordium, in ipsis quoque finis faciendus erit. Neque opponas, Ruinartium in *præfatione ad acta sincera*, et plures alios luculenter demonstrasse innumeram Martyrum multitudinem. Nam quibus potissimum argumentis id evincunt? Generalibus nimirum assertionibus tum Christianorum, tum etiam Gentilium Auctorum, qui primis Ecclesiæ seculis vixerunt. Quo ergo jure comprehensas ante placitum tibi tempus in ejusmodi assertis Galliam, Hispaniam, Africam, ceterasque fere omnes occidentis provincias tu non vis, eodem Doduellus excludet pro omni tempore universum orbem.

56. Præcedenti simile est argumentum alterum e diptychis Ecclesiarum desumptum. Quare istud etiam retorquere in adversarios ita licet: Plurimi Christiani erant in toto orbe terrarum duobus primis seculis; ergo et Episcopi multi. Consequentiam qui neget, is animum advertere non mihi videtur ad primævæ Ecclesiæ disciplinam, quæ ab Episcopis exigebat tum ea, quæ sine caractere Episcopali rite fieri nequeunt, tum cetera omnia, quæ simplices Presbyteri nunc passim exercent. Quapropter necesse fere erat, ut urbes singulæ Episcopos singulos haberent. Illustre hujus rei exemplum Creta insula ( *ἑκατόμηποις* id est, *centum civitates habens*, vul-

go

go dicta) præbet; sic enim Paulus ad Titum scribit cap. 1. v. 5. *Hujus rei gratia reliqui te Creta, ut ea, qua desunt, corrigas, et constituas per civitates* (græce κατά πόλιν oppidatim) *presbyteros, sicut et ego disposui tibi*. Nam quod Presbyterorum nomine Episcopi maxime intelligendi hic sint, tum communis est interpretum sententia, tum ipse Paulus, constituendorum dotes describens v. 7. ita declarat: *Oportet enim Episcopum sine crimine esse &c.* Nec mirum appellari Episcopos Presbyteros, promiscue enim accipiuntur hæc nomina Epist. ad Philipp. c. 1. v. 1. et 1. ad Timoth. cap. 3. et Act. c. 20. v. 28. Nihil vero est, cur alibi institutum aliud tenuisse Paulus, vel Apostoli ceteri dicantur. Si ergo recentiores critici facile, quod sæpe fatentur, credi ferunt, peragrasse Apostolos, vel horum saltem Discipulos Galliam, Hispaniam, atque Britanniam: cur ægre jam audiunt, constituisse eos *per civitates* harum regionum *Presbyteros*, seu Episcopos?

57. Sed timent fortasse, ne, admissis Episcopis multis, **Christianorum ingens multitudo** admittenda ipsis sit. **Nullus dubito**, quin Evangelicum semen, ab Episcopis multis spatsum, ut in Oriente, sic in Occidente copiosos fructus fecerit: verumtamen neque id necessario sequitur, neque ex constitutis *per civitates* Episcopis, Christianos jam tum plurimos in eis fuisse, concludere licet: nisi si forte velis, infinitam fuisse Cretensium Christianorum multitudinem, quo tempore Titus, jussioni Pauli certissime audiens, oppidatim constituerebat Episcopos. Alio, nisi fallor, respiciebant Paulus, et Apostoli, qui, comparare sibi Pastores gregem, volebant; ideoque vel paucis unus urbis Christianis præponebant mox aliquem, quem aptum nosset, non solum ad confirmandum imbecilliores, exequendaque sacra munia, quibus Christiana quælibet congregatio diu fraudanda non est, sed ad augendam etiam in dies Ecclesiam. Quamvis autem Episcopali caractere non semper exornarentur hujusmodi Præpositi, et sæpe Presbyteri, interdum etiam Diaconi mererentur, frequenter tamen fiebat, ut ex novela congregatione, vel ex comitatu illius, qui prædicatum venerat, idoneus inventus aliquis in Episcopum consecraretur. Multis annis perennavit institutum hoc apostolicum, ut ex S. Gregorii

gorii Thaumaturgi historia discimus, qui Neocæsareæ in Ponto anno circiter 240. Episcopus constitutus fuit, cum soli decem et septem Christiani inibi erant, ut ipsemet, gratias Deo agens, dixit, quando moriturus audiit, septemdecim tantum gentiles in urbe pagisque inveniri. Similia multa de Sanctis aliis narrantur. Et quamquam non æque omnes felices Episcopi erant, his tamen decedentibus Successores dabantur, quod adversarii etiam nostri fateri coguntur, dum ad S. Martinum paucos fuisse volunt Christianos in Galliis, esto multos ibi jam antea Episcopos fuisse, negabit, opinor, nemo, qui Gallicanæ quarti seculi Ecclesiæ Historiam, immo qui solum titulum Libri S. Hilarii *De Synodis* legat. Ergo ex multitudine Episcoporum non infertur necessario ingens Christianorum numerus.

58. Verumtamen fatendum est, gravissimum id esse argumentum florentis, augescentisque Ecclesiæ. Quapropter cum de veteri Apostolicoque multiplicandi Episcopos instituto satis constet, prudenti hinc conjectura elicimus, Christianorum etiam numerum brevi multiplicatum fuisse. Cave vero inferas, probandas propterea esse traditiones omnes, quas de Apostolica, si Superis placet, Ecclesiarum suarum origine urbes pleræque jactant: hoc enim foret, a thesi, ut ajunt, ad hypothesim continuo venire. Quæ ergo plusquam favens aliquod præjudicium, ex mirabili propagatione Evangelii descendens, sibi sumunt, necesse est, argumentis gravibus ut id probent; quod quidem paucæ jam exequentur, nisi si forte chronica, Martyrologia, et alia hujusmodi, septimo fere seculo recentiora, gravium argumentorum loco habeantur. Quin neque morositatis recentiores criticos accusaverim, qui nolunt, sex, vel septem Episcopos (quot in quarundam Ecclesiarum probatæ fidei diptychis ante Constantinum laudantur) adeo vivaces facere, ut ducentorum et amplius annorum spatium impleverint. Quare nollem, ambitione nimia optimam causam corrumpi; hujusmodi autem esse, ajo, celeberrimam in Oriente, et Occidente divulgationem Evangelii, de qua fere omnes antiqui scriptores certos nos reddunt. Quia vero generalis hæc thesis non impedit, quominus urbes aliquæ, vel etiam provinciæ Christianam religionem serius ac-

cepisse credantur, ut inquietari eas non probo, quæ ad commune ceteris, de quo modo dicebam, præjudicium probabilia aliqua ex traditione, vel aliunde petita argumenta addunt; sic ceteræ, quæ his destituuntur, ponere magis, quam inepte probare deberent, jam inde a primis seculis Christianam religionem se se accepisse. Licet itaque criticis de uniuscujusque Ecclesiæ origine quærere, et antiquam, vel recentem pro argumentorum meritis ipsam dicere: verum pessime illi consulunt causæ suæ, dum admodum paucos primis seculis fuisse Episcopos dicunt, quo Ecclesiæ, de qua forte agunt, vetusta origo minus verisimilis fiat; cum certum potius, et exploratum contrarium sit: et vel hinc antiquiores origines probabiliores novioribus habendæ sint.

59. Dixi sub initium hujus capituli, cogi nos aliquando attribuere verbis remotiorem significationem, ne, si, ut sonant, vel ut usus loquendi fert, accipiantur, scriptor cæteroqui probus in reprehensionem violatæ veritatis veniat. Ad didi, raro id evenire in uno aliquo, nunquam vero in omnibus. Et sane reconditæ significationes, atque exoticæ hyperboles, a multis frequentatæ, desinunt esse tales: quare aut negandum est, scriptores plures antiquos attestari celebrem in universo mundo Evangelii divulgationem, aut inesse in hujusmodi attestazione inusitatam, absonamque hyperbolem. Dicet, opinor, aliquis, exaggerasse *plusculum* Patres primorum Christianorum multitudinem. Verum non *plusculum*, sed immane exaggerasse dicendi essent, ut ante probatum fuit. Deinde si Scripturæ Sacræ, et Patribus exaggerata verba tribuimus, quin potius scriptori passionis S. Saturnini, Sulpicio Severo, et Episcopis septem ad S. Radegundem scribentibus, diminuta tribuamus? Scilicet affigenda illis hyperbole quævis est, ut horum verba ad literam accipiantur.

60. Verum nec sic quidem res ex animi sententia criticis nostris cedunt, qui, cum ad seculi tertii medium vix unum, aut alterum in Galliis Episcopum admittant propter paucitatem, ut ajunt, Christianorum; tot tamen ab initio quarti coguntur admittere, ut, plures ne fuerint seculo decimo octavo, dubites. Atqui Christianorum paucitas per-

du

duravit ibi, si ipsis credimus, ad usque S. Martinum. Quid vero de Africanorum tertii seculi Christianorum numero idem putent, non habeo dicere; id ajo, nihil esse, cur Evangelicum semen, serius fortasse in Africa, quam in Gallia sparsum, citius illic, atque felicius creverit. Et tamen in una Numidiæ provincia tot erant anno circiter 240. Episcopi, ut S. Cypriano teste epist. 55. Privatum Lambesitanæ coloniz Episcopum hæreticum nonaginta eorum damnaverint. Crediderim, universos Provinciæ Episcopos, nemine uno senio, ægritudineve impedito, ad Concilium convenisse; imo non ex sola Numidia, sed ex ceteris etiam Africanis provinciis Episcopos adfuisse; sufficit, opinor, causæ nostræ, si, quo tempore S. Fabianus Papa, Galliarum Apostolus ab eruditibus recentibus pro suo libitu salutatus, ad convertendos Gallos Saturninum, Dionysium et socios nondum miserat, jam tum nonaginta Episcopos Africa numerabat. An autem pro horum numero Christianorum numerus fuerit, eruditi nostri edisserent.

61. Ad hæc vix lustrum unum, si adversariis credimus, in Galliis agebant Dionysius, Saturninus, et socii, cum S. Cyprianus de Marciano, Arelatensi jam dudum Episcopo, deponendo ad Stephanum Papam scribens, meminisset *Faustini Lugdunensis, et ceterorum Coepiscoporum in Provincia constitutorum*. Undenam tam repentina Episcoporum ubertas in solo ducentos annos sterili? Dicent fortasse, Episcopos hos esse, qui recens ex Italia advenerant, vel alios ab his constitutos. Sed necessitate extorta responsio isthæc esset, quam (mirum!) siquis Cypriani epistolam vacuo animo legens probet: improbant certe illam nonnulli ex adversariis ipsis, qui incommodam epistolam Cypriano abjudicandam putant; quibus facile assentirem, nisi ruinoso fundamento paucorum per ea tempora Christianorum in Galliis niterentur. Gravius alterum ex eodem Cypriano argumentum pro Hispanorum Episcoporum multitudine sub tertii seculi medium afferre possemus; sed de eo nihil hoc loco dicimus, quia necessario rediit sermo, cum de Hispaniæ Ecclesiæ origine inquiremus.

62. Satis, ni fallor, feci adversariorum argumentis omni-

mini-

mnibus, quæ tamen ( quod ad particularem de origine Gallicanæ Ecclesiæ quæstionem in primis pertinent ) tertio libro ita retractabuntur, ut non tam actum agere, quam eadem explicare magis magisque, videri possimus. Ad generalem ergo de celeri in universo orbe religionis nostræ propagatione quæstionem rediens, ajo, Scripturam Sacram non modo disserre, ac sæpe ipsam prædicere, sed ea etiam de collatis Christianifidelibus Spiritus Sancti donis, et de Apostolorum in ordinandis oppidatim Episcopis instituto referre, quæ mirifice apta erant ad incrementum Ecclesiæ. Propterea nihil esse, cur inusitata eam hyperbole usam fuisse credamus; cum præsertim nihil exaggeratum in ipsius verbis scriptores antiqui viderint, qui etiam similibus loquendi formulis miro consensu usi sunt. Tria quidem testimonia innuere aliud videntur; sed vel ob id ipsum quod tria duntaxat sunt, ipsaque non admodum antiqua, morari neminem queunt. Quamquam exponi benigne possunt, quasi pauci Christiani secundo, tertio, et quarto seculo nonnemini visi fuerint, qui vel ad majorem Gentilium numerum, vel ad infinitam multitudinem, quæ Ecclesiæ aggregata post fuit, aspiciebat. Est etiam observatione dignum, præfata testimonia ad Christianos Galliciarum solummodo pertinere, et eorum præcipuum, desumptum scilicet ex S. Saturnini Actis, non ad Christianos temporis Decii Imperatoris pertinere, ut præpropere eruditi critici crediderunt, sed ad antiquiores illos, qui ad fidem Christi pertracti ab Apostolorum Discipulis, imperante fortasse Claudio, pauci certe quidem erant.



## LIBER TERTIUS.

De origine, et progressu Religionis Christianæ  
in præcipuis Orientis et Occidentis  
Provinciis.

## CAPUT I.

De Origine Religionis Christianæ in Orientis  
Provinciis.

**U**t ea, quæ generatim disputavi hactenus, dilucida magis fiant, proderit speciatim dicere de origine Religionis nostræ in præcipuis mundi provinciis, et quidem delibantis more magis, quam ad vivum id resecantis; antiquitatum enim Christianarum tractatio eatenus ad me pertinet, quoad perspicuum omnino fiat, non temere, et hyperbolice, sed prudenter, atque ex usu recepto loquendi scriptores antiquos dixisse, Christianam religionem brevi susceptam ubique fuisse. Ordior itaque ab Oriente, ubi Legifer noster Christus vixit, mortuusque est, et ubi Apostoli prædicaverunt. Et quoniam controversia non est de Ecclesiis, quarum in Actibus Apostolorum, in Apocalypsi, et in Epistolis Pauli, ac Petri mentio fit, breviter ajo, cum Apostolos alios, tum maxime Paulum, quod de se ipse testatur Ep. ad Rom. cap. 15. v. 19. *Ab Hierusalem per circumtum usque ad Illyricum replevisse Evangelium Christi, et quidem in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus sancti.* Cave autem putes, exponi hæc ita posse, ut aliquæ, non tamen admodum multæ ingentis hujus tractus provinciæ Evangelio repletæ fuerint. Nam idemet Paulus statim addit: *Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis; cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero, quod præteriens videam vos.* Neque vero sterili terræ Evangelii semen man-

datum fuit; etenim cuncta fere, quæ vel in Eusebio, vel in antiquioribus AA. ad religionem nostram pertinentia leguntur, in Græcia, Asia, et Syria evenerunt. Nihil autem refert, quod ii, qui de harum regionum Episcopis agunt, exordiantur fere catalogos suos ab Episcopo aliquo tertii, vel quarti seculi; monumentorum quippe defectu id fit, ut ex ante habitis Conciliis, quorum Eusebius, et alii meminerunt, certo colligitur.

2. Missis itaque Asia Minori, et Syria, ubi Apostolos prædicasse, Scriptura Sacra nos docet, de Ægypto, et ea parte Africæ, quæ Orienti accensebatur, vix est qui dubitet, quin per Marcum Evangelistam, et alios Apostolicos viros mox fidem susceperit. Judæi certe, quibus Apostoli in primis prædicabant, ingenti ibi numero erant; et Actor. cap. 2. v. 10. cap. 11. v. 20. cap. 13. v. 1. mentio fit Christianorum, imo Evangelistarum, et Doctorum Cyrenensium, seu Libycorum, qui tanto dilatandæ fidei ardebant zelo, ut Antiochiæ etiam ad Græcos loquerentur de Christo, quando ceteri solis Judæis prædicandum sibi esse censebant. Par ergo est credere, non fuisse illos suorum civium oblitos. Et quidem S. Jrenæus, ac Tertullianus Ecclesiarum Libyæ meminerunt, ut superiori libro vidimus; *Christianorum* autem, imo *Christi Episcoporum Ægyptiorum* diu ante meminerat Hadrianus Cæsar Epist. ad Servianum Consulem apud Vopiscum in vita Saturnini.

3 Quod Psalmo 67. v. 32. prædictum fuerat, *Æthiopia præveniet manus ejus Deo*, id Sancti Patres completum intelligunt per Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum: hi enim ante alias gentes Christi fidem suscepisse, Eunuchos prædicante, dicuntur. Videsis Bollandianum Opus ad diem 27. Aug. in vita S. Eunuchi Æthiopis. Etsi vero non satis constat, ubinam ipsi sedes habuerint, (erant enim in Arabia, et in interiori Africa Æthiopes) communior tamen, ni fallor, opinio est, Africanis Candacem imperitasse. Æthiopibus prædicasse etiam Matthæum, Andream, Thomam, et Matthiam, tradunt Origenes apud Eusebium lib. 3. Hist. cap. 1. et alii Patres a Baronio laudati ad an. 44. numm. 31, 33, 41. Quapropter verisimile est, vicinas omnes Ægypto provinci-

as jam inde a primis seculis plurimos Christianos habuisse. Confirmarique id potest ex peregrinatione Pantæni philosophi Christiani, et Alexandrinæ scholæ præfecti, qui pro Apostolicorum virorum adhuc vigente more, Evangelium prædicaturus, in Indiam seculo secundo libente contendit, ut refert Eusebius lib. 5. hist. cap. 10: neque enim de ultimis prope gentibus ad Christum trahendis cogitasset, si æquale, vel majus operæ pretium in propinquis fuisset. Scio, Indiam, ad quam Pantænus profectus fuit, videri Tillemontio in vita S. Bartholomæi Apostoli Arabiam felicem Ægypto propinquam: sed aliud ipsemet indicat in vita S. Pantæni: et merito quidem, ab Alexandria enim in Arabiam felicem iter nihil exquisita commendatione dignum offer. Fuisset etiam nimis abusiva ista Indiæ acceptio; neque Arabia præ conterminis Ægypto provinciis prædicatoribus indigebat.

4. Ut enim Palæstinæ proxima erat, sic inter primas suscipere Evangelicæ lucis radios debebat. Et quidem nonnulli Arabes, ut Actor. cap. 2. dicitur, interfuerunt primæ Petri concioni, moxque baptizati sunt. Paulus etiam elapsus Damasco, abiit in Arabiam, et ibi Christum annuntiavit, ut ipsemet indicat in epist. ad Galatas cap. 1. v. 16. et 17. Prima autem scaturigo notitiæ Christi apud Arabes in Magis, qui ipsum recens natum adoraverunt, statuenda est, si ab Arabia felici, quod antiqui recentesque plures Auctores putant, profecti fuerunt. In historia tertii seculi apud Eusebium frequens mentio fit Arabicæ Ecclesiæ propter Origenem, Berillum, et Dionysium Alexandrinum, quorum primus semel, et iterum Arabiam petivit, secundus Bostræ, Arabiæ Petrææ metropolis, Episcopus fuit, Dionysius vero literarum, quas Arabicæ Ecclesiæ Romanus Pontifex scripserat, meminit. Eodem tempore S. Hippolytus florebat, quem Arabum Metropolis Episcopum Gelasius Papa appellat lib. *De duabus narris*. Neque vero temere crederetur confirmata, auctaque magis fuisse hæc Ecclesia sub Philippis Imperatoribus Christianis, vel Christianorum certe fautoribus, quippe Arabes ipsi erant.

5. De Armenia, quæ, ut Libya et Arabia, ex parte solum subjecta Romanis fuit, quæri solet, quando fidem Christi suscepit? Prædicasse magno cum operæ pretio, et

mortem oppetiisse pro Christo in Armenia Majori S. Bartholomæum, Romanum Martyrologium ad diem 25. Aug. asserit: idem Bollandiani confirmant. Tertullianus, ut lib. 2. cap. 3. vidimus, Christianis Provinciis Armeniam accenset. Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 6. in fine literas de *pœnitentia* ad Armenios, quorum Episcopus Meruzanes erat, scripsit. Mitto Armeniæ plures Martyres, quos variis diebus Martyrologia classica laucant; sed prætermittenda non est Eusebii narratio, ex qua non immerito inferas, universam pene Armeniam Christianam fuisse ineunte seculo quarto. Sic itaque Eusebius scribit lib. 9. Hist. cap. 8. „ Bellum insuper  
 „ a Tyranno Maximino commotum est adversus Armenios,  
 „ jam inde a primis temporibus amicos et socios Populi Ro-  
 „ mani: qui cum Christiani ipsi quoque essent, et divina  
 „ religionis studiosissimi, Deo invisus Tyrannus eos ad simu-  
 „ lacrorum, ac dæmonum cultum traducere per vim conatus,  
 „ pro amicis inimicos, hostes pro sociis effecit.... Et ipse  
 „ quidem in bello adversus Armenios una cum exercitu suo  
 „ varias clades, atque ærumnas pertulit.

6. Verum Armenii omnes asseverantissime dicunt, regnantibus Tiridate, et Constantino M., Christiana se luce illuminatos fuisse a S. Gregorio, dicto propterea *Illuminatore*. Eodem modo loquuntur Sozomenus lib. 2. cap. 7. et Theophanes pag. 19. *Chronograph.* Hæc, ut ut ad speciem contraria, conciliari possent, si Christiani, ac Martyres, quorum Tertullianus, Dionysius, et Martyrologia memanerunt, ad Armeniam Minorem Romanis subditam, vicinamque Cappadociæ, ubi nostra Religio ab initio floruit, pertinere dicerentur. Quod enim Maximinus Armeniis (majorem utique Armeniam habitantibus) religionis Christianæ causa bellum intulerit, solum probat, ipsos ante annum 313., quo Maximinus periit, Christianos fuisse, quod ultro fatentur Armenii, originem suam Christianam anno 305., seu primo Constantini, et trigesimo quarto Tiridatis alligantes. Obstant quidem conciliationi huic Romanum Martyrologium, et cetera argumenta apud Bollandistas videnda, quibus S. Bartholomæi prædicatio in Armenia Majori asseritur. Sed quidni Apostoli morte defecisse inibi etiam Christianam religionem dicamus?

7. Non displicet mihi conciliatio, si hujusmodi religionis defectus modice accipiatur: nam inviti, opinor, trahuntur Martyres omnes ad Armeniam Minorem, quandoquidem hoc ipso, quo hæc scribo, vigesimo secundo Junii die in Romano Martyrologio annuntiatur *Passio sanctorum Martyrum decem millium crucifixorum in monte Ararath*, quem ad Armeniam Majorem pertinere, nemo nescit. Etsi autem de hac ipsa annuntiatione eruditi aliqui mussitant, ad locum tamen quod attinet, vix ulla est difficultas. Ad hæc Maruzanis Episcopi paulo ante laudati nomen, ut affine est aliis in Armenia Majori usitatis, sic in Minori barbarum videri potest. Fuga denique in Armeniam Majorem Sanctarum Virginum Ripsimis, et Sociarum, de quibus videsis Martyrologium Romanum ad diem 29. Sept., indicat, fuisse illic sub Diocletiano Christianos, qui pudicitiae, fideique auxiliari possent, ac vellent. Neque exiguo eos numero fuisse, colligere licet tum ex innumera Christianorum multitudine vicinarum Mesopotamiæ, et Persiæ, de quibus mox dicemus; tum ex infelici exitu belli Armeniis a Maximino indicti: nam, ut, Tiridatis conversionem Armeniorum plurimos ad Christum traxisse, non nego, sic intra unum vel alterum annum tot pertraxisse, quot Eusebii narratio exigit, persuadere mihi non possum. Propterea S. Gregorio Armenio *Illuminatoris, Apostolique* suæ Genis titulos do etiam ego libenter; verum tamen non paucos ante ipsum fuisse in Armenia Majori Christianos nullus dubito.

8. Ad austrum Armeniæ erat Osdroene Provincia, cujus princeps civitas Edessa, illustris Abgarorum sedes. Eusebius in fine lib. 1. literas Jesu ad Abgarum, et Abgari ad Jesum ex tabulario Ecclesiæ Edessenzæ depromptas adducit. Tum lib. 2. cap. 1. hæc ait: „ Thomas, quemadmodum testimonio mo-  
 „ numentum cujusdam illic (Edessæ) reperti, paulo ante os-  
 „ tendimus, divino impulsu incitatus, Thaddæum doctrinæ  
 „ Christi prædicatorem et Evangelistam, Edessam usque mi-  
 „ sit. Qui, cum ad illa loca adventasset, non Abgarum so-  
 „ lum Christi verbo ad pristinam restituit valetudinem, sed  
 „ omnes, qui illam regionem incolebant, miraculorum pene  
 „ incredibilem admiratione obstupescit: qui etiam, cum il-

„lorum mentes rebus mite a se gestis quodammodo præpa-  
 „rasset ad fidem, et ad admirabilem Christi potentiam, vir-  
 „tutemque colendam traduxisset, facile salutaris et evange-  
 „licæ doctrinæ discipulos reddidit. Ex illo tempore ad hanc  
 „usque ætatem tota Edessenorum civitas Christi nominis pro-  
 „fessione firme et constanter adhæsit, utpote quæ non vul-  
 „gare Servatoris nostri erga ipsam beneficii argumentum a-  
 „pud se retineat. Atque ista quidem ex veterum historiis pe-  
 „tita sunt. „ Non dissimulo, narrationi Eusebianæ, et mu-  
 „tuis maxime literis Jesu et Abgari, inesse aliqua, quæ diffi-  
 „cultatem creant, sed contemnenda hæc præ auctoritate Euse-  
 „bii, eruditi plures, etiam acatholici, putant. Sufficit vero no-  
 „bis, quod præfatam narrationem nemo ita rejiciat, ut Edes-  
 „sæ susceptam fuisse religionem Christianam Apostolico ævo,  
 „neget. Et quidem laudatus Eusebius de controversia Paschæ,  
 „secundo seculo agitata, loquens ait: *Ecclesiarum quoque in*  
*Osdroene provincia, et in illius urbibus regionis constitutarum,*  
*litera visuntur.*

9. Neque minus antiqua, neque diffusa minus in vici-  
 „na Mesopotamia religio Christiana erat; communem quippe  
 „ipsa cum Osdroene Magistrum Thaddæum sortita est. Si au-  
 „tem consideretur, Hebræos, quibus præcipue prædicabant Apo-  
 „stoli, frequentissimos in Mesopotamia fuisse, verisimile fi-  
 „et, non unum aut alterum, sed plures Christi Apostolos,  
 „et Discipulos in ea prædicasse. Et certe qui Parthiam, Per-  
 „siam, et Indiam evangelica luce illustratum ibant, vix pote-  
 „rant non sæpe illac transire, atque adeo illam illuminare. Neque  
 „meras has esse conjecturas existimes, quandoquidem post cen-  
 „tum ab Apostolis annos Bardesanes ibi florentissimam scho-  
 „lam, ut Eusebius in fine lib. 4. narrat, summa cum opinio-  
 „ne doctrinæ regebat; hic igitur idoneus pro hujusmodi cau-  
 „sa testis, *de Christianorum secta, qui in omni parte orbis, imo*  
*vero in omni civitate inveniuntur*, testimonium fert in præ-  
 „claro Dialogo, *de fato*, ut lib. superiori vidimus. Post alte-  
 „ros vero centum a Bardesane annos, doctrina ei non impar,  
 „sanctitate autem vitæ, et fidei constantia longe illustrior S.  
 „Archelaus Episcopus Cascaris (quam *Charam*, seu *Haram* in  
 „Scriptura sacra commemoratam multi putant) in historia sua  
 „cum

cum Manete concertationis ingentem tunc fuisse in Mesopo-  
 „tamia Christianorum multitudinem, luculenter testatur: Mar-  
 „celli enim cujusdam inter alia meminit, ditissimi, ac santis-  
 „simi Cascaræ civis, qui 7700. captivos Christianos redeme-  
 „rat. Hi nimirum quadam die in campum pro more illius regionis  
 „oratum exierant, derepenteque a Romanis militibus (adver-  
 „sus Persas non longe castrametantibus, et hostilem exercitum  
 „esse illos credentibus) circumventi, præter 1300. occisos,  
 „et 500. saucios, ceteri 7700. captivi ducti sunt. En tibi 9500.  
 „in una urbe christiani, quibus addere plures alios, qui domi  
 „remanserint, tuto possis.

10. Non minor fortasse erat in Babylonia, Caldæa, et  
 „Transtigritanis provinciis multitudo Christianorum; in ea quip-  
 „pe maxime loca Hebræi concesserant, quibus in primis, ut  
 „jam dixi, Apostoli prædicabant. Et quidem Bardesanes, *vir*  
*Babyloniensis* a Hieronymo appellatus in lib. 2. cont. *Jovinian.*,  
 „neutiquam, puto, dixisset, *in omni orbis parte, imo in omni*  
*civitate* Christianos degere, si in finitimis provinciis pauci fuis-  
 „sent. His accedit Caldææ Ecclesiæ traditio, quæ tum Aposto-  
 „los aliquos, ac Thomam præsertim, parentes suæ fidei lau-  
 „dat, tum Seleucienses decem Episcopos numerat ante S. Si-  
 „meonem, anno 330. martyrio coronatum, ut in *Commentario*  
*de Catholicis Caldæorum* Josephus Aloysius Assemanus ait. Nec  
 „vero dubitari licet de remotissima Christianæ religionis ori-  
 „gine in cunctis, quæ Mesopotamiam circumstant, provinciis;  
 „nam Syria ad Occidentem ejus sita, Romanisque subdita, ipsa  
 „est, unde in reliquas Christi fides manavit. Ad Septentrionem  
 „Osdroene, et Armenia vergunt, ad Austrum vero Arabia,  
 „de quibus jam diximus. Restant provinciæ Transtigritanæ O-  
 „rientem versus, de quibus difficilior est inquisitio; verum has  
 „etiam Christiana fide magis, quam Assyriorum, Medorum,  
 „Parthorum, et Persarum imperio, nobilitas fuisse jam inde  
 „a primo seculo, argumentis non obscuris scimus.

11. Nam primum Parthi, Medi, et Ælamitæ, seu, Per-  
 „sæ, interfuerunt primæ Petri concioni, qua *anima circiter tria*  
*millia* ad Christum conversæ fuerunt, ut Actor. 2. dicitur.  
 „Quis ergo dubitet, ex hoc numero illorum aliquos fuisse?  
 „Deinde vetus traditio est, primam S. Joannis epistolam ad  
 „Par-



*Parthos* inscriptam fuisse: cum ergo *Filiolos suos* Joannes sæpe appellet eos, quibuscum in ipsa loquitur; cumque se ad *Patres, ad Juvenes, ad Adolescentes*, et ad ipsos *Infantes* scribere protestetur, non immerito colligimus, prædicasse apud illos antea Apostolum, et copiosam ibi Ecclesiam floruisse. Ad eosdem *Parthos* prædicasse etiam Thomam Apostolum Eusebius lib. 3. cap. 1. Origenes lib. 3. in *Genes*, et Auctor *Recognitionum* lib. 9. asserunt. S. Archelaus vero *Disputatione contra Manetem* pag. 101. ait, Basilidem hæresiarcham, qui anno circiter 136. mortuus fuit, prædicasse Persis doctrinam suam *de duobus principiis*. Erant ergo jam tum ibi Christiani; neque enim Idololatri prædicare hæretici solent; et, ut S. Irenæus supra laudatus auctor est, Basilidis, Valentini, et ceterorum Hæreticorum conventicula recentiora sunt Catholicis Ecclesiis in universo mundo constitutis.

12. Verum si cetera argumenta deessent, quibus Apostolorum in *Transtigritanis* Provinciis prædicatio comprobaretur, affatim id demonstraret historia persecutionis a *Sapore* Persarum Rege suscitata seculo quarto. Usque adeo enim florentem Ecclesiæ statum, tamque numeris omnibus absolutam in illis partibus Hierarchiam repræsentat, ut recentiorum Christianæ religionis originem plane respuat. Miror itaque, Sozomenum, qui libro 2. Saporis persecutionem prolixè, accurateque describit, arbitrari potuisse, religionem Christianam paulo ante susceptam a Persis fuisse. Sed conjecturam nulla ratione fultam, ambigueque propositam, nihil moror; et lectorem appello, ut ex ipsius Sozomeni verbis, quæ describo, de origine Ecclesiæ Persicæ judicet. Sic ergo ait lib. 2. cap. 12. 4. Sub eodem principatu *Saporis* innumerabilis multitudo Presbyterorum, Diaconorum, Monachorum, et sacrarum Virginum, et aliorum, qui in Ecclesiis ministrabant, et pro doctrina fidei laborabant, martyrio consummata est. Episcopi vero, quos quidem accepi, *Barbasimes, Paulus* etc. (*viginti tres Episcopos, et Chorepiscopum unum nominat.*) Ut summam dicam, cunctos ejus temporis Martyres, tam viros quam mulieres, quorum nomina recoluntur, sedecies mille numero fuisse perhibent; reliquæ vero multitudinis ne numerum quidem miri posse: atque idcir-

co difficile admodum visum Persis, Syris, atque Edessenis, qui hac in re plurimum studii, atque operæ posuerunt, horum nomina percensere. Sozomeni narrationem confirmant sacri Fasti Latini, et Græci, ut videre licet in *Mar yrologio Romano* ad 21. Aprilis atque ad alios dies, et apud Josephum Simonium Assemanium tom. 6. *Chattendariorum univ. Eccl.* pag. 259. quare non est incredibile, quod *Amrus*, a *Ruinartio* citatus in *admonitione ad martyrium S. Simeonis, et aliorum in Perside*, ex testimonio Episcopi *Adanæ* in Armenia ait in *Epitoma Historie Catholicorum*, seu *Patriarcharum Nestorianorum*, occisa nimirum fuisse martyrum centum sexaginta millia in prima sub *Sapore* persecutione, et quidem in sola regione *Dir et hamar* dicta; in *Iraca* vero triginta millia. Ut ut autem sit de enumerationibus hujusmodi, cum certum exploratumque habeatur ab eruditis, universam Persiam plenam fuisse Christianis sub seculi quarti initium, certum etiam habendum est, longe ante prædicatum ibi fuisse Evangelium Christi.

13. Sed quid mirum, prædicasse Apostolos Parthis, Medis, et Persis, vel, ut uno verbo dicam, Assyriis, quando ad Indos etiam penetrasse, constat. Origenes in *Genesis* lib. 3. id tradit de S. Bartholomæo, et Gregorius Nazianzenus *hom. 25. ad Arianos* de S. Thoma. Scio, esse aliquos, qui *Indiæ nomine intelligendam esse in antiquis scriptoribus Persiam, vel alias minus a nostra remotas regiones, existimant.* Sed ut possit id aliquando sic intelligi, quidni de propria India in præsentem intelligantur? Annon ex Arnobio tertii seculi scriptore audivimus superiori lib. prædicatum jam tum fuisse Evangelium non solum apud Parthos, et Medos, sed in Arabia etiam, et in India, imo apud Asianorum omnium remotissimos *Seras*, seu Chinenses septentrionales? Nonne Pantænus, ut supra ex Eusebio diximus, prædicatum ivit in Indiam desinente secundo seculo? Numquid non ibi, eodem testante Eusebio, Christianos ille reperit, qui Matthæi Evangelium hebraice scriptum, ipsisque a Bartholomæo Apostolo, olim inibi prædicante, relictum diligentissime servabant? Mitto Joannem Episcopum Indiæ, qui Concilii Nicæni, cui intertuerat, Actis ita subscripsit: *Joannes Perses, Ecclesia,*

qua in Perside universa, et magna India est, Episcopus. Quod quidem non sic intelligo, quasi unus hic Indiae Episcopus tunc fuerit, nam ut in Perside plurimi certo erant, sic alios in magna India fuisse, quos procuratorio, metropolitico nomine Joannes repraesentavit, licet credere. Nihil igitur est, cur Indiae vocabulum minus proprie accipiatur; curve Malabarum Ecclesia, S. Thoma vulgo dicta, quasi ab haeretico, nescio quo, Thoma descendens traducatur.

14. Septentrionales Regiones, ut inhospitae magis, ita minus fortasse ab Apostolis frequentatae fuerunt. Verumtamen injunctum sibi praedicandi omni creaturae generale praecipuum sine tergiversatione adimplevisse credendi sunt. Itaque ad Scythas, qui latissime per Aquilonem Orientalem diffusi sunt, Andreas Apostolus ivit, ut Origenes tom. 3. in *Genesim*, et Eusebius lib. 3. *historia* cap. 1. ajunt. Idem de SS. Bartholomaeo, et Philippo graves Auctores apud Baronium ad annum 44. asserunt. Didymus autem, exponens in initio libri 1. *De Spiritu Sancto* verba Christi: *Accipite Spiritum Sanctum, et euntes docete omnes gentes*, ita inquit: Neque enim omnes Apostoli ad omnes gentes sunt profecti, sed quidam in Asiam, quidam in Scythiam, et alii in alias dispersas nationes... Ergo hi in extremis finibus terra ob testimonium Domini constituti, distabant inter se longissimis spatiis. Recole testimonia Justini, Irenaei, et Tertulliani lib. 2. cap. 2. et 3. adducta, ex quibus evidenter patet, plurimos jam inde a secundo seculo Christianos fuisse apud Scythas, ceterasque Septentrionis barbaras gentes.

15. Non equidem potui superiori libro, antiquissimorum testium multitudine oppressus, omnes quarti et quinti scriptores proferre, qui de mirabili promptaque divulgatione Evangelii testimonium ferunt. Quapropter satis habui, adductis in medium speciminis gratia sex, vel octo scriptorum hujusmodi verbis, aliorum totidem libros, qui consuli possent, citare. Ex hac classe Chrysostomus, et Theodoretus fuerunt, qui audiendi hoc loco sunt tum ob magnam ipsorum auctoritatem, tum quia in lustratione praecipuarum mundi regionum, quam in praesentia agimus, antiquiores plures testes pro singulis afferre non possumus. Si autem juniores adversariis nostris

stris ambo videntur, quam ut de apostolicis temporibus disserentes a nobis audiendi sint, quid, quaeso, de ipsis heri exortis, ac de eadem re sententiam ferentibus, existimabimus? Sic igitur ait Chrysostomus homil. *Quod Christus Deus* edit. Montfauc. tom. 1. pag. 575. „ Cogita, quantum sit totum „ orbem tam brevi tempore Ecclesiis replevisse: tantas con- „ vertisse gentes, ut, paternis solutis legibus, radicatum con- „ suetudinem evellerent, ubique altaria excitarent in regio- „ ne Romanorum, Persarum, Scytharum, Maurorum, In- „ dorum. Quid dico? Vel extra orbem nostrum: nam et „ Britannicae insulae, quae extra hoc mare sitae sunt, et in „ ipso Oceano vim verbi senserunt. Illic enim Ecclesiae et Al- „ taria erecta fuere. „ Hoc divinitatis Christi argumentum tam efficax Chrysostomo visum est, ut non dubitet dicere, convinci eo posse gentilem quantumvis idiotam: *Neutrquam enim* (inquit) *contradicit, quod omnes undequaque Ecclesias orbis Christus fundavit. Hinc faciemus demonstrationem virtutis Christi, et ostendemus ipsum Deum. Etenim non est puri hominis in tantis rebus orbem terra marique tam brevi tempore comprehendere, et tam absurdis moribus, tantisque malis irretitum liberare humanum genus: insuper quod hac confecit... per undecim Viros principio ignobiles, viles, rudes, idiotas, inermes.* Simili modo argumentatur Theodoretus *de curandis Graec. affect.* lib. 9. apud Baronium ad annum Christi 44. num. XXIII. et XXIV. „ Persicae nationes, „ ait, quae jam pridem Zaradae legibus regebantur, matrum, „ filiarum, sororum connubiis susque deque commixtae... au- „ dita piscatorum lege, et accepta, Zaradae leges, et iniquitatem „ maximam conculcarunt, Evangelicamque protinus temperan- „ tiam complexae sunt... Has itaque novas leges acceperunt a „ promulgatoribus Galilaeis, quique non timuerunt Romanorum „ potentiam, sese ultro Crucifixi hominis imperio subdiderunt. „ Atque ut hi Romanis legibus viverent, neque Augustus ip- „ se impetravit, neque Trajantis, qui Persarum regna subver- „ tit: et tamen Apostolorum monumenta Persae homines, tam „ quam caelitus allata fuerint, venerantur... Massagetae mi- „ serimos esse homines arbitrati, qui alio mortis genere, „ quam violenta nece decumberent, quique idcirco legem de „ mactandis senibus, comedendisque tulerunt; postquam pis-

„catorum leges, sutorumque acceperunt, abominabiles illas  
 „dapes ac hostias pertæsi sunt. Tibareni quoque soliti olim  
 „seniores de altis rupibus dare præcipites, legem iniquissi-  
 „mam consciderunt, Evangelica lege accepta. Neque ampli-  
 „us Hyrcani, neque Caspii ipsi alunt canes hominum cada-  
 „veribus, neque Scythæ una cum mortuis hominibus vivos  
 „infodiunt, quos olim viventes illi dilexerant. Tantam mo-  
 „rum mutationem piscatorum leges invehere potuerunt.....  
 „Nam neque Æthiopes, qui sunt Ægyptiis, Thebanisque  
 „contermini, neque multæ item Ismaeliticæ nationes, non La-  
 „gi, non Sanni, non Anasgi, non plurimi alii barbari, Ro-  
 „manorum dominatu accepto, ullis Romanis legibus in con-  
 „ventionibus suis utuntur. At nostri illi piscatores, et pu-  
 „blicani, sutorque ille noster cunctis nationibus legem Evan-  
 „gelicam detulerunt: neque solum Romanos, et qui sub Ro-  
 „mano vivunt imperio, sed Scythas quoque, ac Sauroma-  
 „tas, Indos præterea, Æthiopas, Persas, Seras, Hyrcanos,  
 „Cymerios ( Sirmondi editio habet *Cimbros*, additque *Bac-*  
 „*trianos* ) Germanos, et Britannos, utque semel dicatur, om-  
 „ne hominum genus, nationesque omnes induxerunt Cruci-  
 „fixi leges accipere, non armis usi, non infinita vi militum  
 „delectorum, non immanitatis Persicæ violentia, sed verbo-  
 „rum suasu, ostensa legum, quas prædicabant, utilitate.

16. Ex hactenus dictis satis constat, Scythas ( quo no-  
 mine omnes, Asiæ præsertim, septentrionales gentes intelli-  
 guntur ) jam inde ab Apostolis, horumque Discipulis religio-  
 nem Christianam suscepisse. Idem de Australibus, Orientali-  
 busque populis supra expositis dicito. Non equidem nego,  
 ex innumeris gentibus, quæ in his partibus sunt, paucas tan-  
 tummodo me indicasse: sed quid mirum, nequivisse me no-  
 mina indicare, quæ Justinus, Irenæus, Tertullianus, et ce-  
 teri coævi scriptores ignorasse videntur? Sufficit ergo, quod  
 ipsarum aliquas indicaverim, et quod de Christiana ceterarum  
 professione certos nos esse jubeant gravissimi testes laudati.  
 Verum nolo propterea dicere, omnes omnino Orientis Pro-  
 vincias Christiana fide imbutas ab Apostolis fuisse. Qui ita  
 opinantur, faventia sibi Scripturæ sacræ, et SS. Patrum ver-  
 ba habere jam vidimus; attamen multa sunt, quæ tam amplè

ac-

acceptioni verborum obstant: nec vero scriptores sacri, ho-  
 minesque prudentes ab hyperbole quacumque abhorrent. Pro-  
 pterea possunt illa per me ita accipi, ut magnam, prorsusque  
 mirabilem ab ipso exordio propagationem fidei fuisse, indicent;  
 non tamen talem, quæ mox provincias omnes, imo urbes  
 etiam, et vicos pervaserit. Sicuti forte indefinitus hic modus  
 loquendi minus placet, is cogitet, Ecclesiasticarum origi-  
 num tractationem eatenus nos assumpsisse, quoad inva-  
 lescentem nunc opinionem de Christianorum primis seculis  
 paucitate falsam ostenderemus. De cetero libenter alium ma-  
 gis circumscripse loquentem audiemus, caveat modo idem,  
 ne hyperbolem absonam Scripturæ Sacræ, et Patribus tribu-  
 at; neve nos cogat credere, quod ii, qui exaggeratius locu-  
 ti sunt, fortasse non crediderunt, neque a nobis credi volue-  
 runt.

## CAPUT II.

*De Origine Religionis Christiana in Occidente; ac primum  
 in Illyrico, et Germania.*

17. **Q**uamquam plerique Apostoli in Oriente, ubi Judæo-  
 rum dispersorum major numerus erat, prædicasse  
 feruntur, ipsorum tamen præcipuos in Occidentem  
 venisse, satis constat. Cum Paulus anno a passione Domini  
 circiter vigesimo quinto ad Romanos scribebat, repleverat  
 jam, ut cap. 15. v. 19. ipse ait, *ab Hierusalem per circui-*  
*tum usque ad Illyricum Evangelium Christi*. Erat vero jam  
 tum Romanorum fides adeo illustris, ut *in universo mundo*  
 annuntiaretur cap. 1. v. 8. Propterea nihil attinet, diu nos  
 immorari in Illyricæ, Italicæque Ecclesiæ origine indaganda:  
 nam ut non contenderim, constitutos mox Episcopos fuisse  
 in omnibus urbibus; sic brevi, passimque excrevisse in his re-  
 gionibus Christianorum numerum, affirmare non dubito. Ne-  
 que existimo, indefinitum hoc assertum ægre admissum iri a  
 recentioribus, ad Italiam quod attinet; nam præter adductum  
 testimonium Pauli de Romanorum fide, et præter illa, quæ  
 Actor. cap. ult. de ejusdem Pauli itinere a Syracusis, Rhe-

R 2

gio,

gio, et Puteolis usque ad Urbem narrantur; satis communis est eruditorum criticorum opinio, SS. Apollinarem Ravennæ, Anathalonem Mediolani, Hermagoram Aquilejæ, et alios in aliis Italiæ urbibus a Roma remotis sub Apostolorum tempore prædicavisse. In Illyrico, quod a fontibus ad ostia Danubii, et ab hujus dextra ripa usque ad Cretam iasulam a Romanis porrectum fuit, ut Josephus Simonius Assemanus probat tom. IV. part. sec. cap. I. Operis inscripti *Kalendaria Ecclesia universa*: in Illyrico, inquam, difficultas major est propter hujusmodi amplitudinem. Sed licet non putem, tam late accepisse Paulum Illyrici nomen; sed regionem potius intellexisse, quæ Hadriatico mari a tergo adjacet usque ad Pannoniam, ajo tamen Religionem Christianam per omnes Illyrici, latissime, seu abusive accepti, provincias sparsam primis seculis fuisse.

18. De Creta enim, Macedonia, Achaia, et reliqua Græcia certos nos reddit ipsemet Paulus, diu ibi versatus, qui tum verbo, et epistolis, tum Discipulorum ministerio Christianam in his partibus rem sollicite procuravit. Non æque quidem certa monumenta habemus de ceteris Illyrici provinciis; sunt tamen indicia satis gravia, quibus disseminata in his etiam, ante quartum seculum saltem, religio Christiana proberetur. Nam si Rhatias (ubi fontes Danubii) accensere Illyrico vis, habes in Romano Martyrologio 3. Decembris S. Lucium, Curia, quæ Rhatia primæ caput est, Evangelium sub finem secundi seculi prædicantem: habes etiam 18. Martii S. Narcissum Episcopum, qui multos ad subeundum martyrium seculo tertio labente instruxit in Rhatia secunda, cujus princeps urbs erat Augusta Vindelicorum. Sequitur Noricum, a Diocletiano, vel Constantino in Ripense, Mediterraneumque divisum; Lauriacum, Ripensis Norici Metropolis civilis et ecclesiastica, Martyrem habuit ante finem seculi tertii S. Florianum, 4. nonas Maji in Rom. Martyrolog. commemoratum. Neque vero recens tunc ipsa ad Christum accesserat; quippe S. Symmachus Papa in litteris ad Theodorum Lauriacensem Episcopum, quas uterque Pagius recitant, hæc ait., Diebus vitæ tuæ palii usum. . . . ab Apostolica sede, sicut decuit, poposcisti, quod utpote ab eisdem Apostolis (*Petrum, quem*

„ paulo

„ paulo ante nominaverat, et Paulum intelligit.) fundatæ Ecclesiæ, Majorum more libenter indulsumus, ad ostendendum te Magistrum, et Archiepiscopum, tuamque sanctam Lauriacensem Ecclesiam provinciæ Pannoniorum sedem fore Metropolitanam., Quin vero in Mediterraneo quoque Norico prædicatum olim Evangelium fuerit, dubitari nequit, nam S. Maximillianus Lauriacensis Episcopus, imperante Decio, Martyrium passus est Celejæ Norici Mediterranei urbis. Sed licet prædicati hic Evangelii indicia deessent, tuto tamen id crederemus propter vicinitatem Italiæ, et quia transeundum hac erat in Ripense Noricum Apostolicis prædicatoribus. Siquis autem quærat, quomodo SS. Severinus, et Rupertus, qui posteriori tempore floruerunt, Apostoli Noricorum vocentur, meminisse is debet, barbaras gentes occupasse quinto seculo Noricum, et eas ad Christum attractas a laudatis Sanctis. Post Noricum numerandæ veniunt Pannoniæ, ubi plures Martyres sub gentilibus Imperatoribus fuerunt, Sirmii præsertim, quæ Illyrici Occidentalis urbs princeps erat. Videsis Roman. Martyrologium ad diem 23. Febr. 25. Martii, 9. April. et Lubini in idem Martyrologium tabulas 4, 7, et 8. ubi plurimos Sanctos pro Christo occisos primis Ecclesiæ seculis in Illyrici, latissime accepti, provinciis invenies.

19. Alterum verustæ originis Illyricarum Ecclesiarum indicium est multitudo Episcoporum, quos sub imperio Constantini, et Filiorum ejus in Illyrico fuisse, ex historia novimus. Nam si tunc primum constitutos eos dixeris propter pacem Ecclesiæ concessam: respondebit Tertullianus, fuisse inopotius Martyrum sanguinem semen Christianorum. Sed esto, pace Ecclesia creverit, an non plura, diuturna que intervalla persecutionum præcesserant? At ignoramus antiquorum Episcoporum nomina. Quid mirum, quando nulla pars Imperii Romani præ Illyrico turbata fuit barbarorum incursionibus. Affatim, opinor, est, quod Illyricos Martyres non ignoremus, et quod Episcopos fuisse prudenter argumentemur ex concessa Episcopis manumittendi facultate, cujus certiorum Constantinus fecit anno 316. Protogenem Sardicensem Episcopum in Mediterranea Dacia. Quamquam nihil attinet disputare de constitutis in universo Illyrico Episcopis eo tempore,

re,

re, quo Transdanubiana Dacia, seu Gothia, Theotimum Episcopum habebat, ut ex Nicæni Concilii historia discimus.

20. De Cisdanubiana Germania Illyrico olim tributa hactenus dixi; de Transrhenana vero, quam Galliarum Belgicarum accensuerunt Romani, sequenti capite agam: superest ergo, ut de Christianarum religionis origine in Transdanubiana nunc disseram. Qui annales Francorum, et Scriptores mediæ ævi incuriose legant, facile sibi persuadebunt, non penetrasse in has partes ante septimum seculum Evangelium: et SS. Bonifacium, Villebrordum, Anscharium, Corbinianum, Ludgerum, Othonem, Adalbertum, et reliquos, Germanorum Apostolos vulgo dictos, primos revera fuisse, qui apud ipsos Christi legem annuntiaverunt. Sed perinde hoc foret, ac si Britannos ignorasse Christianam legem ante S. Augustinum, et hujus Socios a S. Gregorio Papa in Britanniam missos, crederes, eoquod ipsi etiam Anglorum Apostoli appellentur. Ut ergo in Britannia adventæ Angli erant, qui, si quid forte in patria sua de Christo olim audierant, non solum id omne obliti fuerant, sed istius etiam oblivionis contagio indigenas plures infecerant; ita gentes ad Christum conversæ Francorum Regum, et laudatorum Sanctorum opera aliunde venerant in Germaniam, vel certe idololatrarum hospitum consuetudine Christianos mores exuerant; quod quidem sententiæ nostræ de annuntiato primis seculis in Germania Evangelio nihil incommodat. Nam prævenerant multis seculis advenas istos Apostolici viri, ut Irenæus, Tertullianus, et Theodoretus supra laudati nos docent; quorum testimonia non declinabis, si de parte illa Germaniarum, quæ Romanis subdita, et in primam, secundamque subdivisa, Galliarum accensebatur, ipsa interpretaberis. Quippe Tertullianus non solum Germaniam Christianas inter provincias, quæ Romanis non parebant, recenset, sed inde etiam infert, latius patere Christi, quam Romanorum, imperium: idem facit Theodoretus, qui adjungit præterea Cimbrorum, et Sarmatarum, id est, gentes illas, quæ inter Germanas omnes ad Aquilonem, et Ortum magis recedentes, aggregatæ serius Ecclesiarum credi possunt.

21. At vero qui factum est, quæret aliquis, ut si barbararum indicatarum gentes Christianam olim religionem coluerunt, nul-

nulla populorum traditio, nullumque tantæ rei vestigium reliquum fuerit? Parum refert, quod explicare rei modum non possis, dum probatam rem ipsam habes perquam certissimis testimoniis. Tametsi verum non est, extinctam mox penitus fuisse traditionem populorum, et nullum Christianarum religionis vestigium in Germaniarum parte, qua de agimus, remansisse seculo septimo. Videsis hæc apud eos, qui de Germaniarum Ecclesiarum origine diligentius inquirunt, quique etiam agunt de SS. Egisto, et Mariano Apostolorum Discipulis, in Luxemburgensi Ducatu Martyrium passis. At, incerta ista omnia esse, dicis. Sint etiam, si vis, certo falsa; nam instar prodigii foret, si apud Barbaros, quibus antra domus, ferarum spolia vestis pastusque, bella denique studia erant, superesset rei paululum antiquæ memoria. Sufficit, aliunde nos didicisse, quod doceri ab hujusmodi hominibus non poteramus. Quæ autem de antiquis Germaniarum populis dicimus, ad æque barbaros inquilinos novos etiam pertinent, qui quidem ab Scythia, et Sarmatia fere profecti, ignorabant, Majoribus suis illuxisse Christi fidem, quod non modo ex Chrysostomo, et Theodoro, sed ex antiquioribus aliis Patribus supra ostendi. Nec vero existimandum est, exiguum operæ pretium retulisse Apostolos, Apostolicosque Viros in Scythis, atque aliis barbaris excolendis: nam contrarium eruitur ex assertis Patrum, qui secundo Ecclesiarum seculo scribentes, de mirifico Evangelici sermonis fructu, quem incultæ, barbaræque terræ reddebant, gloriantur. Legesis iterum testimonia Patrum superiori libro adducta.

## CAPUT III.

*De origine et progressu Religionis Christianae  
in Galliis.*

## §. I.

22. **T**ametsi vera Ecclesia non appellatur Romana a favore, quo gavisa sit, Imperii Romani; quod contra velut peregrinam, et exitialem abolitam ipsam voluisset; fatendum tamen est, nusquam gentium frequentiores fuisse Christianos, quam in provinciis Romanis, immo nullam Ecclesiam ab ipso fere Religionis exortu illustriorem Romanam fuisse. Quapropter licet credere, inibi citius, uberiusque crevisse Occidentales Ecclesias, ubi propter Romanorum civium frequentiam, vicinitatemque Romani mores, et lingua magis recepti fuerant. Hoc uno quasi præjudicio asserenda sua esset Gallicanæ Ecclesiae remotissima antiquitas; verum ipso etiam neglecto, alia sunt, propter quæ tuto possis ad Apostolos referre ejusdem originem. Nam ut missos faciam Paulum, Philippum, Lucam, nonnullosque alios, per quos disseminatam in Galliis religionem Christianam, plures, neque ignobiles, scriptores contendunt; de Crescente saltem, et Trophimo Apostolorum Discipulis probabilissime id creditur. Eusebius enim lib. 3. *Hist.* cap. 4. Epiphanius *Hæres.* 51. Sophronius cap. 13. Theodoretus *in exposit. epist. secund. ad Timoth.* et generatim Patres Græci de Galliis intelligunt verba Pauli in Ep. 2. ad Timoth. cap. 4. vers. 10. *Crescens in Galatiam abiit.* Ajunt quidem nonnulli, deceptos Græcos fuisse vitiatas codicibus, vel quod usitatum ipsis sit, Galatiam nomine Galliam appellare. Sed primum de Theodoro saltem, qui Galatiam in Paulo legit, dici nequit. Alterum nobis favet; nam ambiguum Pauli verbum, quod de sua Galatia potuissent exponere, de nostra intellexerunt. Favet etiam Moguntinæ, et Viennensis Ecclesiarum traditio, quæ Apostolum suum Crescentem agnoscunt. Incommodat quidem paululum huic traditioni, quod in controversia Viennensium cum

Are-

Arelatensibus, de qua mox loquar, illam nemo allegaverit. Sed fortasse factum id fuit, quia prædicasse quidem Viennæ Crescentem, non tamen Episcopalem cathedram habuisse, Viennenses noverant. Est igitur satis probabile, prædicasse Crescentem in Galliis.

23. Verum multo probabilius id est de S. Trophimo, qui in Gallias a Petro Apostolo missus, et Arelate consistens, hinc mox in vicinos populos Evangelicum semen diffudit, ut testes, omni exceptione majores, undeviginti Episcopi Viennensis provinciæ in literis ad Sanctum Leonem Papam his verbis ajunt: „ Omnibus etenim regionibus Gallicanis notum est, „ sed nec sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ habetur incognitum, „ quod prima intra Gallias Arelatensis civitas missum a beatissimo Apostolo Petro Sanctum Trophimum habere meruit Sacerdotem, et exinde aliis paulatim regionibus Gallicarum donum fidei et religionis infusum: priusque alia loca ab hoc rivo fidei, quam ad nos Apostolicæ institutionis fluentia miserunt, meruisse, manifestum est, Sacerdotem, quam Viennensis civitas, quæ sibi nunc impudenter, et notabiliter primatus exposcit indebitos. „ Tillemontius *not. prim. in vitam S. Dionysii Parisiens.* nonnulla congerit, ut tot tantorumque testium auctoritatem elevet, et ad tertium seculum cum S. Gregorio Turonensi lib. 1. *Hist. Franc.* cap. 28. S. Trophimum trahat: verum tam infirma ea sunt, ut Bollandiani ipsi, qui S. Dionysium tertio affigunt seculo propter testimonium S. Gregorii, huic tamen ipsi, advenisse Trophimum cum Dionysio, scribenti, habendam esse fidem, non putent.

24. Et merito quidem, nam Gregorius testis est singularis, imo non satis in hac ipsa re sibi constans: ad hæc scripsit post aliquot secula a S. Trophimo, et auctorem sententiæ suæ appellat duntaxat anonymum martyrii S. Saturnini scriptorem, qui medio seculo quinto vixit, teste Tillemontio, quando scilicet undeviginti Episcopi contrarium asserabant. Hi contra ut numero, et antiquitate Gregorio potiores, ita necessario diligentiores: agebatur enim de asserendo Ecclesiæ Arelatensi Metropolitico jure ob reverentiam S. Trophimi Arelatensis Episcopi, a Petro Apostolo missi, ad-

s

ver-

versus Viennensem, quam a tempore saltem Mærci Aurelij illustrem fuisse, nemo ignorabat. Hæc non negat quidem Tillemontius; verum timeri posse ait, ne nullum laudati undeviginti Episcopi testem habuerint missionis S. Trophimi præter Zosimum Papam, huncque, ut in aliis rebus, ita in præsentem deceptum a Patroclo Arelatensi. Gravis nimirum, et officii plena exceptio adversus Romanum Pontificem, et Gallicanos Episcopos. Sed decepti, decipientisque Zosimi Papæ verba audiamus. Contendebant tunc de Metropolitanico jure Viennensis, et Arelatensis Ecclesiarum Episcopi; Zosimus autem epist. VII. decrevit juxta Patrocli Arelatensis preces, ut „ Metropolitanus Arelatensis civitatis Episcopus jam inde „ a Trophimo ordinationis seriem temporibus roboratam in „ violabili in utraque Narbonensi, et Viennensi auctoritate „ possideat. „ Et epist. VIII. arguens Hilarium Narbonensem Episcopum, quod subreptitie obtinisset ab Apostolica Sede Metropolitanicum jus in Narbonensem primam, sic ait „ San- „ ctæ memoriæ Trophimus, Sacerdos quondam Arelatensi „ urbi ab Apostolica Sede transmissus, ad illas regiones tan- „ ti nominis reverentiam primus exhibuit, et in alias non im- „ merito ea, quam acceperat, auctoritate transfudit; atque „ hanc ordinandi consuetudinem, et Pontificatum loci illius, „ quem obtinuerat primus et justus, custoditum usque in pro- „ ximum tempus, gestis apud nos habitis, multorum Sacer- „ dotum testimoniis approbatum. „ Decreverat idem Zosimus paulo antea epistola V *Universis Episcopis per Gallias, et septem provincias constitutis* inscripta „ Ut, si quis ex qualibet „ Galliarum parte sub quolibet Ecclesiastico gradu ad nos „ Romam venire contendit, vel alio terrarum ire disponit, „ non aliter proficiscatur, nisi Metropolitanus Arelatensis For- „ matas acceperit, quibus Sacerdotium suum, vel locum ec- „ clesiasticum, quem habet, scriptorum ejus adstipulatione „ perdoceat. . . . . Hoc autem privilegium Formatarum san- „ cto Patroclo fratri, et Coepiscopo nostro meritorum ejus „ speciali contemplatione concessimus. Jussimus autem, præ- „ cipuam, sicuti semper habuit, Metropolitanus Episcopus „ Arelatensis civitatis in ordinandis Sacerdotibus teneat au- „ ctoritatem, Viennensem, Narbonensem primam, et Nar-

„ bo-

„ bonensem secundam provincias ad Pontificium suum revo- „ cet. . . . Sane quoniam Metropolitanæ Arelatensium urbi ve- „ tus privilegium minime derogandum est, ad quam primum „ ex hac Sede Trophimus summus Antistes, ex cujus fonte „ totæ Galliæ fidei rivulos acceperunt, directus est, idcirco „ quascumque Parochias in quibuslibet territoriis etiam extra „ provincias suas ( ut antiquitus habet ) intemerata auctori- „ tate possideat.

25. Hæc sunt, quæ, judice Tellemontio, undeviginti Episcopos deceperunt. Ego vero, ut non invitus Tillemontio concedo, habuisse præ oculis ipsos asserta gesta que Zosimi Papæ, et fuisse hunc nonnunquam deceptum ab illaudato Arelatensium Episcopo Patroclo; ita omnino nego, quod ad S. Trophimum pertinet, quemquam fuisse deceptum. Ac primum observo, callide rejicere Tillemontium fraudem omnem in Patroclum, fraudulentum utique hominem. Nam duo concessit Zosimus Arelatensi Episcopo, primum, ut sine hujus *Formatis* nullus Galliarum clericus alibi recipiatur: alterum, ut ipsi tanquam Metropolitanis Viennensis provincia, atque utraque Narbonensis subdantur. Et in primo quidem concedendo de plenitudine potestatis egit; *meritorum enim Patrocli speciali contemplatione, id se concessisse dumtaxat* ait. Pro alterius concessione, seu confirmatione adducit tum perpetuam, nunquamque interruptam in Arelatensibus Episcopis possessionem juris metropolitici hujusmodi, tum S. Trophimi, primi Arelatensium Episcopi merita, a quo tota Gallia fidei rivulos acceperunt. Insusurrasse hæc Zosimo Patroclum, Tillemontius suspicatur. Miror, criticum non admodum credulum tam credulum velle Zosimum, ut Arelatensi pro se peroranti, inaudita parte altera, continuo crediderit. Sed nihil attinet, totam culpam, siquidem culpa fuit, in Patroclum rejicere. Ipsemet Zosimus in Epist. VIII. supra laudata ait: *Gestis apud nos habitis, multorum consacerdotum testimoniis approbatum* id fuisse. Est etiam observatione dignum, nunquam dixisse Zosimum, Arelatem missum fuisse ab Apostolo Petro S. Trophimum; propterea que nequiverit undeviginti Episcopos pro hujusmodi asserto suo Zosimum testem laudare. Si autem crediderunt laudati Episcopi, indicari id a Zosimo

verbis relatis, hoc saltem concedendum nobis est, non huius unius auctoritate nixos Episcopos missionem S. Trophimi a Petro asseruisse, sed *notum* hoc esse, addidisse *omnibus regionibus Gallicanis*.

26. Confidentissima undeviginti Episcoporum de missione S. Trophimi assertio mirabilior videbitur, si personas contra quam, et apud quam loquebantur, consideremus. Agebant nimirum contra Viennensem Episcopum undeviginti, id est, omnes, vel fere omnes Viennensis provinciæ Episcopi; sed non propterea animum ille despondebat, et misso ad Leonem Papam procuratore, strenue tutabatur causam suam. Licet vero nulla ad obtinendam victoriam expeditior via esset, quam refutare novitiam fabellam de S. Trophimi apostolatu, procurator tamen, ceteroqui diligens, turpissime silens de ea, prævaricatus fuisse dicendus est. Quid vero de S. Leone Magno, apud quem agebatur causa, dicendum erit? Divisit ipse quidem Viennensem Provinciam in duas partes, et Arelatensi unam, alteram Viennensi Episcopo attribuit; verum id probat, ni fallor, credidisse etiam Leonem Papam Arelatensium de missione S. Trophimi assertum verum esse. Nam cum inviolatum vellet Nicænum sextum canonem, quo in singulis provinciis primariæ urbis Episcopo Metropolitana jura concedi, aut confirmari videntur (esset vero Vienna indubitata civilis Metropolis provinciæ Viennensis, habens sub se Arelatem) cumque idem Leo exulcerato animo erga Arelatenses esset propter paulo ante defunctum S. Hilarium, quem, ut exorbitantem in jurisdictionis suæ exercitio, omni in Episcopos alios jure privarat, id muneris in Viennensem Episcopum transferens; non potuit non veram credere allegatam missionem S. Trophimi, si post auditos, ut ipse ait, utriusque partis clericos, temperamento utens, quatuor viciniores Episcopos Viennensi parere in posterum voluit; ceteros autem longe plures Arelatensi, cui etiam per alias literas eodem die datas Vicariatum Apostolicum in omnes Galliarum Ecclesias largitus est.

27. Non approbat quidem expressis verbis S. Leo M. quæ undeviginti Episcopi de S. Trophimo dixerant; verum silentis prudentiam perspicere licet; nam volens pro bono pacis

pacis detrahere jurisdictionis particulam Arelatensi in gratiam Viennensis, cui totam paulo ante tribuerat, non debuit, opinor, mentionem inferre exploratæ alias rei, quæ potissima occasio prærogativarum Arelatensis Ecclesiæ credebatur, sed aliorum potius, propter quæ Viennensis provinciæ divisio bonis omnibus probaretur. Sic itaque respondit Epist. 50. undeviginti Episcopis, qui pro Arelatensi stabant: „ Consideratis allegationibus utriusque partis præsentium clericorum, „ ita semper intra provinciam vestram et Viennensem, et Arelatensem civitates claras fuisse reperimus, ut quarundam causarum alterna ratione nunc illa in ecclesiasticis privilegiis, „ nunc ista præcelleret, cum tamen eisdem commune jus quondam fuisse a gentibus proderetur. Unde Viennensem civitatem, quantum ad Ecclesiasticam justitiam pertinet, in honoratam penitus esse, non patimur; præsertim cum de re- „ ceptione privilegii auctoritate jam nostræ dispositionis utatur: quam potestatem, Hilario Episcopo ablatam, Viennensi Episcopo credidimus deputandam. Qui ne repente „ semetipso factus videatur inferior, vicinis sibi quatuor oppidis præsidebit, id est, Valentix, et Tharantasix, et Genævæ, et Gratianopoli, ut cum eis ipsa Vienna sit quinta, ad cujus Episcopum omnium prædictarum Ecclesiarum sollicitudo pertineat. Reliquæ vero civitates ejusdem „ provinciæ sub Arelatensis Antistitis auctoritate, et ordinatione consistant; quem pro modestiæ suæ temperantia ita „ futurum credimus studiosum caritatis et pacis, ut nequam sibi credat ablatum, quod fratri videat esse concessum „ . Hactenus S. Leo, qui si minus certam putasset S. Trophimi decantatam missionem, ostensurus certe quidem fuisset tum argumenti inde petiti vanitatem, tum Viennensis Ecclesiæ gloriam certissimam jam inde a persecutione M. Aurelii: neque Arelatensium fastum non retudisset, qui, unde gratiam ipsi habere deberent, detrimenti se aliquid hinc accepisse, fortasse existimarent.

28. Sed quamvis non credam, dubitasse S. Leonem de misso in Gallias ab Apostolo Petro S. Trophimo, facile tamen dabo, fuisse jam tum, vel certe paulo post aliquos, qui id aut omnino negarent, aut incertum crederent. Nam

Gre-



Gregorius Turonensis, sub sexti seculi finem scribens, Sancti Saturnini Acta laudat, quasi in ipsis advenisse tertio seculo Arelatem S. Trophimus diceretur, aut certe inde colligeretur. Jam vero quoniam cum Tillemontio, et hujusmodi aliis agimus, qui suspicionibus indulgentes, credi posse ajunt, ambitiosum Arelatensis Ecclesiae Episcopum Patroclum persuasisse Zosimo Papae fabellam missionis S. Trophimi, et a Zosimo deceptos mox fuisse undeviginti Episcopos Viennensis Provinciae, (addere etiam poterant S. Leonem, et ipsos procuratores Viennensis Episcopi: ) non aegre, opinor, ipsi ferent, si suspicari ego quoque velim de origine opinionis, quae SS. Trophimum, Saturninum, et Galliarum alios Apostolos, renitente antiquitate, ad tertium seculum trahit. Ut vero conjecturae meae verisimilitudo melius ab omnibus intelligatur, nonnulla praefanda sunt de animosis, diuturnisque contentionebus, quibus quarto, et quinto seculo Narbonensis, et Viennensis provinciarum Ecclesiae vexatae sunt propter ipsarum primatum, quem integrum, vel ex parte ad se trahebant Arelatensis, Viennensis, Massiliensis, et Narbonensis Episcopi. Multa tunc quidem praeter ordinem facta sunt, saepiusque propterea Romani Pontifices interpellati; qui asperioribus aliquando verbis contententes castigarunt, aliquando circumventi ipsimet, implicarunt rem magis; oportuitque emendare unum, quod non bene doctus alter peccavit.

29. Arelatensis Episcopus, qui attrahere sibi cuncta volebat, allegabat quidem amplitudinem urbis suae; sed quia negare non poterat, Viennam esse civilem provinciae Metropolitim, duo pro se maxime afferebat, inculcabatque, scilicet possessionem juris, et antiquam nobilemque Ecclesiae suae originem a Trophimo Apostoli Petri Legato, ut liquet ex litteris Zosimi Papae, et undeviginti Episcoporum ad S. Leonem. Episcopi, qui contra stabant, allegabant ipsi etiam possessionem, necnon Pontificia rescripta, Conciliorum canones, civilem urbium suarum splendorem, et alia hujusmodi; nunquam tamen, quod sciam, de antiquitate Ecclesiarum cum Arelatensi certare voluerunt; esto Viennensis ex canonibus non ignoraret, Ecclesiam suam Martyribus resplenduisse secundo

do seculo, imperante Marco Aurelio. Cum ergo incredibile sit, historiam adventus S. Trophimi obscurari ita potuisse, ut qui sesquiseculum, aut summum ducentos annos praecederet, ante quatuor secula sub Petro Apostolo statueretur ab omnibus Regionibus Gallicanis, et a sacrosancta Ecclesia Romana; consequens fit, neque impudenter posuisse Arelatenses, neque oscitanter admisisse Viennenses, ceterosque contententes S. Trophimi missionem sub Apostolo Petro. Adde, probabiliorem hac nullam causam excogitari posse, cur undeviginti Viennensis provinciae Episcopi tam ardentem Arelatensis partes contra Viennensem secuti fuerint: Cur suos in universa Gallia Vicarios Arelatenses Episcopos per haec ipsa tempora Romani Pontifices esse voluerint? Cur demum S. Leo M., a se paulo ante decreta rescindens, potiozem provinciae partem Arelatensi tribuerit. Nam ceteras, quae pro Arelate adducebantur, rationes, satis Leo dissolvit: neque vero par erat, Ecclesiam sero nimis exortam, moxque a Martino Novatiani fautore turpatam, tum a Saturnino Ariano, deinde a Patroclo fraudulento, postremo ab Hilario, sanctissimo quidem viro, sed qui pro humana conditione nonnulla patravit, quibus graviter apud Leonem offendit; par, inquam, non erat, Ecclesiam hujusmodi tam eximiis prerogativis ornari, si non eadem propter missum ab Apostolo Petro S. Trophimum Arelatem, et propter diffusam hinc in universam Galliam religionem quantolibet honore digna foret.

30. Nunc jam ad suspicionem meam, seu conjecturam venio de origine opinionis, quae SS. Trophimum, Saturninum, et Galliarum Apostolos alios tertio statuit seculo. Non videntur quidem Arelatensis Ecclesiae adversarii aperte impugnasse in judicio S. Trophimi missionem: at vero cum multa ipsi, (reportare victoriam quomodocunque volentes) peccasse noscantur; non est, opinor, incredibile, susurrasse initio aliquem de tantopere decantata missione, et ratiunculas huic opposuisse, quas Arelatensium adversarii avidè deglutterint. Nam si, quod ajunt, nulla est stultitia sine patrocinio; multo plures patrocinatores ipsa nanciscitur, cum praconceptae opinioni suaviter blanditur; ac tunc porro fit, ut nihil

nihil sit tam improbabile, quod dicendo non fiat ab acutis hominibus verisimile. Atqui scimus, decertasse per id temporis cum Arelatensibus Narbonenses. Episcopos de Metropolitico jure in Narbonensem primam provinciam, et victores primum, dein victos, tandem victores iterum ex sententia Bonifacii Papæ evasisse. Scimus etiam, in controversa provincia secundam a Narbone urbem fuisse Tolosam, ubi Sanctus Saturninus martyrium subierat, et ubi passionis ipsius Acta confecta fuerant, vel certe lectitabantur, et describebantur a multis. Si ergo cum Tillemontio credamus, confecta hæc fuisse paulo post Sanctum Exuperium Tolosanum Episcopum, id est, dum præfata controversia maxime vigebat, facile potuit anonymus ipsorum Auctor amplecti gratam Narbonensibus suis opinionem de misso in Gallias tertio seculo S. Saturnino, S. Trophimi, ut antiquorum, recentiorumque opinio communis est, itineris socio. Si autem ante exortam, quod verius credo, enarratam litem S. Saturnini Acta adornata fuerunt, potuit sciolus aliquis, quinto vel sexto seculo in Narbonensi provincia hæc describens, emendare, si Superis placet, notam temporis, siquidem in antiquiori exemplari advenisse seculo primo Saturninus dicebatur; vel si tempus non satis definite indicabatur, de suo, Narbonensiumque multorum judicio alligare Consulatu Decii, et Grati adventum S. Saturnini. Et vero in hujusmodi depravata Acta, quæ utpote Narbonensibus grata, non poterant non Tolosæ, atque in universa provincia Narbonensi valde multiplicari, incidisse Gregorius Turonensis videtur, cum *Francorum* scribebat *historiam*; esto emendatiora post nactus fuerit, cum *De gloria Martyrum* egit.

31. Judicet nunc lector de probabilitate expositæ conjecturæ; vel conferat ipsam potius cum altera Tillemontii, et recentiorum; nam mea parum refert scire, unde opinionum diversitas circa tempus missionis S. Trophimi orta est, modo ne leves de Pontificibus Romanis, et de ingenti numero Episcoporum suspensiones promantur, quæ ne illis quidem in mentem fortasse venerunt, qui, lite de primatu pendente, ipsas in lucro posuissent. Stet ergo, Romanæ, Gallicanæque Ecclesiæ communem sub initium quinti seculi opinionem fu-

isse

isse de misso in Gallias S. Trophimo ab Apostolo Petro; quæ quidem corroborabatur ex ipsius socii S. Saturnini Actis, ut libro primo jam vidimus. Cum vero circa idem tempus controversiæ de primatu Narbonensium, et Viennensium Ecclesiarum fererent quammaxime, opportuna tunc potuit nonnemi occasio videri, aggrediendi Arelatenses per latus, ut ita dicam, S. Saturnini; hoc enim ad tertium seculum attracto, attrahendus una erat ad idem tempus itineris ejus socius S. Trophimus, corruebatque hoc ipso præcipuum Arelatensium argumentum. Id saltem negandum non est, sexto seculo desinente, quando Gregorius Turonensis *Francorum* scribebat *Historiam*, fuisse aliquod S. Saturnini Actorum exemplar, in quo missus dicebatur hic Sanctus in Gallias *Decio et Grato Coss.* id est, anno 250. Hinc autem Gregorius intulit, iisdem Consulibus advenisse SS. Trophimum, Dionysium, Paulum, Martialem, Austremonium, et Gatianum, quos vetus, hodieque satis communiter recepta opinio socios illius facit: nisi si forte hoc etiam legit in aliquibus Actis S. Saturnini Gregorius: sunt enim ambigua verba ipsius.

32. Et ecce tibi expeditus alter nodus, Hercules fere adversariis nostris visus: volunt scilicet, certissime credendum esse, non advenisse in Gallias S. Saturninum ante Decium, et Gratum Coss., quia homines faciles quidem sunt in attribuenda suis Ecclesiis remotissima origine, in recentiori vero difficiles; si ergo cavillandum est in Consulatu Decii, et Grati, quem Acta habent, anticipando potius, quam postponendo, peccatum fuit. Speciosæ huic conjecturæ satis, opinor, jam factum fuit libro primo, descriptis ex Riccardiano codice antiquissimis Actis, S. Saturnini, quæ missum hunc fuisse ajunt ab Apostolo Petro sub Claudio Caligulæ successore. Licet vero testimonium tam luculentum non haberemus, conjectura modo adducta affatim probaret, ambitiosos homines attribuere etiam posse aliquando suis Ecclesiis recentiorem originem; et vero gratis liberales non fuisse, qui a primo ad tertium seculum S. Saturninum traxerunt.

33. Plures existimant, S. Trophimum, primum Arelatensium Episcopum, eundem esse cum Trophimo Discipulo Pauli, quem in Hispaniam proficiscens Apostolus, Arelatem

mi

mi

miserit. Verum Tillemontio *not. 1. in S. Dionysium Paris. tom. 4.* tum iter S. Pauli in Hispaniam, tum Discipuli ejus Trophimi Arelatensis Episcopatus improbabilia videntur. De Hispanico itinere Pauli postea videbimus. De altero, tametsi parum ad me pertinente, quando duo Trophimi, unus Petri, alter Pauli Discipuli esse poterant, breviter ajo, non teneri nos chronologia Tillemontii, neque intra annum 63. et 64 includere velle prædicationem S. Trophimi in Gallias. Sed fac annuam eam fuisse; annon brevior etiam fuit hoc ipso tempore Cretensis Apostolatus Titi, qui in insula, centum urbes habente, relictus a Paulo fuerat, ut *constitueret, per civitates Episcopos?* Quid vero si in Gallias venit, aut reversus est Trophimus post annum 64? At Græcorum Menologia videntur esse contraria Episcopatu Arelatensi S. Trophimi. Hujusmodi monumenta Tillemontius curat scilicet. Sed sive Pauli Discipulum Arelatensem Trophimum dicas cum Adone Viennensi Episcopo, qui immeritam prærogativam Arelatensi Ecclesiæ neutiquam largiri voluisset; sive Petri, ut Zosimus Papa, et undeviginti supra laudati Episcopi indicant, parum ad nos. Quin neque magnopere ad nos pertinet Arelatensis primatus in Viennensem provinciam, aut etiam universam Galliam. Quid enim quod *fidei rivulos* hæc accepit ab Arelatensi Trophimo? Annon tantumdem acceperant ab Hierosolyma Cæsarea Palæstinæ, Antiochia, et ipsa Roma? Atqui trium harum Urbium Episcopis subjecta olim erat Hierosolymitana Ecclesia. Afferebat itaque pro se Arelatensis Ecclesia congruentissimum, non tamen indeclinabile argumentum; quod quidem, ut commentitium, si hujusmodi foret, dicendum fuisset ab adversariis ejus, et a Romanis Pontificibus, quos contrarios nonnunquam experta est, ita tanti factum non fuit, ut ambitum primatum consequi, aut inviolatum servare potuerit contra illas Ecclesias, quibus civilis splendor, Nicænus canon, et Rescripta Pontificia favabant.

## §. I I.

34. Satis de S. Trophimo dictum videri posset, attamen res tant aliqua, de quibus mox; interim de sociis ejus nihil attinet multa dicere, tum quod de S. Saturnino latissime libro primo disputaverimus, tum quod adversariorum nostrorum plerique, non esse invicem longe separandos eos, existiment, quos una advenisse testatur Gregorius Turonensis lib. 1. *hist. Franc. cap. 28.* sic scribens: *Hi ergo missi sunt, Turonis Gaianus Ep., Arelatensibus Trophimus Ep., Narbonæ Paulus Ep., Tolosa Saturninus Ep., Parisiacis Dionysius Ep., Arvernus Austremonius Ep., Lemoicis Martialis est destinatus Ep.* Prima, et quinta ex his urbibus in Lugdunensi provincia censebantur, tres mediæ in Narbonensi, duæ vero postremæ in Aquitanica; quare opportunæ visæ sunt Apostolicis Viris, quo fidei rivuli in universam Galliam diffunderentur.

35. Tametsi non septem duntaxat Galliarum Apostoli sunt, vel si septem soli initio fuerunt, mox ipsi Discipulos sibi plures aggregarunt, usque adeo impigre in Dominica vinea laborantes, ut pari cum Magistris Apostolorum nomenclatura donati fuerint. Nam ad primum seculum originem suam referunt, et Apostolicæ esse gloriantur Ecclesiæ Viennensis, Mettensis, Rhemensis, Suessionensis, Senonensis, Bellovacensis, Avenionensis, Petrocoricensis, Vassensis, Rhotomagensis, Aurelianensis, Meldensis, Cenomanensis, Catalaunensis, Ebroicensis, Massiliensis, Aquensis, Trevirensis, Moguntina, Coloniensis, et aliæ. Quamvis vero monumenta, quæ pro origine sua antiquissima laudant, non ea fere sint, quæ certos nos reddant, imo fide indigna multa circumterantur; sunt tamen aliqua, quæ contemni non solent ab adversariis nostris, cum pro re sua faciunt, ex gr. populorum traditio, S. Gregorii Turonensis testimonium, vel classica Martyrologia, quæ plurimarum Ecclesiarum Martyres sub nascentis religionis exordio laudant. Videsis in tabula tertia P. Lubini eos, quorum Romanum Martyrologium meminit, et ad primum seculum refert.

36. Alterum prædicatæ ab initio religionis Christianæ in Galliis testimonium habemus in epistola, quam post medium sexti seculi ad S. Radegundem Reginam scripserunt septem Episcopi, sic enim illi loquuntur: *Cum ipso Catholica religionis exortu cœpisse Gallicanis in finibus venerandæ fidei primordia respirare.* Quoniam vero hanc epistolam, tanquam sibi faventem, ostentare adversarios nostros, alibi vidimus, addo jam dictis, eodem modo intelligendos esse laudatos Episcopos dicentes: *Christiana Sacramenta ad paucorum notitiam pervenisse ante S. Martinum, quo Avitum Viennensem intelligunt omnes, cum in Collatione adversus Arianos habitâ coram Rege Gundebaldo, attribuit S. Remigio, Rhemorum Episcopo, Idolorum in Galliis destructionem, et veræ fidei propagationem, ut videre licet apud Ruinartium nota 40 in Acta S. Pionis. Parvo nimirum contentæ sunt hujusmodi locutiones, neque ad literam sumendæ. Et quoniam Actorum S. Pionis memini, admonent me hæc, ut pauca dicam de interpretatione, quam num. 42. Comment. præv. ad vitam SS. Dionysii Ep. Rustici, et Eleutherii citatis modo septem Episcoporum verbis accommodat Bollandianus socius P. Byeus. At itaque, verba *Cum ipso Catholica religionis exortu* de Constantini Magni tempore, quo religio Christiana, quaquaversum jam diffusa, Catholica, seu universalis appellari potissimum cepit, intelligenda videri. Verum dormitasse hic bonum Homerum pene dixerim; quo enim, amabo, frequentius, quam *Catholica* epitheto, *Religionis, Fidei, et Ecclesiæ* nomina ornant Cyprianus, et antiquissimi alii Patres? Legerat utique cl. Byeus laudata modo Acta Sancti Pionis; sed oblitus fuit, novies in eis recurrere *Catholica* epitheton. Facessat igitur præpostera interpretatio, et ingenue fateantur cum Tillemontio adversarii ceteri, laudatos septem Episcopos asserere, prædicatam fuisse in Galliis Religionem Christianam ab ipso hujus exortu.*

37. Duo alia argumenta pro nostra sententia colligi possunt ex iis, quæ libro secundo adducta fuerunt. Nam si celer, plenaque fructu fuit Evangelii prædicatio in toto mundo, ut ibi vidimus, tanto ea magis locum habere debuit in Galliis, quanto scaturigini fidei ipsæ magis appropinquabant;

et

et certe per ipsas transeundum erat illis, qui primo seculo ad Britannos, et Hispanos Evangelium portabant. Ad hæc habemus sub finem secundi seculi testimonia expressa Irenæi, et Tertulliani de Galliis jam tum ad Christum conversis: quæ autem ad extenuanda eadem adversarii afferunt, lib. 2. cap. 2. et 3. dissolvimus. Addo ibi dictis, Innocentium I. in epist. ad Decentium Eugubinum Epis. dicere, *manifestum esse, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulasque interjacentes, nullum instituisse Ecclesiam, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus Successores, constituerunt Sacerdotes. Aut legant, si in his provinciis alius Apostolorum invenitur, aut legitur docuisse. Qui si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romanâ custodit, a qua eos principium accepisse, non dubium est.* Non ignorabat, opinor, doctus Pontifex, Lugdunensem Ecclesiam toto fere secundo seculo administratam fuisse ab Orientalibus hominibus, Irenæo Polycarpi Discipulo, et Pothino, qui martyrium nonagenarius fecit sub Marco Aurelio; et tamen confidentissime dicit, omnes Galliarum Ecclesias a Romana originem ducere. Credere ergo licet, prædicatum fuisse jam inde a primo seculo Evangelium in provincia Lugdunensi, ideoque in Narbonensi etiam, quæ prima Romanis prædicatoribus occurrebat.

38. Tillemontius *tom. 4. monument. in S. Dionysio* assentitur quidem Innocentio Papæ, quod ad Narbonensis Ecclesiæ originem attinet, sed timet, ne in Lugdunensis altera erraverit. Ego vero ab assentiente, et dubitante Tillemontio dissentire cogor. Quid enim ipse mille trecentosque annos Innocentio junior affert, quo hujus asseverantissimum dictum in dubium revocet? Nempe opiniones incertas de primo Lugdunensi Episcopo, quem S. Pothinum, in Asia natum, atque Joannis Apostoli, vel Polycarpi Discipulum plures credunt. Sed hæc, vel si certa omnino forent, conciliari facile possent cum Innocentii Papæ assertionem; nam potuit venisse Romam Pothinus sub initium Pontificatus Aniceti, quando S. Polycarpus certo venit, ac tunc, vel alias a Romano Pontifice Lugdunum mitti; poterat Apostolicus Episcopus aliquis a Petro, vel Successoribus ejus missus, prædicasse in

Lug-

Lugdunensi Provincia ante S. Pothinum: potuit Lugdunensis Ecclesia, tametsi Christianis abundans, ab inferioris gradus Sacerdote regi, quoad primum Episcopum Pothinum nancisceretur. Cum ergo expeditæ tot vix sint, quo incerta satis opinio de primo Lugdunensium Episcopo sustineatur, salva Innocentii primi Papæ assertione confidentissima, non video, cur ei fides indubitata habenda non sit.

39. Dixi, assentiri Innocentio Papæ Tillemontium de origine Narbonensis Ecclesiæ; nam licet de Vienna, quæ in Narbonensi provincia tunc censebatur, non minus, quam de Lugduno, dubitaturus sit, præcipuas tamen Narbonensis provinciæ urbes Arelatem, Narbonem, et Tolosam accepisse fidem ab iis, quos Petri Successores miserant circiter annum 250. passim tuerur. De hac epocha omnino dissentio a Tillemontio; nam Saturninum advenisse multo ante Tolosam, satis, opinor, clare libro primo probavi; multa etiam præcedenti §. dixi, quæ missum ab Apostolo Petro S. Trophimum suadeant; quare unum hic tantum addo, unde facile quisque intelligat ingentes difficultates, quibus se implicant, qui Arelatensem Ecclesiam circiter tertii seculi medium institutam a S. Trophimo volunt. Anno 254. vel paulo post scripsit Stephanus Papæ Cyprianus epistolam 67. de deponendo Marciano Arelatensi Episcopo, qui jam pridem jactat, et prædicat, quod Novatiano studens, et ejus pervicaciam sequens, a communione se nostra segregaverit. Hinc inferitur, egisse jam tum Marcianum aliquot annos in Arelatensi Episcopatu, quod etiam Tillemontius fatetur, qui propterea ipsius Episcopatus initium circiter annum 249. collocat. Inferitur secundo, non esse verum, quod de adventu S. Trophimi Arelatem sub Imperatore Decio, Gregorius Turonensis narrat; quippe totum Imperii Decii tempus intra Arelatensem Marciani Episcopatum concluditur. Restat igitur, ut Præcessor, vel successor immediatus Marciani S. Trophimus credatur; et quidem utrumlibet dici posse, Tillemontius putat, ego vero neutrum, quod sic ostendo.

40. Quatuor, quinqueve testimonia antiqua de Arelatensi Episcopatu S. Trophimi habemus, tertiam scilicet, et quintam epistolam S. Zosimi Papæ, literas undeviginti Episcoporum

rum ad S. Leonem M., anonymum Cassanatensis Bibliothecæ, cujus lib. prim. memini, et Gregorium Turonensem. Jam vero in omnibus, uno dempto ultimo, S. Trophimus, aut a Petro Apostolo missus fuisse dicitur, aut in id temporis conjicitur, quo neque Successor, neque Præcessor immediatus Marciani esse potuit. Unus Gregorius est, qui advenisse imperante Decio S. Trophimum dicit, vel ex conjectura, vel ex fide alicujus exemplaris Actorum S. Saturnini, obscure namque loquitur. Sed undecumque id hauserit, contrarius certe quidem ipse est dicentibus proxime præcessisse, successisseve Marciano Arelatensi S. Trophimum; alligat enim hujus adventum Gregorius Imperio Decii, quod incidisse in Episcopatus Marciani tempus Tillemontius fatetur. Ergo invitis antiquis omnibus Præcessor, Successorve Marciani S. Trophimus fit. At non vult Tillemontius, usque adeo scrupulose accipi verba Gregorii, hominis nempe tricarum hujusmodi in scribendo impatientis, cuique satis fuerit, advenisse Trophimum in Gallias circiter tempus imperii Decii, ut hanc epocham apponeret ipsius Episcopatu Arelatensi. Verumtamen si hujusmodi erat Gregorius (quod Tillemontio facile dabunt multi) quis ferat, præferri eum in questione chronologica Zosimo Papæ, et undeviginti provinciæ Viennensis Episcopis? Nam fac, fuisse perquamdiligentem, atque conceptis verbis præcessorem, successoremve Marciani S. Trophimum dixisse. Putasne propterea, ipsius unius auctoritatem præ antiquiorum ac plurium altera valituram? Possunt quidem recentes critici incautos decipere admirabili, qua opiniones suas venditant, confidentia; sed nunquam efficient, ut, qui pravæ consuetudinis gnari, rationum pondus duntaxat curant, non statim intelligant, longe potiore esse debere auctoritatem Zosimi Papæ, atque undeviginti Episcoporum, antiquissimam S. Trophimi missionem tamquam omnibus notam testantium, et quidem apud eos, quibus non admodum gratum testimonium futurum erat, quam scriptoris sesquiseculum junioris, singularis, incuriosi, et obscure loquentis, imo, adhibitis nisi sustentetur machinis, fæde labentis.

41. Sed missam faciamus testium comparisonem, et an bene conveniat Gregorio cum Cypriano incomparabili teste

videamus. Gregoriana narratio, accepta, non quidem ut sonat, sed cum omnibus fulcris, ipsi a Tillemontio suppositis, ideam lectori ingerit exiguæ, aut etiam nullius Christianitatis in Galliis ante Imperium Decii; quippe tunc primum visos fuisse Episcopos indicat in Narbonensi Provincia, quæ utpote Italiæ vicina, prima susceptura fuisse videtur prædicatores ab Italia venientes. Contra Cyprianus Stephano Papæ de Arelatensis Ecclesiæ turbis per idem tempus scribens, Gallicanam Ecclesiam velut adultam, copiosam, et in Provincias distributam repræsentat; nam *Faustinum Lugdunensem Collegam, ceterosque Coepiscopos ejusdem provincia* laudat; queritur vero de Marciano Arelatensi, qui *Novatiano sese conjungens, et a Catholica Ecclesia unitate . . . discedens*, nolebat lapsos admittere ad pœnitentiam. Quapropter, ait Cyprianus Stephano, *facere te oportet plenissimas literas ad Coepiscopos nostros in Galliis constitutos, ne ultra Marcianum . . . Collegio nostro insultare patiantur, quod necdum videatur a nobis abstentus, qui jam pridem jactat, et prædicat, quod Novatiano studens, et ejus perveraciam sequens, a communione se nostra segregaverit.* Et post pauca: *Dirigantur in provinciam, et ad plebem Arelate consistentem a te litera, quibus, abstento Marciano, alius in ejus locum substituatur . . . Sufficiat multos illic ex fratribus nostris annis istis superioribus excessisse sine pace.* Concludensque epistolam ait: *Significa plane nobis, quis in locum Marciani Arelate fuerit substitutus, ut sciamus, ad quem fratres nostros dirigere, et cui scribere debeamus.*

42. Non equidem miror, Joannem Launojum, qui in eorum sententiam concesserat, qui censent, Christi fidem serius trans Alpes fuisse susceptam, incommodam sibi valde Cypriani epistolam, supposititiam pronuntiasset. Nulla nimirum res magis impedit investigationem veri, quam præconcepta falsa opinio. Videsis in nota prima Baluzii ad hanc epistolam Launoji ratiunculas dissolutas: sat nobis sit dicere cum laudato Baluzio, nemini persuadere suam sententiam Launojum potuisse. Id tamen in qualemcunque hujus laudem cedit, quod perviderit ipse melius, quam Tillemontius, et recentiores alii critici, conciliari non posse cum Cypriani epistola Gregorianam narrationem. Laudatus Tillemontius credidisse videtur,

CON-

conciliari optime omnia, modo verba Gregorii presse non accipiantur: multas propterea hypotheses fingit, ut Marciani Præcessor, vel Successor Trophimus credi possit. Sed egregie fallitur, frustra que laborat, nam difficultatis cardo in eo est, quod, quo tempore floruisse Christianis, et Episcopis Gallicanam Ecclesiam Cyprianus dicit, enascentem hanc tunc Gregorius depingit. Adde Cypriani silentium de Trophimo, hujusque sociis Episcopis, qui quidem, si paulo ante a Romano Pontifice missi fuissent, vel per se se remedium malo attulissent; vel, Legati ipsi Papæ, non commisissent, ut ab aliis longius agentibus Arelatensis Ecclesiæ periculum Stephanus Papa edoceretur. Sed de Arelatensi Trophimo, hujusve sociis neque verbum facit Cyprianus, Arelatensium per idem tempus calamitatem describens, nihilque in ipsius literis est, quod affinitatem habeat cum Gregoriana narratione, imo nihil, quod ideam aliam non ingerat de statu Gallicanæ Ecclesiæ. Ergo vel si diligens in scribendo Gregorius esset, et contradicentes sibi plures, antiquiores, atque graviores Patres non haberet, ipsius tamen narratio improbanda foret, dum Gallicanam Ecclesiam repræsentat nascentem, quando adultam jam, atque robustam Cyprianus perhibet. Tantumdem dicit de passionis S. Saturnini scriptore, si advenisse hunc Sanctum Tolosam sub Decii imperium credidit: nam perquam exilis Gallicanarum Ecclesiarum facies, quam in adventu Saturnini depingit, dissimillima est alteri a Cypriano descriptæ. Quapropter vel summa non est scriptoris illius auctoritas, vel corrupta, quod jam vidimus, ejus narratio fuit.

43. Satis superque fortasse de S. Trophimo disputatum est, itaque indicabo brevissime argumenta alia, quæ antiquam Gallicanæ Ecclesiæ originem probent. Eusebius lib. 5. *Hist.* cap. 1. et seqq. præclara fragmenta Epistolæ Ecclesiarum Viennensis, et Lugdunensis describit, unde florentem ipsarum statum cognoscimus. Non ibi quidem omnium nomina, qui sub M. Aurelio tunc passi sunt, indicantur, aut indicari poterant, quippe vigente adhuc persecutione scripta fuit. Sanctus Gregorius Turonensis, antiquaque Martyrologia Martyres 48. Lugduni tunc passos narrant, quia videlicet horum

v

no.

nomina cognoscebantur ex laudata epistola, vel ex monumentis aliis; verum minima hæc pars Martyrum erat, nam propter ipsos S. Eucherius Lugdunensis Episcopus possidere urbem suam ait Populum Martyrum. Et quidem horum plurimi, inquit Acta sincera SS. Alexandri, et Epipodii, distinctis passionibus, atque nominibus ad succedentium memoriam pervenerunt; innumeros vero, qui vel indiscreta cade concisi sunt, vel vincti in ergastulis defecerunt, inscriptos caelestis tantum liber habet.

44. Ut ex multitudine Martyrum, sic ex Episcoporum, et Hæreticorum numero, qui per idem tempus fuerunt, plurimos fuisse secundo seculo in Galliis Christianos conjectare possumus. Vide quæ de Episcopis dixi superiori libro Cap. 2. et 7. De Hæreticis vero S. Iræneus lib. 1. contra Hæreses cap. 9. ait, Marcosianos, qui Gnosticorum ramus erant, dementasse plurimas fœminas in provinciis Rhodano adjacentibus, seu Rhodano, et Garumnæ, ut ex eodem Iræneo ait Hieronymus Epist. 29. Dicit fortasse aliquis, adducta hactenus argumenta valere ad summum pro Narbonensi, et Lugdunensi Provinciis, non vero pro Aquitana, et Belgica; imo neque pro Lugdunensi, si Lugdunum accensebatur olim Narbonensi Provinciæ, ut Baluzius in notis ad Epist. 67. S. Cypriani vult, quem miror non allegasse pro sua sententia Martyrum Lugdunensium historiam, quæ satis aperte indicat Viennam, et Lugdunum ab uno eodemque Romano Præside administratas tunc fuisse; quod quidem non evenisset, si, ut Vienna certo parebat solidæ Narbonensis Provinciæ Proconsuli, sic Lugdunum Proprætori Lugdunensis Provinciæ paruisset. Verum hæc Baluzii opinio (æque fortasse probabilis, ac nova) nihil nobis incommodat, nam Lugdunum, ubi Christianam Religionem floruisse secundo seculo, nemo negat, eundem situm tenuit, utrilibet accensetur Provinciæ; de Ecclesiis autem Lugdunensis, vel, si magis, Celticæ Provinciæ luculentum testimonium ex S. Iræneo descripsimus lib. superiori cap. 2. Ad hæc Parisii, et Turones, ubi Sancti Trophimi socii Dionysius, et Gatianus prædicaverunt, in Lugdunensi, seu Celtica provincia censebantur. Nihil itaque ex Baluzii opinione extundi contra nos potest.

45. Quid vero de Aquitania, Belgioque dicendum? Vidimus paulo ante, referre ex Iræneo S. Hieronymum, Marcosianos hæreticos decepisse fœminas plures in provinciis Rhodano, et Garumnæ adjacentibus; hinc vero consequens fit, Christianam Religionem viguisse in Aquitania, quam Garumna fluvius ex Augusti dispositione fere mediam secabat. Sed dissimulandum non est, in Irænei textu, qualem modo ipsum habemus, de Marcosianis apud Rhodanum quidem, non tamen apud Garumnam fœminas decipientibus, mentionem fieri; viderique confudisse Hieronymum Marcum, de quo Iræneus, cum juniore alio Marco, ab Ægypto in Hispaniam labente seculo quarto profecto, et Priscillianistarum hæresis, ut Sulpicius Severus narrat, protoparente. Ejusmodi sane non est difficultas hæc, quæ probabilibus exceptionibus elidi nequeat; sed quando nihil certi responderi potest, ad argumenta alia venio.

46. Inter S. Trophimi socios numerari passim ab eruditis criticis SS. Austremonium, et Martialem, primum Arvernorum, alterum Lemovicorum in Aquitania Episcopos, supra diximus; pro his itaque valent, quæ pro S. Trophimo late adduximus. Verum multo illustrius nobis suppeditant argumentum sincera Acta S. Firmini, ex Riccardiano Codice lib. 1. descripta. Ordinatus hic Sanctus fuerat Pompelonensis Episcopus ab Honorato Tolosanæ Ecclesiæ Pastore circiter annum 100. „ Verum ubi regionis illius populos ut in Actis num. XII. dicitur, Christianæ fidei jugo colla subdidisse... intellexit... Aginnum, ubi atrocius Gentilium fervebat impietas, Dei athleta Firminus adiit... Ubi quidem Evangelii gratia discurrere, cum fides in plerisque radiaret catholica, ad alia demigrans loca, fines expetiit Arvennensium, quos illustrans indeficiente claritatis lumine, fugavit inde tenebrosam aternæ mortis caliginem. Qui tandem cujusdam nefandi præsidis Valerii tyrannidem in Galliis grassari audiens in Christiani nominis excidium, Belvacum civitatem Galliarum perniciousiter aggreditur, atque ibi verbum vitæ prædicando publice... in carcerem demum intruditur, unde novissime liber egrediens, Ambianis felici consummatus martyrio, in pace quievisse legitur „ En qua-

quatuor urbes, quarum duæ primæ in Aquitana Gallia, duæ alteræ in Belgica erant, Firmini prædicatione illustratæ. Neque tamen primum ipsum fuisse, qui Aginni, et Belvaci prædicaverit, verba relata indicant. Etsi vero brevissima nostra Acta nihil habent de prædicatione Firmini in Lugdunensi Provincia, quin tamen in ipsa prædicaverit, dubitandum non est, tum quod fusiora ejusdem Acta, a Bosqueto et Bollandianis edita, Andegavensem ejus prædicationem narrent, tum quod illac ab Aquitania in Belgicam Belovacum transeundum ipsi fuit.

47. De Germania supra disserens dixi, acturum me hoc loco de Transrhenana ipsius parte, quam Romani Gallia Belgicæ accensuerunt. Verum promissi me mei fere poenitet; quia esto persuasum habeam, prædicatum ibi mature fuisse Evangelium, tam incerta tamen sunt pleraque omnia, quæ aut de S. Crescente, aut de SS. Materno, Eucharico, et Valerio, aut de aliis multis Apostolorum Discipulis Scriptores Germani narrent, ut prævaricator causæ bonæ videri possim hujusmodi argumentis utens. Satius itaque sit in memoriam revocare Irenæi, Tertullianique testimonia de Germanis jam tum ad Christum conversis; quin enim intelligenda hæc saltem sint de Germanis Rheo adjacentibus, et Romano Imperio subditis, nemo, puto, negabit. Cave vero credas, recens, Irenæo scribente, ad Ecclesiam venisse Germanos; nam impugnat ipse ibi novitia Valentianorum deliria ex antiquiori doctrina, quam Germaniæ, aliarumque provinciarum Ecclesiæ acceperant. Atqui Valentinus hæreses suas sparsit imperante Adriano, vel certe sub initium Imperii Antonini. Credere ergo licet, Germanas Ecclesias ab Apostolorum Discipulis congregatas fuisse. Non hoc fortasse negabunt adversarii nostri; at vero familiare suum argumentum, ex Actis S. Saturnini, ex Sulpicio Severo, et ex epistola septem Episcoporum ad S. Radegundem desumptum, opponent, quo tum in universa Gallia, tum maxime in prima, ac secunda Germania, necnon in Belgica prima, quarum principes urbes erant Moguntia, Colonia Agrippina, et Augusta Trevirorum, paucissimos ad usque imperium Decii Christianos fuisse, probent. Si ad ea, quæ de epistola septem Episcoporum jam dixi, a-

liquid addam, vereor, ne pluris, quam ab adversariis ipsis fit, asargumentum facere videar. De Actis etiam S. Saturnini affatim libro primo dictum fuit; neque necesse foret iterum ad Sulpicium venire, nisi invitum me revocarent Tillemonius, et Bollandianus Socius P. Byeus, qui passim testimonium illius intorquent. Bona itaque cum venia lectoris prolixam Cl. Byei argumentationem tom. 4. Octob. in *commentario prævio ad Acta SS. Dionysii Ep. Rustici et Eleutherii S. 4.* in pauca contraham, et ad singula respondebo.

48. Sulpicius Severus lib. 2. *hist.* cap. 32. sic scribit: *Sub Aurelio Antonini filio persecutio quinta agitata, ac tum primum intra Gallias martyria visa, serius trans Alpes Dei religione suscepta. Hinc sequitur, credidisse Sulpicium, Dei religionem non fuisse intra Gallias susceptam sub Adriano, quartæ persecutionis secundum ipsum auctore, et ab anno 117. ad 138. imperatore. Permitti forsitan posset, errasse Sulpicium in tempore, quo primum Dei religio in una, vel altera Galliarum urbe annuntiata fuit; sed nemo dicet, tam patriæ historiæ ignarum eundem fuisse, ut, si inibi passim Religio jam florisset, non id didicisset ex monumento aliquo, populorumve traditione. Errant enim qui putant, præ oculis illum habuisse dumtaxat Eusebii Historiam, in qua quidem prima Gallicanæ Ecclesiæ mentio fit Aurelianæ persecutionis occasione. Quippe ipsemet in præfatione sic ait: Non peperci labori meo, quin ea, quæ in permultis voluminibus perscripta continebantur, duobus libellis concluderem, ita brevitati studens, ut pene gestis nihil subducerem. Ex his credere licet, Sulpicium, qui historias martyrum, sub Diocletiano passorum, aliquando laudat, habuisse etiam prælucentes sibi antiquiorum Martyrum alias, in quibus prædicatæ primum in Galliis religionis Christianæ tempus indicaretur. Verum demus, caruisse monumentis omnibus, unde veram Gallicanarum Ecclesiarum originem disceret: id, puto, factum fuit, quia hujusmodi monumentis carebant etiam eadem Ecclesiæ; nam, ut modo dicebam, ignorare hæc penitus non potuisset scriptor, qui pro colligendis monumentis nulli pepercit labori. Si autem illis carebant Ecclesiæ anno 400. cum Sulpicius historiam edebat, unde quæso, pleræque Galliarum Ec-*



clesiæ nunc ipsa habent? An non verisimile fit, ex traditione vera, vel certe probabili, de prædicato in Galliis Evangelio ab Apostolis, horumque Discipulis, occasionem a multis arreptam attribuendi suis Ecclesiis Apostolicam originem? Ut ut sit, cum supinæ ignorantæ, aut malæ fidei accusandus non sit pius, diligensque Historicus, dicendum videtur, monumenta, traditionesque, quas plurimæ Galliarum Ecclesiæ jactant pro Apostolica sua origine, Sulpicio posteriores esse. Ex his concludit P. Byeus, opinionem de paucis seculo primo Gallicanis Ecclesiis, si minus *prope certam, verisimillimam* saltem *evadere*.

49. Libens concedo P. Byeo, Sulpicium Severum non egisse mala fide; vir enim admodum pius fuit, esto Sanctum, ut passim illum Tillemontius appellat, nunquam dixerim propter ea, quæ Benedictus XIV. in *Litteris Apostolicis de nova Martyrologii Romani editione* adducit. Neque opus est, supinam ei ignorantiam affingere; inclementer enim cum scriptoribus ageret, qui parem ab his diligentiam, atque accuratorem exigeret, sive ex professo, sive raptim, et obiter quidquam tractent. Atqui Sulpicius, persecutionum catalogum texens, ad originem Transalpinarum Ecclesiarum inopinato delabitur. Ad hæc concedendum Byeo est, Sulpicium non redegisse in compendium Eusebii historiam, et præsto ei fuisse auctores alios. Sed probare nequeo argumentum, quo Byeus utitur; nam fac, Sulpicium pro Ecclesiastica trium priorum seculorum historia Eusebium ducem dumtaxat habuisse: vere nihilominus dicere potuit, *per multis voluminibus* usum se fuisse in concinnanda historia; quippe liber primus, longe superans mole secundum, et in hoc secundo historia quarti seculi, quæ prolixior est altera præcedentium trium seculorum ex Eusebii libris concinnari non poterant. Vera ergo ratio, cur Sulpicius dicendus non est, redegisse in compendium Eusebii historiam, repetenda est tum a discrepantia inter utrumque Historicum, tum a supra relatis Sulpicii verbis, in quibus ita se brevitati studuisse dicit, ut ex iis, *quæ in permultis voluminibus continebantur*, nihil pene omiserit. Nam ad discrepantiam quod attinet, statim ipsa occurret conferenti narrationes utriusque Historici; mihi satis est admonere, dupliciter

citer ab Eusebio discrepare Sulpicium in his ipsis verbis, quæ contra nos afferuntur. Vocat enim hic *Quintam*, quam ille *Quartam* dixerat M. Aurelii persecutionem: et *serius trans Alpes* susceptam fuisse Dei religionem ait; cum Eusebius dicat lib. 3. cap. 4. Crescentem Pauli Discipulum advenisse in Galliam. Satius itaque emendator, quam breviator Eusebii diceretur Sulpicius. Quid vero si ne vidisse quidem Eusebii historiam Sulpicius dicendus sit? Id certe de pio, veracique Viro credendum videtur; quomodo enim, si Eusebium vidisset, ausus fuisset scribere, *pene nihil se omisisse eorum, quæ in permultis voluminibus continebantur, quin duobus libellis concluderet? An pene nihil visæ sunt egregio Historico Ecclesiastico Eusebianæ narrationes de Conciliis, de Patribus, de primarum Sedium Episcopis, de Hæreticis, deque hujusmodi aliis? Atqui ne verbo quidem horum aliquid indicat in historia priorum trium seculorum.*

50. Equidem invidere tibi, Lector, viderer, si non hic totam Sulpicii historiam illius temporis, quod ab Hadriani obitu ad Diocletiani persecutionem intercessit, fideliter describerem. Exhorrescis, quod rerum omnium, quæ 165. annorum intervallo in Ecclesia acciderunt, auditurus sis? Bono animo esto, non est prolixa narratio, tametsi *pene nihil omittat eorum, quæ in Eusebii, et aliorum permultis voluminibus continebantur*, ut gravissimus Auctor Sulpicius Severus testatur in prologo. Ausculta universam ejus narrationem.

„ Post Hadrianum Antonino Pio imperante, pax Ecclesiis fuit.  
 „ Sub Aurelio deinde Antonini filio persecutio quinta agitata. Ac tum primum, intra Gallias martyria visa, serius  
 „ trans Alpes Dei religione suscepta. Sexta deinde, Severo  
 „ imperante, Christianorum vexatio fuit. Quo tempore Leonidas Origenis pater sacrum in martyrio sanguinem fudit.  
 „ Interjectis deinde annis octo et triginta pax Christianis fuit, nisi quod medio tempore Maximinus nonnullarum Ecclesiarum clericos vexavit. Mox Decio imperante, jam tum  
 „ septima persecutione sævitum in Christianos. Inde Valerianus octavus Sanctorum hostis fuit. „ Quid adhuc expectas? prolixissima 165. annorum narratio finita fuit; sic enim Sulpicius prosequitur: „ Post eum interjectis annis fere quinqua-

„ginta, Diocletiano, et Maximiano imperantibus, acerbissima persecutio exorta etc. „ Judica nunc, Lector, an salva veracitate Sulpicii, credi possit, consuluisse ipsum Historiam Eusebii? Habet ergo D. Byeus plusquam fortasse consideravit; nam tantum abest, ut Eusebium Sulpicius in compendium redegerit, ut ne novisse quidem illum, videri possit. Si autem minus certum hoc ultimum dixeris, eo quod professus in Prologo idem Sulpicius, *carptim se dicere velle res gestas*, potuerit, quasi parum ad institutum suum facienda, indicta relinquere multa, quæ in Eusebio legebat; respondebo, ineptum, nequid gravius dicam, historicum ipsum tunc fuisse, qui, indicta relinquens pene omnia historiae capita, promittit tamen *brevitati sic studere, ut pene nihil gestis subducatur*.

51. Verum ad propositum paulo ante argumentum propius accedo. P. Antonius Pagius in *Critica Baronii* ad ann. 374. n. 7. sic ait. *Galliarum nomine antiquam provinciam Narbonensem minime comprehendit Sulpicius*: probatque ibidem multis testimoniis, Narbonensem solidam Provinciam, vel quod in idem fere recidit, Quinque, vel Septem Provincias, quarum frequens mentio occurrit in quarti, et quinti seculi monumentis Gallicanis, non venisse tunc temporis Galliarum nomine. Hæc opinio si non omnino purgat Sulpicium, mitigat saltem absonum ejus assertum; poterunt enim, permittente Sulpicio, statui primo seculo SS. Trophimus Arelatensis, Saturninus Tolosanus, Paulus Narbonensis, ac fortasse etiam Martialis Lemovicensis, et Austremonius Arvernus Episcopi: duoque tantum ex septem, qui Galliarum Apostoli vulgo dicuntur, Dionysius videlicet Parisiensis, et Gacianus Turonensis ad posteriora tempora trahendi erunt, utpote Episcopi, alter Lugdunensis Senonix provincix, alter Lugdunensis tertix, quæ Gallicanæ semper habitæ sunt. Sed ne sic quidem assentire Sulpicio Pagius vult, qui ad annum 874 contendit Dionysium Parisiensem a S. Clemente I. Papa missum fuisse. Ego vero, ut libens Pagio concedo, non venisse *Galliarum* nomine apud plurimos quarti, et quinti seculi scriptores Provincias *Quinque*, vel *Septem*, seu solidam Narbonensem, ita non puto, voluisse Sulpicium has ipsas exclu-

sas a Gallicanarum aliarum sorte, quas suscepisse serius Dei religionem, ait. Hanc enim rationem allegat, cur *primum* sub M. Aurelio visa in Galliis martyria sint, quia nimirum *serius trans Alpes Dei Religio suscepta fuit*. Atqui Narbonensis Provincia trans Alpes etiam est: ergo vel ipsam Galliarum nomine, ut non pauci alii scriptores faciebant, comprehendit, vel rationem allegavit, quæ seram in ea prædicationem Evangelii æque probet.

52. Quid igitur ad testimonium Sulpicii respondendum? Dicam aperte atque ingenue, quod de Sulpicio Severo sentio. Pius is est, ac disertus Historicus, sed ineruditus, incuriosus, quique ad conscribendam Ecclesix historiam parum viaticatus accessisse videri possit. Quapropter ut illum non respuo, ubi meliores deficient, sic in causa, quam agimus, attendendum non puto. Neque dicas, claudicare censuram meam, cum scriptorem, qui nulli labori pepercit, ut ipsemet in prologo ait, quominus omnia corraderet in permultis voluminibus sparsa, hunc et pium, et incuriosum voco. Aut enim mendax ipse fuit, aut eruditus, diligens, et necessaria ad opus suum supellectile instructus. Quo pacto concilianda hæc sint, non admodum curo; quin tamen recte censuerim, nullus dubito, neque dubitabit, opinor, quisquis sine partium studio Sulpicium attente legat. Verum ne nimis difficilis propositus nodus videatur, ajo, Historicum nostrum satis diligenter versatum fuisse in contrahenda primo libro sacra Historia ex permultis voluminibus: cum autem liber primus longe superet mole secundum; et hic ipse operosius, prolixiusque conscriptus sit in ultima parte, quæ de Arianis, et Priscillianistis agit, nihil est, cur vere dicere non potuerit, nulli se pepercisse labori, quominus duobus libellis concluderet, quæ in permultis voluminibus sparsa continebantur; esto non eandem diligentiam adhibuerit in historia priorum trium seculorum, quam non modo *carptim*, ut in prologo ipse dicit, sed perfunctorie etiam, atque incuriose tractavit. Neque vero video, quomodo hoc ultimum concedendum non sit; nam ut incurix, negligentixque exempla multa præteream, an non intolerabile illud est, quod 165. annorum historiam, rerum gestarum multitudine, varietate, ac

magnitudine splendidissimam, paucioribus ipse fere litreis, quam libris Eusebius, tetigerit? Tametsi breviori adhuc esse illi licebat, quando tam brevi itinere cœspitaturus sæpius erat. Ut enim mittam, nimis rotunde ab eo dici: *Antonino imperante, pacem Ecclesiis fuisse*; et Marci Aurelii persecutionem, a ceteris quartam dictam, quintam ab eo vocari: ut etiam missam faciam incredibilem, quam Galliarum primis Martyribus assignat epocham, et æque incredibilem rationem, quam allegat: nonne indiligentiæ Sulpicii indicium est, quod, octava Valeriani persecutione commemorata, ita prosequitur: *Post eum (Valerianum) interjectis annis fere quinquaginta, Diocletiano, et Maximiano imperantibus, acerbissima persecutio exorta etc.*? Nam primum Aureliani nonam persecutionem prætermittit, quod in Historico, qui ex rebus in Ecclesia gestis secundo, et tertio seculo vix aliud habet, quam persecutionum catalogum, tolerari non potest. Deinde si a Valeriana ad Diocletianam persecutionem exacta computatione annorum uti non poterat, aut nolebat, cur *quinquaginta fere*, ac non potius *quadraginta fere* dixit? Quippe quadraginta tres, vel summum quatuor anni inter utramque persecutionem fluxerant. Denique omittere nullo modo debuit Historicus Gallus acerbissimam, quam in Galliis Maximianos exercuit persecutionem ab anno 286. ad 292; hoc enim intervallo temporis omnes, vel fere omnes, qui martyrium in Galliis, Diocletiano, et Maximiano imperantibus, passi sunt, collocari debent, quandoquidem ab anno 292. Constantius Chlorus, et Constantinus Filius, Christianis faventes, Gallias rexerunt. Cum ergo Sulpicius de Diocletiani, et Maximiani persecutione agens, indicet, non fuisse ab ipsa immunes Christianos Gallos, non debuit committere, ut passi hi crederentur post quinquaginta fere annos a Valeriano, imo neque post quadraginta.

53. Hæc affatim, credo, probant, frustra agere eos, qui magni faciendam in præsentī causa auctoritatem Sulpicii putant. Jacebat tunc nimirum studium historiæ, et qui hujus scientissimi habebantur, pingui eam minerva tractabant, quod ex Paulini epistola nona ad eundem Sulpicium colligi licet. Petierat hic enim ab illo dubiorum aliquot ad historiam pertinen-

inentium solutionem; sed Paulinus urbane se excusans imperitia sua, Ruffinum Aquilejensem consulendum de illis censuit, quippe: *si ille (inquit) has, qua merito te permovent de annorum, sive regnorum non congruente calculo hiantis historiæ causas non ediderit, qui et scholasticis, et salutaribus literis græce juxta ac latine dives est, vereor, ne apud alium in his regionibus frustra requiramus.* En quale pro historicis dubiis oraculum Italia, atque adeo occidentales regiones tunc habebant, Ruffinum illum scilicet, quem pingui minerva scribere, eruditi critici modo judicant. Quid ergo mirum, si Sulpicius in historia sui seculi sæpe, fædeque errans, erraverit etiam in Gallicanarum Ecclesiarum origine consignanda? At vero, inquis, si antiquus, nec omnino indiligens Sulpicius ignoravit Gallicanarum Ecclesiarum plerarumque originem, attribuendum id erit monumentorum defectui, et nondum vulgato rumori, seu traditioni de antiquissima earum origine. Unde ergo postea Ecclesiæ pleræque Apostolicam suam originem didicerunt? Ad argumentum breviter respondeo, affatim me demonstrasse, predicasse in Galliis magno cum operæ pretio Apostolos, vel horum Discipulos; neque Sulpicius, qui fortasse id ignoravit, tantæ auctoritatis esse, ut ejus gratia commutanda mihi sententia sit. Eatenus vero solum præfatas Gallicanarum Ecclesiarum traditiones manutendas censeo, quatenus favorable præjudicium ipsæ habent in sparso per omnes Galliarum provincias Evangelio jam inde a primo seculo. Quæ ergo amplius aliquid volunt, illæ causæ suæ rationem reddent. Videsis dicta lib. secundo cap. 7. Sed de Sulpicio, deque Gallicana Ecclesia satis.



## CAPUT IV.

De Britanica, atque Africana Ecclesia  
antiquitate.

54. Sicuti forte prolixior visus sum in indaganda origine Gallicanæ Ecclesiæ, condonabit is mihi, spero, modo consideret, alienigenarum opem, ut ita dicam, implorare nunc ipsam, quæ cum ad seculum decimum septimum, reclamante fere nemine, Apostolicam sese credidisset, quasi conjuratione repentina filiorum ad obscura, recentioraque tempora tracta fuit. Sed præsentis capituli brevitatem præcedentis compensabit. Quæ de prædicatione Britanica SS. Pauli, Simonis Zelotæ, Josephi Arimathæi, Aristo- bularii, necnon Pomponiæ Græcæ, Pauli illius uxoris, qui, imperante Claudio, Britanniam partem Romanis subiecit, apud Auctores multos leguntur, tamquam minus certa prætereo. Verum primos Britannorum Apostolos si minus possumus indicare, explorata tamen res est, cum ipso exortu Evangelii exortam quoque fuisse Britannorum fidem. Id enim exigunt non modo SS. Justini, Irenæi, et antiquissimorum Patrum generalia asserta, libro secundo descripta, sed expressa etiam testimonia Tertulliani lib. ad *Scapulam* cap. 7. dicentis: *Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita fuisse; necnon Origenis Homil. VI. In Lucam, et Eusebii lib. 3. Demonstr. Evang. cap. 5. asserentium, Apostolos, Oceano prætervecto, Britannis insulis lumen fidei intulisse. Tantundem ajunt Chrysostomus, et Theodoretus, quorum verba videsis Cap. I. hujus libri tertii. De Britannis etiam insulis intelligendus est S. Hilarius Pictaviensis tract. in Psalm. 14. num. 3. ita scribens: Apostoli plurima tabernacula (Ecclesias) condiderunt, et per omnes orbis terrarum partes, quacumque adiri possunt; quin etiam in Oceani insulis (utique Britannis) habitationes Deo plurimas paraverunt.*

55. Extraneis domesticos duos graves, ut ut plusculum recentiores, testes adjungo, Gildam, qui sexto seculo cognomen *Sapientis* adeptus fuit, et Bedam. Illius verba in epist.

pist. *de excidio Britannia*, librariorum fortasse culpa nonnihil obscura, hæc sunt: „ Interea glaciali frigore rigenti Insulæ, et „ velut longiore terrarum secessu Soli visibili non proximæ, „ verus ille Sol, non de firmamento temporali, sed de summa „ etiam cœlorum arce tempora cuncta excedente, universo orbi „ præfulgidum sui coruscum ostendens, tempore, ut scimus, „ summo Tiberii Cæsaris (quo absque ullo impedimento ejus „ propagabatur religio, comminata, Senatu nolente, a Prin- „ cipe morte delatoribus militum ejusdem) radios suos pri- „ mum indulget, id est, sua præcepta Christus. Quæ licet ab „ incolis tepide suscepta sunt, apud quosdam tamen integre, „ et alios minus, usque ad persecutionem Diocletiani &c. „ Beda vero *Hist. Angl. lib. 1. cap. 4.* sic ait: „ Anno ab In- „ carnatione Domini 156. (*fortasse mendum est in numero*) „ Marcus Antoninus Verus regnum cum Aurelio Commodo „ fratre (*f. filio*) suscepit. Quorum temporibus cum Eleu- „ therius vir sanctus Pontificatui Romanæ Ecclesiæ præset, „ misit ad eum Lucius Britannorum Rex epistolas, obsecrans, „ ut per ejus mandatum Christianus efficeretur, et mox ef- „ fectum piz postulationis consecutus est: susceptamque fi- „ dem Britanni usque in tempora Diocletiani principis invio- „ latam integramque quietam pace servabant. „ Idem repetit in *Compend. Hist.*; similiaque leguntur in Pontificali, quod sexto seculo exaratum creditur. Quæ autem nonnulli, Pro- testantes præsertim, contra hæc opponunt, tum valde infirma sunt, tum parum vel nihil nobis incommodant, qui Britan- niæ Ecclesiæ non tam definitam et certam originem, quam inconcussam antiquitatem demonstrare voluimus. Ac profecto cum Arelatensi Concilio Britanni tres Episcopi interfuerint anno 314. cumque Martyres plures Britanni sub initium Imperii Diocletiani et Maximiani certo fuerint, consequens fit, Religionem Christianam profundas apud ipsos jam tum radices egisse. Neque vero in australi, orientali solum parte, ubi Romani dominabantur, sed in ceteris etiam, quæ Romanis inaccessæ erant, ut ex Tertulliano audivimus.

56. De Britannia, quam Oceanum mare a Gallia disterminat, dixi; videndum jam est de Africa, Mediterraneo ab ipsa divisa. Recentiores Græci, ut Metaphrastes, ac Nice- pho-

phorus, nec non Menologia Basilii, et Sirleti originem Africanæ Ecclesiæ ad Apostolos Petrum, et Simonem Zelotem referunt; sed vel hoc ipso quod recentiores soli, et maxime Græci, hæc narrant, suspecta fiunt; uti etiam suspecta est eruditæ auctoritas Hippolyti, Dorotheique, qui in id allegantur. Potiores pro hac re testes Augustinum, et Salvianum laudat Baronius ad ann. 44. num. 38.; verum litem huic movent de illorum intelligentia Schelestratus, Pagius, atque Mamachus, qui tum ex eodem Augustino, tum ex Tertulliano, Innocentio I. et Gregorio M. probare contendunt, sub seculi primi finem, vel initium secundi Africanam Ecclesiam congregatam fuisse. Mihi quidem omnia, quæ utrinque afferuntur, ambigua videntur; quare id solum affirmo, tam late diffusam in Africa fuisse toto seculo tertio Religionem Christianam, ut quanto vetustiore hanc ibi dixeris, tanto verisimilius ratiocinari videaris. Cum enim propagatæ alicubi religionis modum nescimus, ordinarium naturalemque ipsum credimus: exigit vero ordo humanarum rerum, ut nisi longissimo tractu temporis ingentes mutationes morum non fiant, ac tum maxime cum innati appetitus, atque Reipublicæ moderatores novitati acriter resistunt.

57. Videamus igitur, qualis fuerit toto seculo tertio Africanæ Ecclesiæ status, Tertullianus *Apologeticum* scripsit anno circiter 200. et *adversus Judæos* aliquot annis post. Quid autem in his libris dicat de stupenda Christianorum in universo orbe multitudine, leges supra lib. 2. cap. 3. ubi etiam invenies Minutii Felicis, Cypriani, Arnobii, et Lactantii, Africanorum tertii seculi scriptorum, simillima verba. Quia vero recentiores multi fortasse putant, exaggeratius illos loqui, tantisper id volo permittere, modo bona omnes fide fateamur, tanta exaggeratione locuturos non fuisse prudentes homines, si in illis provinciis, quas oculis suis subjectas habebant, non fuisset maximus Christianorum numerus.

58. Alia præterea via colligere possumus Africanorum Christianorum per ea tempora multitudinem. Parcissimos esse adversarios nostros in admittendis ante seculi tertii medium Episcopis, alibi dixi: quare si plurimos hos in Africa olim fuisse probaverimus, ingentem quoque Christianorum

nu-

numerum non illi negabunt. Atqui notissima sunt numerosa Concilia Africana tertio seculo celebrata, ut illud, *Magnum* dictum, in quo octoginta quinque, vel septem Episcopi cum Cypriano decreverunt, baptizatos ab hæreticis rebaptizandos esse: ut alterum, multis ante annis habitum, ubi Privatus Lambesanus a nonaginta Episcopis condemnatus fuit, de quo vide quæ lib. super. cap. 7. dixi: ut denique celebratum sub Agrippino Carthaginensi Ep. seculo secundo labente, ineunte tertio, in quo eos, qui ab Hæreticis ad Ecclesiam veniunt, baptizandos esse censuerunt *Episcopi plurimi*, ut Cyprianus loquitur epist. 73., id est, *septuaginta Episcopi*, ut ex Augustini lib. 3. *de Baptismo cont. Donat.* colligitur. Opponet fortasse aliquis memet mihi, propterea quod libro 2. cap. 7. dixerim, non valere consequentiam a grandi numero Episcoporum ad Christianorum multitudinem. Sed nihil attinet nos immorari in iis, quæ abunde ibi explicata sunt: quare breviter ajo, non posse improbari argumentum nostrum a recentioribus criticis, qui præfatam consequentiam optimam putant. Ego vero, licet omnino necessariam ipsam non putem, probabilissimam tamen esse, confessus sum; imo in causa, de qua agimus, veram omnino ajo propter laudatorum Africanæ auctororum testimonia.

59. Hæc pauca pro instituto nostro satis sunt; generalem enim causam de prompta grandique propagatione Evangelii dumtaxat agimus, neque valde solliciti sumus pro definiendis annis, quibus in singulis provinciis Ecclesiæ constitutæ sunt, modo citius, quam recentiores critici putant, id evenisse probemus. Cum ergo ex dictis satis constet, mature susceptam in Africa fuisse fidem, perinde fere nobis est, quod Apostoli, ut Baronius, alique putant, vel Apostolorum Discipuli, quod ceteri eruditi non negant, ipsam ibi disseminaverint. Unum vero, ut lectores animadvertant, volo, debere Tertulliano, et Cypriano, non quidem mirificam propagationem Africanæ Ecclesiæ, sed notitiam tantummodo rei, quæ, ipsis tacentibus, non minus incredibilis recentioribus criticis videretur, quam paradoxa eisdem nunc est Gallorum, Hispanorumque Episcoporum per ea tempora multitudo. Verum si nostræ Provinciæ Tertullianos, Cyprianosque non habue-

buerunt, qui de Christianorum, et comprovincialium Episcoporum multitudine nos docerent, poterant tamen sine illis, ut sine Tertulliano, et Cypriano Africa potuit, avidissime religionem suscipere, atque abundare Episcopis. Neque vero video, quid causæ fuerit, cur tantopere creverit Africana Ecclesia, circa annum 100. ut criticis vulgo placet, plantata; Hispana autem, Gallicanaque, Apostolorum sudoribus irrigata, quod adversarii plerique fatentur, steriles prope fuerint ad medium usque seculi tertii. Neque item video, cur nobilissimi Africani scriptores, de Christianæ religionis propagatione agentes, nullam patriæ suæ prærogativam in hac parte agnoverint. Tametsi non poterant prærogativam ambire patriæ suæ, qui in amplectendi religionem studio Provincias, Urbes, Vicosque omnes pares faciebant. Simples nimirum homines, e sua ceteras terras æstimantes, volebant, Hispanas, Gallicanasque Ecclesias Episcoporum, qui nusquam erant, congregare Concilia, eoquod factitabant id Africanæ.

60. Verum Tillemontius tom. 4. monument. Eccl. art. 1. vita S. Dionysii scrupulum nobis movet, quippe laudans Sulpicium dicentem: *Sub Aurelio . . . primum intra Gallias martyria visa, serius trans Alpes Dei religione suscepta*, addit seu in laudem patriæ suæ, seu in confirmationem *testimonii*, ut ipse vocat, *authentici*, neque Hispanam Ecclesiam exploratum Martyrem habere ante S. Fructuosum anno 259. pro Christo occisum, neque Africanam ante Scillitanos anni 200. ut ex Tertulliano inferri videtur. Hic, opinor, plures, conciliare *authenticitatem* opinioni suæ volentes, dicent, *serius trans Pyrenæos, et mare Mediterraneum Dei Religionem fuisse susceptam*. Non indicat quidem Tertulliani locum Tillemontius; verumtamen intelligit hæc capituli 3. libri ad Scapulam verba: *Vigellius Saturninus (sub quo Martyres Scillitani passi sunt) qui primus hic gladium in nos egit, lumina amisit*. Sed Baronius ad annum 202. num. 6. tria illa verba *qui primus hic* recte his tribus aliis *Severi tempore Carthagine* exponit. Ac sane qui fieri poterat, ut in referta Christianis, quod negari vix potest, jam inde a centum annis provincia Martyr nullus antea fuerit? Ut enim de antiquioribus persecutionibus si leam, in ea, quæ ante 23. annos sub M. Aurelio fuit, in-

*numerabiles prope Martyres per universum orbem enituisse*, Eusebius ait initio libri quinti.

61. Sed fuerint, si vis, primi Scillitani. An non Episcoporum 70. Concilium per idem tempus in Africa habitum, ut paulo ante vidimus, indicio est, serorum in Africa Martyrum causam querendam non esse in sera ejus ad Christum conversione? Sive ergo Tertullianus de sola Severi persecutione loqui voluerit, sive omnium omnino primum Saturninum crediderit, qui gladium egerit in Africanos Christianos, nihil inde Tillemontius inferre pro sera in Africa susceptione Religionis valet. Imo ipsum, atque *authenticum* suum testem Sulpicium ista ejus argumentatio petit: si enim Tertullianus scripsit, non fuisse in Africa visa martyria ante Scillitanos anno 200. sub Saturnino occisos, esto certissime constet, multo ante susceptam inibi fuisse Religionem Dei; ergo perperam ambo serorum in Gallia Martyrum causam repetunt a sera in ipsa Religionis susceptione. Nescio, an colligi posset, credidisse Tertullianum, primos Africanæ Martyres fuisse Scillitanos, eoquod in *Apologetico* cap. 5. post commemoratam Neronis, ac Domitiani persecutionem, Gentiles ita provocat: *Ceterum de tot exinde Principibus usque ad hodiernum, divinum humanumque sapientibus, edite aliquem debellatorem Christianorum. At nos e contrario edimus protectorem &c.* Verum si Tertullianus ejusmodi opinionem induisset, ab ea certe Africanæ Ecclesie propagationem non repensisset, qui *Apologeticum* claudit magni is his verbis: *Plures efficiuntur, quoties metimur a vobis: semen est sanguis Christianorum*. Nemo itaque putet, crevisse magis in Africa, quam in aliis provinciis, Christianam Religionem, quia majori fortasse ibi tranquillitate posita fuerit.

62. Quæ de Africa hactenus dixi, ad ipsius provincias Romanis subditas maxime pertinent. At vero plures alie ibi erant vix nomine tenus Romanis, et Græcis nota, quæ tamen Religionem Christi profitebantur, ut ex Tertulliano discimus, qui *Gatularum varietates, Maurorum multos fines, et generatim abditus multas gentes, et provincias, in quibus Christi nomen regnat, recenset*. Quibus si illa addas, quæ de Libya, atque Æthiopia antea dixi, haud ægre tibi persuadebis,

Religionem Christianam jam inde a seculo secundo in Africam interiorem penetrasse. Ad testimonium autem S. Augustini cap. 1. libri 2. relatum, quod obstare, quominus verum id crederetur, videri posset, satis ibidem respondimus.

## CAPUT V.

## De Origine Hispana Ecclesia.

## S. I.

63. Venimus tandem ad Hispaniam nostram, cujus Nerium Promontorium, *Caput finis terra* hodie dictum, in memoriam revocat laudata alibi verba SS. Clementis et Ignatii, quorum ille de Paulo ait in epist. I. ad Corinth. *In Oriente ac Occidente verbi praeo factus, illustrem fidei suae famam sortitus est, in justitiam mundum universum instruens, et tunc tunc regum et regum ducum, et ad Occidentis finem venit.* Alter cap. 4. epist. ad Philadelph. *Ex una Ecclesia, quam suis sudoribus ac laboribus fundarunt SS. Apostoli a finibus terra usque ad fines in sanguine Christi.* Similibus formulis Irenaeus, Origenes, atque alii Patres utuntur, praesente omnibus Paulo epist. ad Romanos. c. 10. v. 18. ubi Psalmi 18. v. 5. verba: *In omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terra verba eorum.* de Apostolis intelligit. Quapropter nemo miretur, si Gens ultima terra Apostolum unum, et alterum Doctorem suum appellat. Et vero cum Occidentales omnes provinciarum Christianam suam originem certatim ad Apostolos referant, nulla (si illas excipias, quibus suffragatur a parte Sacra Scriptura) potiori, quam Hispania, jure id facit; siquidem non Patres modo, sed Scripturam etiam Sacram sibi faventem habet. Nam Paulus, Romanis scribens, ait c. 15. v. 24. *Cum in Hispaniam proficisci cupero, spero, quod praeteriens videam vos, et a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fructus fuero.* Et v. 28. *Per vos proficiscar in Hispaniam.* Nullibi quidem vel Lucas in Actib. Apostolorum, vel Paulus ipse in epistolis postea scriptis, profectio-

nis

nis hujus meminerunt; quare posset impune ea negari, modo reliquae vitae Pauli chronotaxis negandam suaderet. Si autem haec non obstet, pietas in hominem nihil temere asserentem, imo Spiritu Sancto inspirante loquentem, exigit, ut executioni mandatam credamus: nam Lucæ, et Pauli de ipsa silentium nihil probat, quippe ille librum suum claudit dicens: *Mansit autem (Paulus Romæ) biennio tota in suo conducto . . . sine prohibitione;* quare non poterat meminisse rei, quæ, ipsomet Paulo disponente, executioni mandanda postea erat; hic autem nihil minus in conscribendis epistolis cogitavit, quam labores ad unum omnes, itineraque sua posteritati commendare.

64. Verum obstat fortasse chronotaxis. Obstat certe quidem, si Paulum, post biennalem romanam custodiam in libertatem assertum, tum circumducas per loca cetera, ad quæ sperabat ipse venire, tum inibi retineas, non quoad ipse voluit, sed quoad tibi placet. At vero si necesse est dicere, advisse Paulum loca, in quæ venturum se esse sperabat, esto in eis minus necessaria videri posset ipsius praesentia, ut ex epist. ad Rom. cap. 15. v. 23. colligitur; quidni etiam concessisse in Hispaniam, quod semel et iterum asseveranter promisit, dicemus? Neque angustias temporis, locorumve distantias causeris; nam Paulus, liber a Nerone dimissus, plures annos supervixit; urbes autem, ad quas iturum se sperabat, neque invicem dissitæ valde erant, neque vero si essent, detererent propterea hominem, qui Apostolum Gentium electum se esse sciens, totum mundum instar puncti ducebat. Adhæc quis novit, quandiu in illis urbibus commoratus est? Tillemontius, cui Hispaniense iter Pauli minus probatur, trium dumtaxat annorum intervallum statuit inter libertatem ejus et mortem; neque tamen negare audet, potuisse ipsum, postquam liber dimissus fuit, mox in Hispaniam contendere, ibique aliquot mensibus commorari. At vero chronotaxis Tillemontii displicet aliis multis, qui septem, vel etiam novem annorum intervallum illud fuisse putant. Deinde non contendunt Hispani, diu apud ipsos Paulum commoratum esse, et fructum centesimum retulisse. Sciunt, raro illum ulibi diu mansisse, neque pari cum operæ prætio ubique la-

y 2

bo

borasse. Propterea si parvipendenda Tillemontius putabat peregrinationis Pauli vestigia in Hispania relicta, non ideo tamen magnopere mirari debebat; neque perspicuis Patrum verbis obniti, qui aut ex certioribus vestigiis olim fortasse extantibus illam didicerant, aut nefas certe ducebant, negare sine gravi causa, stetisse Paulum iteratis promissis suis.

65. Sed audiendi Patres sunt. Athanasius ad Dracontium scribens ait: *Studio fuit sancto Viro (Paulo) ad Illyricum illud (Evangelium) predicare; neque segnescere, neque omittere, quin Romam iret, et in Hispaniam ascenderet.* Cyrillus Hierosolymitanus catech. 17. *In Hispaniam usque promptitudinem predicationis (Paulus) extendit.* Epiphanius Hæres. 27. *Paulus enim in Hispaniam profectus est.* Hieronymus in cap. 2. *Esaiæ Ad Hispaniam (Paulus) alienigenarum portatus est navibus.* Et in cap. 5. *Amos: Effusus est super faciem universa Ecclesia, ut predicaret Evangelium de Hierosolymis usque ad Illyricum, et edificaret non super alienum fundamentum, ubi jam fuerat predicatum, sed usque ad Hispanias tenderet, et a mari Rubro, imo ab Oceano usque ad Oceanum tenderet.... Ut ante eum terra deficeret, quam studium predicandi.* Chrysostomus homil. 76. in Matth. *Videas eum (Paulum) ab Hierosolymis usque Hispanias currentem; nam cum Roma biennium exegisset in vinculis, tandem dimissus est, deinde in Hispaniam profectus.* Idem repetit in serm. de Pentecoste, et homil. 7. de Laudibus Pauli. Ter quoque Theodoretus id ipsum asserit in exposit. sec. epist. ad Timoth. in Psalm. 116. et in cap. 1. epist. ad Philipp. Gregorius M. Hb. 31. in Job: *Ecce ipse, quem ad testimonium saepe deduximus, Paulus, cum nunc Judæam, nunc Corinthum, nunc Ephesum, nunc Romam, nunc Hispaniam peteret.... quid se aliud quam esse Aquilam, demonstrabat?* Mitto auctorem libri de vita atque obitu Sanctorum tributi S. Isidoro, Theophilactum, Ecumenium, Græca, Latinaque Martyrologia, atque Romanum in primis ad diem 22. Martii, nec non S. Anselmum, et recentiores fere omnes.

66. Qui contra sentiunt, respondent, Athanasii, et Cyrilli verba exponi posse de præparatione animi Pauli; ceteros vero Patres videri ita loqui propter adductum testimoni-

u n

um Pauli in epist. ad Roman. Ad hæc Pelagium a S. Hieronymo citatum, dubitare de Hispaniensi itinere Pauli, et Gelasium Papam aperte id negare; imo etiam Innocentium I., qui, præter Petrum, hujusque Successores, instituisse aliquem Ecclesias in Occidente, negat. Denique non constare, Clementem in allegato supra testimonio de Hispania, magis quam de Britannia, vel quavis alia Occidentis regione loqui; videtur enim accipere Scripturarum more *finis Occidentis* pro simplici Occidente, quandoquidem occisum fuisse Paulum in finibus Occidentis indicat. Si Tillemontius, cujus istæ sunt exceptiones in not. 73. ad vitam S. Pauli, intulisset ex eis, non esse iter Pauli in Hispaniam tam certum, quam quod certissimum, reprehendus non erat; sed quod incertum, hic appellat, tom. 4. not. 1. in S. Dionysium dicit, *valde incertum, imo perquam parum probabile.*

67. At vereor, ne hæc censura censoris opinionem magis petat: quippe Athanasii, et Cyrilli verba, ut ut de sola præparatione animi intelligi possent, majus tamen aliquid sonant. Divinat vero Tillemontius, cum ceteros Patres non alia inductos ratione asseruisse Pauli iter in Hispaniam dicit, quam testimonio Epistolæ ad Romanos. Divinat quoque in exponendis verbis Clementis Papæ. Dubitat quidem Pelagius de Hispaniensi prædicatione Pauli, sed istiusmodi testes non curant Hispani. Gelasius autem Papa id solum vult, non fuisse mentitum Paulum dicentem, iturum se in Hispaniam, nec tamen, disponente aliter Deo, proficiscentem. Re enim vera non adiit, quando, et quomodo, Romanis scribens, putabat; esto, sublato postea impedimento, et profectionis causa permanente, adiverit, de quo Gelasius nihil curabat. Animadverterat hoc S. Thomas, quando ad exponendam Epistolam ad Galatas devenit, nam Pauli iter in Hispaniam, quod propter Gelasii auctoritatem in expositione epistolæ ad Rom. negarat, ingenue postea fatetur, *Quid vero de Innocentio I. dicendum?* Hæc duo, neque Tillemontium ipsum credere, existimasse illum, solum ex Apostolis Petrum in Occidente predicasse; neque si, reclamante tota antiquitate, imo etiam Scriptura Sacra, ita existimasset, fidem Innocentio Papæ habiturum. Quare, velit nolit, responsum probare debet



debet Baronii ad annum 61. dicentis, noluisse Innocentium separare Paulum a Petro, quorum conjunctis laboribus Romana, in qua sedebat, cathedra fabricata fuerat; vel certe excogitare aliud, quod cum profectioe Pauli in Hispaniam apte cohæreat. Viderint jam Lectores, Tillemontiane, an Patrum communis sententia *perquam parum probabilis sit.*

68. Qui Paulum Apostolum Hispaniensis Apostolatus gloria fraudant, digni quodammodo venia essent, si Jacobi Majoris prærogativam hanc esse vellent; verum ut ille Jovis Olympii spoliator in eo cavillatus est: æstate grave esse aureum amiculum, hyeme frigidum: non absimili modo isti in traditione, Patrumque testimoniis cavillari videntur, nam Hispaniense iter Pauli, a Patribus tutum, propter defectum traditionis negant; Jacobi alterum, vetustissima Hispanæ Ecclesiæ traditione fultum, ob Patrum de eo silentium commenticium appellant. Quasi vero concursus Patrum assertio, vel traditio annos minimum mille vigens, adminiculis aliis opus haberent. Tametsi, ut Hispaniense iter Pauli non fuisse usquequaque apud Hispanos oblitteratum scimus, sic Jacobi in Hispaniam adventum non omni prorsus testimonio Patrum destitui, certum est. Neque de paululum recentioribus, aut antiquis quidem, sed quorum incerti libri feruntur, loquor, sed de Hieronymo, et de ipsius Magistro Didymo Alexandrino. Ille enim in Cap. 34. Isaïæ sic ait: „Ad diversas provincias perrexisse (*Apostolos*) quia Dominus mandaverat eis: *Ite, et docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et Spiritus illius congregaverit eos, dederitque ei sortes, atque diviserit: ut alius ad Indos, alius ad Hispanias, alius ad Illyricum, alius ad Græciam pergeret: et unusquisque in Evangelii sui, atque doctrinæ provinciam requiesceret.* Hic quidem solum habemus, unum ex undecim Apostolis, quibus Christus dixerat: *Ite, docete omnes etc.* perrexisse in Hispanias: quisnam vero is fuerit, pressius idem Hieronymus indicare videtur cap. 42. ita scribens: „Qui sint autem isti, qui canere debeant canticum novum, sequentia verba testantur: *Qui descenditis, inquit, in mare, et navigatis illud, sive plenitudo maris; Apostolos enim videns Jesus in litore juxta mare Genesareth reficien-*

„cientes retia sua, vocavit, et misit in magnum mare, ut de piscatoribus piscium faceret hominum piscatores. Qui de Hierusalem usque ad Illyricum, et Hispanias Evangelium prædicarunt, capientes in brevi tempore ipsam quoque Romanam urbis potentiam. Videtur itaque indicare voluisse Hieronymus Apostolum illum, qui ad Hispanias perrexit, alterum ex iis fuisse, qui, dum reficiebant retia sua, a Christo vocati sunt. Fuere vero hi, ut ex cap. 4. v. 21. Matthæi discimus, Jacobus Zebedæi, et Joannes frater ejus. Cum ergo prædicasse Joannem Hispanis, nemo dicat, restat solus Jacobus, cui ex Hieronymi mente Hispaniensis Apostolatus tribuatur. Quamquam dissimulare nolo, videri mihi Hieronymum liberius loqui voluisse, et tum verba Matth. cap. 4. v. 19. *Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum, solis Petro, et Andrea a Salvatore dicta, tum altera v. 21. Vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus . . . reficientes retia sua, et vocavit eos, satis apte ad Apostolos omnes accommodasse. Quippe non agit eo loci de uno, vel altero Apostolo, sed generatim de omnibus. Hoc tamen non impedit, quominus Jacobi in Hispaniam adventum præ oculis habere potuerit, ut præ oculis certe habuit Romanam Petri, et Joannis commorationem. Nam cum semel iterumque asserat, Apostolum, qui ad Hispanias venit, ex iis fuisse, qui cum Christo versati sunt; et novisse id certo, et de Hispaniensi Pauli prædicatione, quam alibi docet, non hic agere, dicendus est. Atqui Apostolorum undecim nemini verisimilius, quam Jacobo Majori, Hispaniensis prædicatione tribui potest: hunc igitur indicare voluisse Hieronymus credendus est.*

69. Ad Didymum Alexandrinum, cujus auditor Hieronymus fuit, jam venio. Scripsisse eum tres libros *de Trinitate* ex Socrate lib. 4. Hist. cap. 20. edit. Christoph. eruditi quidem noverant; sed deperditos dolebant, quoad clarissimus Mingarelius ex Passionevano codice illos Bononiæ edidit anno 1769., eodem scilicet, quo Bononiam ipse adveni, unde et licuit mihi sæpius coram suspicere doctissimum Editorem, et de conciliata sibi eruditorum omnium, sed Hispanorum in primis, gratia certum reddere. Ergo Didymus lib.

lib. 2. de Trinitate cap. 4. sic ait de Spiritu Sancto ubique adjuvante Apostolos: οὕτως· ὅτι ἄλλω μὲν τῶν ἀποστόλων διαγόνοι ἐν Ἰνδία· ἑτέρω δ' ἐν Σπανία· ἄλλω δ' ἐν ἄλλω τόπῳ ἕως τῆς ἑσχατίας τῆς γῆς παρ' αὐτῆ νενεμημένω· τῆς ἑαυτῆ ἀπλανῆς καὶ ἀκριβδηλῆ μετεδίδε σοφίας. *Hac ratione videlicet, quod alteri quidem Apostolorum in India degenti, alteri vero in Hispania, alteri autem ab ipso in alia regione usque ad extremitatem terra distributo, suam infallibilem, et incontaminatam impertiebatur sapientiam.* Placet Cl. Editoris in hunc locum notam, ut ut longiusculam, integram describere, quæ ita se habet. „ In Hispania, Græce ἐν Σπανία, Biblico autem nomine, et sui seculi scriptoribus usitato Hispaniam vocat: ea enim a profanis scriptoribus Ἰβηρία, ab Irenæo αὖ Ἰβηρία, ab auctore secundi Machabæorum, aliisque Ἰσπανία, sed a Paulo bis, ab Athanasio in epist. ad Jovianum Imp. tom. 2. pag. 783. a Constantino Imper. in Epist. encyclica ad omnes Ecclesias, a Gelasio Cyziceno, atque ab aliis; in Græcis vero Conciliorum circa Didymi tempora habitorum Actis passim Σπανία dicitur: qua ratione apud Gregorium quoque Magnum legimus in epist. 115. lib. IX. vel epist. 45. lib. 13. *Eunti in Spaniam.* Et apud Beatum Liebanensem presbyterum in Commentariis in Apocalypsim: *Jacobus Spania:* et in Martyrologio Blumano, quod Benedictus Clemens Arostegui in Dissertatione eruditionis plena, de Jacobi Majoris prædicatione in Hispania citat ex Florentino: *Hic Spaniam, et occidentalia loca prædicatur.* De illo autem Apostolo, quem Didymus hic indicat, dixi in mea ad Archintum Præsulem Epistola: Nulli scilicet alteri Didymi verba melius conveniunt, quam ei, qui ex duodecim Apostolis unus extiterit; qui inter eos præsens fuerit, quos Christus Dominus alloquebatur; cum ait: *Eritis mihi testes usque ad extremam terra,* ut colligo ex hujus Didymi loci collatione cum num. 6. libri de Spiritu Sancto; quæ ex eorum numero sit, quos a Spiritu Sancto ad concionandum νενεμημένως id est, distributos vocat Didymus; cui scilicet Hispania in ea distributione per Apostolos facta obtigerit; qui demum in Hispania biennio saltem aut triennio διαγων, id est, commoratus esse, ibique Evangelium prædi-

„ cas-

„ casse dici queat. At hujusmodi magnus ille universalium gentium Apostolus Paulus non exitit, nec enim ulla ex quatuor hisce notis ei convenit. Quinimo Didymus noster Ecclesias a Paulo fundatas commemorans in commentariis in Psalmos ad v. 2. Psal. CXI. intra eosdem fines illas conclude re videtur, ac eos, quos Apostolus ipse, cum ad Romanos scripsit, suæ prædicationi cap. XV. v. 19. assignaverat. Sic enim ibi loquitur noster Bibliorum interpres, catechista ac Theologus; ὅιον Παῦλος ὁ Ἀποστόλος ἀπὸ Ἱερουσαλήμ μέχρι τοῦ Ἰλλυριῶν συστησάμενος τῷ θεῷ μυριάδας ἐκκλησιῶν· ὁμοίως δὲ καὶ τῶν λοιπῶν μαθητῶν ἕκαστος. Id est, *Veluti Paulus Apostolus, qui ab Hierusalem usque ad Illyriam cum numerosissimas Deo constituit Ecclesias, ac similiter unusquisque ex aliis Discipulis.* Catholicis itaque Regnis, inclytæque Hispanorum nationi gratulor, quod novum ipsis Theologus noster monumentum suppeditet, quo eorum sententia, ac traditio magis confirmetur.

70. Hactenus cl. Mingarellus, qui recte dicit, confirmari ex Didymi verbis prædicationem Jacobi Majoris in Hispania; nam licet indefinita ea sint, et convenire possint cuivis e Collegio Apostolico, v. g. Petro, quem in Hispania prædicasse, Metaphrastes ait, nihilominus intelligenda potius esse de Jacobo Majori, vel ipsi, opinor, adversarii nostri concedent, modo agere ea dicantur de uno aliquo Apostolo, qui e duodenario numero fuerit. Atqui Mingarelli rationes, et quæ a nobis, de Hieronymo agentibus, adductæ sunt, satis aperte id probant.

71. Hæc pro dedocendis illis dixi, qui Jacobi Hispanensem Apostolatam nullo antiquiorum Patrum testimonio fulciri credunt. Ceterum quæstionem duobus abhinc seculis sic pertractatam, ut posteriorum industriæ nihil relictum videri queat, retractare nolo; præsertim cum satis mihi in præsentia sit, annuntiatum fuisse ab ipso suo exortu Evangelium in Hispania, sive per Jacobum id factum fuerit, sive per Paulum, aut per Apostolum alium. Licet itaque unicuique per me in suo sensu abundare, modo ea omnes agamus fide, qua egisse video Bollandianum Socium P. Gulielmum Cupe- rum, qui nihil, quod in alterutram partem facere posset, dis-

simulans in Commentario prævio ad vitam S. Jacobi Apostoli die 25. Julii, his verbis concludit: „Atque hæc hæc hactenus disputata sunt in gratiam veritatis, quam in toto hoc Commentario præ oculis habui, paratus corrigere, sicubi ab ea aberraverim: sancte enim profiteor, ita me ad hanc disputationem illustrandam accessisse, ut putaverim, non usque adeo solida esse fundamenta ad prædicationem S. Jacobi in Hispania asserendam. Sed postea variis monumentis diligenter excusis, omnibusque utriusque partis fundamentis mature expensis, comperi, immemorabilem Hispanorum traditionem, antiquis testimoniis firmatam, omnibus adversariorum fundamentis longe prævalere. „ Hæc cl. Cupeus ante Didymi libri *de Trinitate* evulgationem.

72. Ut autem exterorum bonam fidem, et crism non tum solum laudare videamur, cum placitis nostris ipsi favent, examinandum hic esset monumentum quoddam ante paucos annos a celebri scriptore extero in lucem emissum, quo nullum, si legitimum quidem sit, pro Hispaniensi prædicatione Jacobi illustrius habemus. Eo autem necessarium magis hujusmodi examen videtur, quod, tametsi eruditus alter æque celebris mox illud criticæ suæ subjiciens, stigmatem dignum censuerit, Hispanus tamen nullus, quem ego sciam, velitationis hujus meminert, esto plures ab eo tempore de Jacobo suo egerint. Laudo bonam fidem, si adulterinum monumentum credentes, de ipso tacuerunt; at vero iteratum examen, et palam dicta sententia opportuna fuissent, ne Hispani, qui, si exteri plures audiantur, undevis causas suas fulcire gaudent, aut prævaricari jam nunc crederentur, aut ignorasse magis, quam respuisse, monumentum istud traducerentur. Verum prolixa disputatione res indiget; utque Jacobi causa sine ea consistit, sic instituto meo neque prædicatione ipsa Jacobi in Hispania necessaria videri debet. Quare cum ad finem jam festinet oratio, prolixius parergon in appendicem remitto.

73. Post Jacobum, Apostolum veluti Patres suos venerantur Hispani septem præsertim Apostolicos Viros, de quibus Martyrologium Romanum hæc ait. „ Idibus Maji. In Hispania Sanctorum Torquati, Ctesiphontis, Secundi, In-

date

„ daletii, Cæcili, Hesychii, et Euphrasii, qui Romæ a sanctis Apostolis Episcopi ordinati, et ad prædicandum verbum Dei in Hispanias directi sunt: cumque variis urbibus evangelizassent, et innumeras multitudines Christi fidei subjugassent, in ea provincia diversis locis quieverunt, Torquatus Acci, Ctesiphon Vergii, Secundus Abulæ, Indaletius Urçi, Cæcilius Illiberi, Hesychius Cartæjæ, et Euphrasius Illiturgi. „ Ad hæc verba sic notat Baronius in not. ad Martyr. Rom. „ Agunt de his omnibus hæc item die Beda, Usuardus, Ado, et alii. In Breviario Toletano ad Kalend. Majas de his sacer hymnus conscriptus habetur, aliaque plura, quæ antiquitatem illam purissimam redolent. Horum meminit Gregorius VII. Papa in Epist. ad Alphonsum seu Adelphonsum Regem scripta XIII. Kalend. April. indict. 12. his verbis: Septem Episcopos ad urbem Roma ad instruendum Hispaniæ populos a Petro et Paulo Apostolis directos fuisse, qui destructa idololatria Christianitatem fundavere, et religionem plantavere, ordinem et Officium in divinis cultibus ostendere, et sanguine suo Ecclesias dedicavere &c. De his præterea ceteri Autores, qui res Hispanas sunt prosecuti, quos mittimus enumerare. Horum autem singulorum in propriis ipsorum Ecclesiis certis diebus solemnitas agitur. Cum vero ex his aliquot inveniantur dicti martyres a nonnullis, licet eorum martyrii Acta non habeantur, antiquæ tamen traditioni Ecclesiarum, in quibus ut Patroni coluntur, acquiescendum putamus.

74. Tillemontius tom. 1. *Monum. Eccl. in vit. S. Petri* art. XXXX. sic ait: „ Ut Ecclesia Gallicana credit se accepisse a Successoribus Petri septem simul e præcipuis suis Episcopis, ita Ecclesia Hispana vult (*pretend*), eandem gratiam sese accepisse, et quidem ab ipsismet Apostolis Petro, et Paulo. „ Tum nostrorum septem Episcoporum missionem parum sibi probari, satis aperte indicat. Nescio equidem, cuienam Ecclesiæ comparatio placere possit; quippe antiquitatis possessionem Gallicanæ detrahit, et Hispaniæ indecoram æmulationem tribuit. Jam alibi dixi, Gallicanam Ecclesiam ad usque Sirmondi, Launoyi, Tillemontii, similiumque aliorum ætatem credidisse, Apostolicos septem Episcopos missos fuisse in

se in Gallias a Petro, vel certe a Clemente Papa; neque valde sollicitam fuisse de Gregorio suo Turonensi, atque alijs nonnullis, illorum adventum circa medium seculi tertii statuentibus. Item dixi, videri jam nunc eandem mutasse antiquam sententiam, quandoquidem in novis Breviarijs Gregorii Turonensis opinionem fere sequitur. Verumtamen mutatio isthæ post Tillemontii, opinor, obitum facta est. Et sunt adhuc eruditi plures Galli, quibus antiqua sententia magis placet; audivique a Reverendo Decano Capituli S. Mariæ Majoris Arelatensis urbis, Ill. D. Archiepiscopum Dullau, qui anno 1792. Parisiis Martyr occubuit, ut pie creditur, interdixisse erudito D. Boneman, cui Ecclesiastici Kalendarii adornandi curam commiserat, ne in antiquissima de S. Trophimo traditione quidquam mutaret. Quapropter nimis fidenter Tillemontius dixit, Gallicanam Ecclesiam acceptam referre *Successoribus Petri*, non vero ipsi Petro, missionem Episcoporum suorum septem.

75. Est etiam vana ipsius suspicio de Hispana Ecclesia, quasi æquare se, imo etiam præferre Gallicanæ velit. Ut aliqua veri specie id dici posset, oporteret probare, antiquiorem, firmioremque hujus, quam illius, traditionem esse. Videamus ergo quosnam traditionum suarum testes ipsæ allegant. Gallicana Ecclesia Gregorium Turonensem, sub finem sexti seculi scribentem, producit; Hispana Officium Gothicum, cujus singulæ partes quando compositæ fuerint, definiri quidem non potest, antiquissimum tamen esse, nemo negat. Credit Baronius ad annum 633. illius auctorem S. Isidorum haberi posse; sed Cardinalis Bona, Pinius, Lesæus, Zacharias, et recentiores passim originem multo antiquiorem ipsi tribuunt. Baronii autem judicium de illa Officii Gothici parte, quæ de septem Apostolicis Episcopis agit, *redolere ipsam, dicentis, purissimam antiquitatem*, omnes, opinor, probabunt, qui eam attente legant. Si igitur his addas, laudatorum Sanctorum hymnum confirmare Apostolicam horum missionem *ex antiqua relatione*, non poteris non simul fateri, Hispanæ Ecclesiæ traditionem ante Gregorium Turonensem viguisse. Sæpe itaque potius Ecclesiæ æmulationem tribuere Tillemontius debebat, si missorum Episcoporum paritatem æmula-

æmulationis indicium esse putabat. Dices, Gregorium Turonensem allegare passionem S. Saturnini pro missione septem Episcoporum in Gallias. Verum perplexe Gregorius loquitur, et ipsemet Tillemontius putat, respexisse potius ad traditionem Gallicanæ Ecclesiæ. Ergo primus hujusmodi traditionis testis Gregorius habendus est.

76. Sed absit, ut zelotypia sanctissimas Ecclesias egisse credamus; neque mirum videri potest, si ad æque patentes vineas æqualem operariorum numerum Apostoli miserunt. Hujusmodi missionum memoriam utraque Ecclesia servavit, et Hispana quidem sine ulla alteratione, Gallicana vero cum aliqua ambiguitate, et alternatione; nam Gregorii Turonensis ætate duæ opiniones in Gallia erant, ut alibi dixi, de tempore, quo Apostolici septem Episcopi venerant; et licet vera opinio mox prævaluerit, et immota mille annos deinde manserit, a sesquiseculo tamen altera eruditissimis Gallis magis placet. Unde ulterius infero, suspicari non posse de Hispana Ecclesia, Episcoporum suorum missionem Apostolis attribuentem, ambitione superandi Gallicanam egisse. Nam si Officium Gothicum antiquius est, aut æquale Gregorio Turonensi, qui primus mentionem infert missionis præfatorum septem Episcoporum Gallicanorum, non poterat Officii illius auctor prælationis ambitione duci, quando silentibus adhuc Gallis, ne comparationi quidem locus erat. Si autem posterius est, vigebat tunc certe in Galliis opinio de missione suorum Episcoporum a Petro, vel saltem a Clemente I. Pontifice. Si ergo invidiæ stimulis pungebantur Hispani, ad æqualitatem, non vero ad prælationem inhiare poterant.

77. Sed piget in hujusmodi reculis immorari; et sicui zelotypia tribuenda est, zelotypus mihi Tillemontius videtur, cum lectorem monet *tom. 4 in vita S. Dionysii art. prim.* ut non credat, posse Africam, vel Hispaniam indubitatos Martyres ostendere ante Gallias. Vellet, puto, quemadmodum probat ipse ibi Sulpicium Severum dicentem: *Sub Aurelio Antonini filio persecutio quinta agitata. Ac tum primum intra Gallias martyria visa, serius trans Alpes. Dea religione suscepta: sic Africani, et Hispani persuaderent sibi, serius adhuc quam apud Gallos, apud ipsos religionem fuisse susceptam;* quan-

quandoquidem neque primi ante Scillitanos, anno 200. martyrium passos, neque secundi ante S. Fructuosum, anno 259. pro Christo occisum, indubitatos Martyres habent. Quia vero ad Hispaniam quod attinet, incredibile videri id poterat propter Jacobi Majoris, et Pauli prædicationem in ea, necnon propter septem Episcopos in ipsam ab Apostolis missos, his omnibus tempestive occurrit *tom. 1. in vitis SS. Apostolorum Petri, Pauli, et Jacobi*, ubi nihil omisit, quo antiquissima divulgationi Evangelii in Hispania auctoritatem detraheret. Ita severus criticus antiquitatis prærogativam Gallicanæ suæ Ecclesiæ sartam tectamque servavit, et male conceptam opinionem de recentiori ejus origine securius vulgavit. Nos vero et Hispaniam, et Gallicanam Ecclesiam ab Apostolis, vel certe ab Apostolorum Discipulis fundatam credimus, neque paucorum annorum intervallum tanti facimus, ut cœtaneas ipsas dicere dubitemus.

78. Si his, quæ de Paulo, Jacobo Majori, et Apostolorum septem Discipulis dixi, monumentum addas Neroni erectum *ob deletam in Hispania novam superstitionem*, id est, Christianam Religionem, necnon promissa divina de prompta in universo orbe fidei propagatione, atque gravissima testimonia Clementis I. Papæ, Hermæ, et Ignatii, de quibus omnibus egi lib. 2. cap. I. et seqq. haud ægre dabis, opinor, jam inde a primo seculo Christianam Religionem in Hispania susceptam fuisse. Et quidem cum exploratum ex Irenæo, et Tertulliano habeas, floruisse in Hispania sub finem secundi seculi Religionem Christianam, neque floruisse quomodo cumque, sed in omnibus ejus terminis, et ab antiquo eo tempore, quo nondum hæreses erant, ut lib. 2. cap. 2. et 3. necnon lib. 3. cap. 3. §. 2. vidimus, cur illustri rei clandestinam, atque extemporalem originem assignabis, ommissa antiquiori altera, cui favere argumenta multa, negare nequeas? Neque vero exaggerate locutos Irenæum, et Tertullianum putes. Nam Martyr Justinus, ipsis antiquior, grandius aliquid habet; grandiora quoque sunt, quæ ex illius temporis scriptoribus multis audivimus: licet autem Hispanam gentem non omnes nominatim appellent, ita tamen loquuntur, ut ipsorum consistere dicta nequeant, si non plurimi inter Hispanos Christiani fuissent.

79. An vero Martyres etiam fuerint, Tillemontius paulo ante citatus dubitare videtur. Sed inscriptio Neroni sacra, cujus supra memini, satis ipsos indicat. Adderem fortasse Martyres fuisse laudatos septem Discipulos Apostolorum, nisi cum adversariis agerem, qui, quæ ipsi ignorant, scivisse Gregorium VII. et Majores nostros, non credunt. Fuerunt quoque Martyres in Hispania sub Severo Imp. si Tertulliani ad Scapulam cap. 3. verba: *Nunc a Præside Legionis, et a Præside Mauritania vexatur hoc nomen ( Christianum ), sed gladio tenus, sicut a primordio mandatum est, animadverti in hujusmodi*, de Præsidi urbis nostræ Legionis intelligenda sint, ut quidam optime admonent, teste Philippo Priorio in comment. ad hunc locum. Si ex Martyrologiis, Ecclesiarumque traditionibus definiendum id esset, plures ante S. Fructuosum, anno 259. pro religione occisum, Martyres laudarem: sed hujusmodi argumenta non valde curant recentiores critici, neque temere pro re quavis illis abuti ipsemet ausim; verumtamen in nostra causa expeditior res est, tum propter vigentem, quod jam vidimus, ab Apostolorum ætate in Hispania Christianam fidem, quæ alebatur, ut Patres loquuntur, Martyrum sanguine, tum propter testimonium Eusebii, atque antiquorum Scriptorum, qui in singulis fere Romani Imperii Urbibus Martyres plures sub Trajano, Antoninis, Aurelio, Severo, et principibus aliis fuisse ajunt, ut videre licet in luculenta Ruinartii præfatione ad *Acta sincera Martyrum*. Itaque non dubito, quin, ut Christiani plurimi ab Apostolorum ævo in Hispania fuerunt, sic quoque Martyres fuerint.

80. Si vera narrat Henricus Doduelus, scribens in Dissertatione de *Martyrum paucitate*, non fuisse expertam Hispaniam, (utpote Constantio Chloro, et Constantino tributam,) Diocletiani, et Maximiani persecutionem, possemus tunc Hispanis Martyribus, quorum si minus Acta, nomina saltem explorata tenemus, majorem antiquitatem tribuere. Sed absurdus ille est, qui et falsum supponit, et falsam inde consequentiam trahit. Nam Maximiano Herculio attributa erat Hispania, ut ex Lactantio lib. de *mortibus persecutorum* cap. 8. et 16. intelligimus; confitentque Donatistæ ipsi apud Optatum Milevitani, ex sola Gallia, utpote a persecutione immuni, da-

ri sibi iudices petentes; et apud Augustinum lib. I. *contra epist. Parmen.* Cordubensem Episcopum sanctum Hosium, qui Jesu-Christi stigmata circumferebat in suo corpore, prævaricationis, (utique in persecutione Diocletiani) impudentissime accusantes. Errat etiam Doduelus hæreticus in trahenda consequentia; plures enim Martyres fuere in ditone Constantii, teste laudato Ruinartio in *præf. generali in Acta Martyr.* num. 61. et Eusebio lib. de *Martyrib. Palastina.* Tametsi negare nolim, tam barbare, atque inhumane sese gessisse in ditonibus suis tres alios Imperatores, ut non inepte Lactantius a persecutione Gallias exemerit cap. 16. de *mort. persec.* Experta itaque Hispania est immanissimam Diocletiani persecutionem; neque Martyres ipsius omnes ad persecutiones priores referre possumus. Sed inepti rursus illi essent, qui, SS. Fructuoso, et Sociis exceptis, plerosque omnes ad novissimam hanc persecutionem traherent. Propterea quando chronologicum indicem texere nequeo, topographicum saltem atroxam non quidem omnium, sed illorum dumtaxat, quos Romanum Martyrologium ex Officio Gothico, Prudentio, atque aliis fide dignis monumentis commemorat. Et quoniam ad institutum meum æque faciunt Confessores, ac Martyres, qui tribus primis seculis in Hispania floruerunt, cujuscumque ordinis Sanctos enumerabo, qui intra illud tempus vixisse dicuntur; esto in his ipsis controversa esse aliqua non ignorem; sed non omnia ubivis ad vivum resecauda sunt.

*Topographia Sanctorum Hispanorum qui tribus primis  
Ecclesia seculis vixerunt.*

81. Abulæ 2. Maji S. Secundus Episc., de quo iterum verbo *In Hispania.* Item 27. Octob. SS. Vincentius, Sabina, et Christera MM. sub Daciano Præsidente in persecutione Diocletiani, et Maximiani.  
Acci. S. Torquatus Ep. de quo rursus verbo *In Hispania.*  
Astigi. S. Crispinus Ep. M. 19. Novemb.  
Asturica. S. Marthæ V. et M. sub. Decio Imp. 23. Febr.  
Barcinone. 12. Feb. S. Eulaliæ V. M. Item 25. Julii S.  
Cu-

- Cucuphas M. Item. 6. Nov. S. Severus Ep. et M. Omnes sub Diocletiano.  
Bracaræ 12. April. S. Victor Cathecumenus M. Item 26. ejusd. mensis S. Petrus Primus Bracarensis Ep. et M.  
Apud Cæam fluvium Gallæciæ 27. Nov. SS. Facundus, et Primitivus MM.  
Cæsaraugustæ 28. Januarii S. Valerius Conf. in persecutione Diocletiani. Item 16. April. Sancti decem et octo MM. Optatus, Lupercus, Successus, Martialis, Urbanus, Julia, Quintillianus, Publius, Fronto, Felix, Cæcilianus, Eventius, Primitivus, Apodemius, et Saturnini quatuor. Ibid. eadem die S. Encratis V. et M. item SS. Cajus, et Clementius MM. Item 3. Nov. Innumerabiles MM. sub Daciano.  
Calagurri 3. Mart. SS. Hemeterius et Chelidonium MM.  
Cartejæ S. Hesychius Ep. de quo infra in *Hispania.*  
Cautoliberi 19. April. S. Vincentius M.  
Compluti 6. Aug. SS. Justus, et Pastor MM. sub Daciano.  
Cordubæ 21. Maji S. Secundinus M. 27. Junii SS. Zoilus, et alii decem et novem MM. 13. Octob. SS. Faustus, Januarius et Martialis MM. 17. Novemb. SS. Acisclus, et Victoria MM. in persecutione Diocletiani. Cordubensibus Martyribus accenseri posset Magnus Hosius Ep. Cordubæ, qui in commemorata modo persecutione Confessoris titulum reportavit, et meritis magis, quam annis, plenus, centenarius Sanctissimus Senex, iterumque sub Arianorum fautore Constantio Augusto Confessor, in exilio obiit: agit ejus festum Ecclesia Græca Catholica 27. Aug.  
Eboræ 15. Maji S. Mancius M.  
Emeritæ 24. Julii S. Victor cum duobus fratribus Stercatio, et Antinogene MM. 23. Nov. S. Lucretia V. et M. 10. Decemb. S. Eulalia V. et M. ead. die S. Julia V. et M.  
Prope Gades ad fundum Ursonianum 23. Oct. SS. Servantius, et Germanus MM. sub Dioclet.  
Gallæciæ 18. Jul. S. Marina V. et M.  
Gerundæ 1. Aug. S. Felix M. sub Daciano. Item 18. Mart. S. Narcissus Augustanus Episcopus, qui cum Felici Diacono Martyr Gerundæ occubuit in persecutione Aureliani.

Hispani 2. Maji S. Felix Diacon. et M. 19. Julii SS. Justa, et Ruffina VV. et MM. Item 8. Oct. S. Petrus M. 10. Decemb. SS. Carpophorus, et Abundius MM., quos tamen ad Spoletum Italiæ urbem alii trahunt.

In Hispania 15. Maji SS. Torquatus, Ctesiphon, Secundus, Indaletius, Cæcilius, Hesychnus, et Euphrasius ab Apostolis Episcopi ordinati, et in Hispaniam directi post innumeras multitudines Christi fidei subjugatas diversis locis quieverunt: Torquatus Acci, Ctesiphon Vergii, Secundus Abulæ, Indaletius Urçi, Cæcilius Illiberi, Hesychnus Carthæ, et Euphrasius Illiturgi. Item 22. ejusd. S. Quiteria V. et M. 23. SS. Epitatus, et Basileus MM. 10. Junii SS. Crispulus, et Restitutus. 23. Sept. SS. Mulieres Xantippa, et Polyxena Apostolorum Discipulæ. Item 21. Nov. SS. Honorius, Eutychnus, et Stephanus MM. 11. Decemb. S. Eutychnus M. qui idem fortasse cum præcedenti est.

Ilerdæ 27. Aug. S. Licerius Ep. quem vixisse sub Diocletiano ferunt.

Illiberi S. Cæcilius, de quo supra *In Hispania*.

Illiturgi S. Euphrasius vide *In Hispania*.

Italici 25. Aug. S. Geruntius Ep., qui tempore Apostolorum in Hispaniæ provincia prædicans, post multos labores in carcere quievit.

Legione 30. Oct. SS. Claudius, Lupercus, et Victorius MM.

In Lusitania 30. Julii S. Liberata, seu Wilgefertis V. et M.

Item 20. Octob. S. Irene V. et M.

Malacæ 18. Junii S. Cyriacus M., et Paula V. M.

Oscæ 1. Maji SS. Orentius et Patientia MM. S. Laurentii, ut fertur, parentes.

Tarracone 21. Januarii SS. Fructuosus Ep. Augurius, et Eulogius Diaconi MM. an. 259. ut ex eorum Actis synchronis constat. Item 25. Aug. S. Maginus M.

Toleti 9. Decemb. S. Leocadia V. et M. sub Daciano.

Valentiæ 22. Januarii S. Vincentius Levita M. sub eod. Daciano.

Vergii S. Ctesiphon, de quo v. *In Hispania*.

Ulyssipone 1. Oct. SS. Verissimus, Maxima, et Julia sorores ejus MM. in persecutione Dioclet.

Urçi.

Urçi S. Indaletius. v. *In Hispania*.

82. Ex qualicumque hoc Indice (qui uberius multo fuisset, si Ecclesiarum singularum sacros Fastos videre licuisset) satis apparet, verissime Tertullianum scribere, *adorari Christum* suo tempore in *omnibus Hispaniarum terminis*. Utinam vero primigenia nostrorum Martyrum Acta, imo etiam pleborumque nomina non interiissent! Sed bellum Gentiles indixerant Christianorum libris, ut Arnobius in fine lib. 4. *adversus Gentiles*, antiquus auctor *passionis S. Vincentii*, et Prudentius in hymno *de SS. Martyrib. Hemeterio, et Chelidonio* nos docent. Adde, in extrema præsertim Diocletiani persecutione adeo tumultuose, atque inhumane actum fuisse, ut sine ulla juris formula, et quasi jure belli turmatim Christiani interficerentur. Mirum itaque esse non debet, si aut antiquiora Martyrum Acta fere amiserimus; aut si in tam veteri, tamque copiosa Hispana christianitate majorem Martyrum numerum non exhibeamus. Quinpotius mirabile videri potest, in provincia mille circiter annos barbaris dominata, tot adhuc prioris Christiani splendoris reliquias superesse.

## S. I I.

83. **Q**uæ de Martyribus Hispanis modo dixi, ad illud pertinent tempus, quod ab Apostolis ad Constantinum fluxit. Quia vero diuturnum valde id est, non immerito adversarii a nobis exigere videbuntur, ut, qui Ecclesiæ nostræ originem ab Apostolis ducimus, ejusdem per minora intervalla vigentis, et dilatantis sese, argumenta certa promamus. Quæ enim paulo ante de indicto a Gentilibus bello Christianorum libris, deque barbarorum incursionibus diximus, communia fere sunt Apostolicis Ecclesiis ceteris, quæ retinent tamen adhuc monumenta aliqua pro calamitoso illo toto tempore. Ne itaque Hispana Ecclesia recentior, aut latens sub modio ad usque seculi tertii finem credatur, opus est monumentis distinctioribus, quæ floruisse ipsam sine interruptione totis secundo ac tertio seculis certos nos reddant. Non abnuo conditionem, tametsi iniquiorem fortasse ex di-

ctis habendam; et quoniam prædicasse in Hispania Apostolos, Apostolorumque Discipulos satis probatum fuit, de progressu Religionis Christianæ in ea dicendum jam est.

84. Plurimarum Hispaniæ urbium traditio est, sub primi seculi finem, vel initium secundi complures Apostolicos Viros in eis prædicasse. Ego vero licet vix dubitem, quin verum id sit, eruditione tamen, librorumque supellectili tanta non polleo, quanta fortasse opus est, ut criticos in meam pertraham sententiam. Missis itaque Apostolicis Episcopis ceteris, de S. Saturnino confidenter affirmo, tum per se, tum per Discipulum suum S. Honestum evangelizasse Pompelone, et *per loca terrarum spatiosa ubique* in Hispania, ut Actor. ejus num. X. legitur. Si autem scire aves operæ hujus pretium, atque prædicationis fructum, tale tantumque fuit, ut S. Firminus Honesti alumnus, Pompelonensisque primus Episcopus, *intelligens, regionis illius populos Christiana fidei jugo colla subdidisse, et structuram alienam super fundamenta, qua (post SS. Saturninum, Honestumque) jecerat, non posse supercrescere, in re fore arbitrans, reliquum vitæ tempus non commodare otio, plebem jam Deo dicatam deseruerit* pro Apostolicorum eorum temporum more, et *primum Aginnum, ubi atrocius Gentilium fervebat impietas*, tum ad alias plures Galliarum urbes *Dei athleta adierit*, ut passionis ejus auctor gravissimus refert. Sed nihil attinet diu in iis immorari, quæ libro primo copiosè tractata sunt. Habemus itaque in Actis synceris SS. Saturnini, et Firmini, si minus ceteras, saltem Vasconum gentem coluisse passim sub initium secundi seculi Christianam professionem. Sub initium, inquam, secundi seculi; nam qui ad finem tertii hæc referunt, tum abunde libro primo confutati sunt, tum ex Tertulliano, sub initium tertii seculi asserente, *omnes Hispaniarum terminos Christum colere*, facile revincuntur. Vasconiam quippe unum Hispaniarum terminum esse, et quidem ab ea parte, qua in alios advenis prædicatoribus iter erat, nemo nescit.

85. Si in luto margaritæ quærendæ essent, Hispani Christiani plurimi invenirentur labente secundo seculo in iis, quæ S. Hieronymus refert Epist. XXIX. *ad Theodoram*, atque alibi sæpe de Marcosianis hæreticis in Hispaniam penetrantibus,

et

et Gnosticorum foedam hæresim ibi disseminantibus. Hujusmodi narrationi idoneo S. Irenæi in lib. *ad-versus Hæreses* testimonio fidem conciliat Hieronymus; quapropter non inepte ex ea inferre possemus, copiosissimum ibi fuisse Christianorum numerum, ubi tam ingens hæreticorum fuit. Sed quominus indubitata fidem habeamus Hieronymo, obstant Irenæi ipsius libri, prout nunc eos habemus, in quibus de Hispaniis Gnosticis ne unum quidem verbum: obstat quoque Sulpicius Severus in historia Priscillianistarum, qui Marcum, de grege Gnosticorum hæreticum, Hispanorumque corruptorem, quarto seculo jam labente ex Ægypto in Hispaniam venisse refert, ut alibi dixi. Sed bene est, quod ex eodem Irenæo Hispaniæ Ecclesiæ antiquitatem probare possumus, quin ullum ejus nævum cogamur admittere. Quippe meminit ipse lib. 1. *ad-versus Hæreses* cap. 3. Ecclesiarum, *quæ in Hiberiis*, seu Hispaniis, *sunt*, earumque traditionem Valentini doctrinæ novitiæ opponit; quo quidem argumentandi modo clare indicat, Hispanas Ecclesias antiquiores multo esse Valentini conventiculis circiter annum 135. exortis. Videsis quæ lib. 2. cap. 2. supra dixi. Habemus ergo in S. Irenæo testimonium de Hispaniis Ecclesiis non modo pro illo anno, quo Libros *ad-versus Hæreses* scripsit, sed etiam pro toto eo seculo. Quia vero cavillari nonnemo posset in S. Irenæi verbis, quasi duas, tresve tantum Hispanas Ecclesias pro sui veritate exigentibus; opportunus testis de earundem multitudine Tertullianus accedit, qui paulo post S. Irenæum *ad-versus Judæos* scribens, ait cap. 7. Jesum Christum coli *in omnibus Hispaniarum terminis*, id est, etiam in illis angulis, quò serius Evangelii lucem penetrasse oportuit: neque enim per solam Hispaniarum circumferentiam, aut saltuatim annuntiasset Christum Apostolici prædicatorum credendi sunt.

86. Vellent, opinor, adversarii nostri, ut plura, diffusioraque florentis in universa Hispania toto secundo seculo religionis Christianæ indicia afferremus. Tantundem et ego vellem; verum hæc ipsa raritas probat, quod paulo ante dicebam, Gentilium furore, barbarorum incursionibus, diuturnique temporis edacitate omnia pene monumenta antiqua Ecclesiæ nostræ deleta fuisse; quandoquidem Irenæo, ac Ter-

lia-



tulliano, antiquitatem, multitudinemque Hispaniensium Ecclesiarum testantibus, fidem habere cogimur, ideoque, si minus Ecclesias singulas, et præpositos ipsis Episcopos indicare valemus, hæc non tam illius, quam nostri temporis, penuria, infelicitasque dicenda est. Sed quamquam probatione non eget multitudo Episcoporum in spatiosa provincia, cujus omnes termini Christum ab antiquo tempore venerabantur, licet tamen ex scriptore suppari ætate Irenæo, Tertullianoque ingentem Hispanorum Episcoporum numerum ostendere. S. Cyprianus is est, qui eo tempore floruit, quo paucos in Gallia, paucioresque fortasse in Hispania Christianos fuisse, recentiores critici vulgo credunt. Horum præposteram opinionem de Gallicanis Christianis ex laudato Cypriano jam refutavi; hic ex eodem probabo, errare illos æque, aut etiam magis in Hispanis Christianis.

87. Inter Cypriani Epistolas sexagesima octava editionis Baluzii hanc habet inscriptionem: *Ad Clerum, et Plebes in Hispania consistentes de Basilide, et Martiale.* Synodalis Epistola est, quam Cyprianus, et triginta sex alii Episcopi miserunt *Felici presbytero, et plebibus consistentibus ad Legionem, et Asturica; item Lelio Diacono, et plebi Emerita consistentibus fratribus.* Occasionem scribendi in ipso exordio sic exponunt: „Cum in unum convenissemus, legimus litteras vestras, fratres dilectissimi, quas ad nos per Felicem, et Sabinum Coepiscopos nostros pro fidei vestræ integritate, et pro Dei timore fecistis, significantes, Basilidem, et Martialem libellis idololatriæ commaculatos, et nefandorum facinorum conscientia vinctos, Episcopatum gerere, et sacerdotium Dei administrare non oportere; et desideratis rescribi ad hæc vobis, et justam pariter ac necessariam sollicitudinem vestram vel solatio, vel auxilio nostræ sententiæ sublevari. Post hæc multis ex sacra Scriptura petitis argumentis probant Africani Patres, Basilidem, et Martialem jure ac merito exauctoratos fuisse, atque ita prosequuntur. Propter quod diligenter de traditione divina, et apostolica observatione servandum est, et tenendum, quod apud nos quoque, et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui

„cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, et Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. Quod et apud vos factum videmus in Sabini collegæ nostri ordinatione, ut de universæ fraternitatis suffragio, et de Episcoporum, qui in præsentia convenerant, quique de eo ad vos literas facerant, judicio episcopatus ei deferretur, et manus ei in locum Basilidis imponeretur. Nec rescindere ordinationem jure perfectam potest, quod Basilides post crimina detecta, et conscientiam etiam propria confessione nudatam Romam pergens, Stephanum collegam nostrum longe positum, et gestæ rei ac veritatis ignarum fefellit, ut exambiret reponi se injuste in episcopatum, de quo fuerat jure depositus . . . . Sed nec Martiali potest pro fuisse fallacia, quominus ipse quoque delictis gravibus involutus episcopatum tenere non debeat, quando et Apostolus moneat, et dicat: *Episcopum oportet esse sine crimine quasi Dei Dispensatorem.* Quapropter cum, sicut scripsistis, fratres dilectissimi, et ut Felix, et Sabinus collegæ nostri asseverant, utque alius Felix de Cæsaraugusta, fidei cultor ac defensor veritatis, literis suis significat, Basilides, et Martialis nefando idololatriæ libello contrammati sint . . . cumque alia multa sint et gravia delicta, quibus Basilides, et Martialis implicati tenentur, frustra tales episcopatum sibi usurpare conantur, cum manifestum sit, ejusmodi homines nec Ecclesiæ Christi posse præesse, nec Deo sacrificia offerre debere; maxime cum jam pridem nobiscum, et cum omnibus omnino Episcopis in toto mundo constitutis etiam Cornelius collega noster, sacerdos pacificus ac justus, et martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decreverit, ejusmodi homines ad poenitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem cleri, atque Sacerdotali honore prohiberi. Nec vos moveat, fratres dilectissimi, si apud quosdam in novissimis temporibus aut lubrica fides nutat, aut Dei timor apud intelligentes vacillat, aut pacifica concordia non perseverat. Prænuntiata sunt hæc futura in seculi fine, ac Domini voce at-

„ que

„que Apostolorum contestatione prædictum est, deficiente jam  
 „mundo, atque appropinquante Antichristo, bona quæque de-  
 „ficere, mala vero et adversa proficere . . . . Quare etsi ali-  
 „qui de collegis nostris extiterint, fratres dilectissimi, qui  
 „deificam disciplinam negligendam putant, et cum Basilide,  
 „et Martiale temere communicant, conturbare fidem nostram  
 „res ista non debet, cum Spiritus Sanctus in Psalmis talibus  
 „comminetur dicens: *Tu autem odisti disciplinam, et abjecis-*  
 „*ti sermones meos e terra, si videbas furem, currebas ei, et*  
 „*cum adulteris portionem tuam ponebas.*”

88. Plura sunt observatione digna in hac epistola; ac  
 primum confirmatur ex ea, quod ante quinquaginta circiter  
 annos Tertullianus dixerat de vigente Christiana religione *in*  
*omnibus Hispaniarum terminis*; ex quinque enim Provinciis,  
 in quas eadem jam tum, vel certe paulo post, partiebantur,  
 Gallæcia, et Lusitania, quæ, utpote remotiores ab Italia, at-  
 que Oriente, accepisse serius Christianam fidem videri pos-  
 sent, Ecclesias tamen, atque Episcopos habebant, illa Legio-  
 ne, et Asturicæ, hæc Emeritæ. Habebat etiam Tarraconen-  
 sis, nam *Felix de Casaraugusta fidei cultor, et defensor veri-*  
*tatis* Casaraugustanus hujus Provinciæ Episcopus ab eruditis  
 criticis habetur. Mitto Tarraconis ipsius Episcopum S. Fruc-  
 tuosum post quatuor quinqueve annos martyrium facientem,  
 de quo Acta syncerissima extant. Quamquam vero quatuor  
 vel quinque Episcopi, inter sese valde distantes, sufficere  
 utcumque poterant pro tota Christianis referta Hispania, mul-  
 to tamen plures fuisse, laudata epistola docet; cum Sabini  
 ordinationem factam dicit *de Episcoporum, qui in presentia con-*  
*venerant, quique de eo ad vos literas fecerant, iudicio.* At-  
 que utinam anonymorum hujusmodi Episcoporum duplex ma-  
 nipulus, nominatorumque alter solummodo in Hispania tunc  
 fuissent! Verum quarta præterea classis fuisse videtur illorum,  
 qui *deificam disciplinam negligendam putabant, et cum Basili-*  
*de, et Martiale temere communicabant,* de quo Africani Pa-  
 tres queruntur. His quatuor classibus Episcoporum addere  
 quintam fortasse possemus aliorum, qui vel ob locorum dis-  
 tantiam, vel ob aliam quamcumque causam nihil noverant,  
 aut curabant de Basilidis, et Martialis rebus. Sed nihil atti-

net,

net, Episcoporum, qui circiter annum 254. in Hispania e-  
 rant, conjectando exaugere numerum, quando tot certi ha-  
 bentur, ut an plures in ipsa jam tandem sint, dubitare possis.

89. Alia præterea sunt in præfata epistola, quæ in tan-  
 ta antiquorum Ecclesiæ nostræ monumentorum raritate obser-  
 vari merentur. Ex ipsa itaque prudenti ratiocinatione infer-  
 tur, fuisse jam tunc Pompelone, præcipua Vasconum urbe,  
 atque universæ fere Hispaniæ pervia, Episcopum: vel certe  
 non fuisse in ea tunc usque adeo ignotum nomen Christi,  
 ut, florentibus Christiana religione vicinis urbibus, ipsa To-  
 losano divini verbi præcone indigeret. Cum ergo certum sit,  
 Saturninum Tolosanum Episcopum tum per se ipsum, tum  
 per Discipulum suum Honestum ante alios Evangelium Pom-  
 pelone prædicasse, hinc etiam conjecturam capere licet de an-  
 tiquiori ætate Saturnini, confirmaturque quod libro primo di-  
 cebam, Apostolico ipsum ævo vixisse. Constat etiam ex epis-  
 tola Cypriani, habuisse tunc Christianos cœmeteria propria;  
 accusatur enim Martialis, quod filios *exterarum gentium mo-*  
*re apud prophana sepulcra deposuerit, et alienigenis consepelierit*:  
 unde licet inferre, neque exiguam, neque obscuram tunc fu-  
 isse ibi Christianorum familiam. Verum longe id melius col-  
 ligitur ex insano Basilidis, et Martialis desiderio Episcopatus;  
 nam quo tempore vix desierat persecutio Galli, et Volusia-  
 ni, imminabatque altera Valeriani, et Gallieni; et quando E-  
 piscopi titulus Martyris fere titulus erat; tunc egregii isti pu-  
 giles, Episcopalem gradum, quem ob scelera perdiderant,  
 modis omnibus recuperare volentes, Hispaniam, Italiam, at-  
 que Africam commovere non timent, modo voti compotes  
 fiant. Splendidas enimvero, et Christianorum numero, divi-  
 tiisque florentes, Ecclesias eas dixerim, quas semipagani homi-  
 nes sic adamabant. Ex pravariatione vero istorum discimus,  
 grassatam in Hispania tunc fuisse Gentilium persecutionem;  
 quare esto promptum nobis non sit indicare alios, quam S.  
 Martham V., Asturicæ sub Decio Imperatore, et Paterno  
 Proconsule martyrium passam, ut Romanum Martyrologium  
 ad 23. Februarii ait, quin tamen plures alii martyrium eo  
 tempore fecerint, dubitare vix possumus. Tantumdem dicen-  
 dum est de Conciliis tunc habitis in Hispania; nam si *ad or-*

B B

dina-

*ordinationes* Episcoporum *rite celebrandas, ad eam plebem, cui Prepositus ordinatur, Episcopi ejusdem provincie proximi quique convenire debebant; et si propter multitudinem Episcoporum frequens futura erat cogendorum conventuum necessitas; quis dubitet, quin ea occasione de ceteris quoque rebus, ad Ecclesie regimen pertinentibus, collecti in unum Patres decreverint? Atqui provincialia Concilia hujusmodi erant.*

90. Cum de celeri propagatione Evangelii superiori libro agebam, confirmabam eam ex S. Cypriano, sapissime inculcante, Ecclesiam, utpote in toto mundo diffusam, *Catholicam* esse; et, completis jam prophetiis de universarum Gentium vocatione, Antichristum appropinquare. Hæc eadem in hac epistola repetit. Quapropter viderint recentiores critici, quantum a Cypriano dissentiant, qui religionem Christianam vix denique in plerisque Occidentis provinciis enascentem fingunt, quando existimabat ille, senescere jam demum ipsam, atque amisso virili, pristinoque vigore, emori plane in multis.

91. Quod Hebræis in esu cœlestis mannae accidebat, ut quem quis vellet saporem, hunc edens continuo perciperet, id Tillemontio, et mihi in laudatæ epistolæ lectione evenisse dixeris. Nam cum sollicitus ego essem propter negatam ab eruditis nonnullis criticis celerem Evangelii divulgationem cum in aliis orbis terræ partibus, tum maxime in Hispania, multa in Cypriani epistola reperi, quæ palato meo gratissimi saporis fuerunt. Contra Tillemontius pro lenta Evangelii promulgatione sollicitus, id solum ex eadem collegit *tom. 4. in vita S. Cypriani art. 40.* nullum tunc fuisse Presbyterum Emeritæ, esto ipsa Lusitanæ Metropolis esset. Habebat scilicet præ oculis *raras in aliquibus Galliarum civitatibus Ecclesias paucorum devotione sub Decio et Grato Coss. exurgentes*, ut in Actis S. Saturnini apud Ruinartium legitur; propterea non poterat frequentes Ecclesias, pluresve Sacerdotes videre in Hispania, serius ad fidem accedente, ut eodem tomo in vita S. Dionysii, atque alibi ipse innuit. Verum unde, quæso, Tillemontius Emeritensis Ecclesie paupertatem elicit? Nempe ex inscripta Cypriani, seu Africani Concilii epistola *Felici Presbytero, et Plebibus consistentibus ad Legionem et Arturica, item Lelio Diacono, et Plebi Emerita.* Et ne forte abso-

absona exploderetur illatio, *necessitate*, ut ipsi quidem *videatur, expressa* propter solius Lælii Diaconi Emeritensis mentionem, Canonem 77. Elliberitanum ( domesticum nimirum restem ) allegat, ut intelligamus, nonnullas tunc fuisse plebes ab uno Diacono rectas. Sed quam verum, tam importunum exemplum est; nam Emeritensis Ecclesia Diaconalis non erat, sed Episcopalis, ac fortasse jam tum Metropolitana; quærendus itaque canon fuisset, ex quo disceremus, Episcopales Ecclesias aliquas fuisse, quæ, impedito, mortuove Episcopo, Presbyterum, qui mysteria sacra perficeret, nullum haberent. Quamquam ne in hujusmodi quidem exemplorum copia Tillemontii conjectura quidquam valeret. Quidni enim, vigentibus, ac valentibus Presbyteris, Emeritensis quispiam Diaconus certiorum Cyprianum faceret de turbis Ecclesie sue? Nullasne olim Diaconi partes habebant in Ecclesia orbata pastore? Non potuisset, opinor, S. Laurentius post S. Xysti Papæ martyrismum edocere eundem Cyprianum calamitatem Romanæ Ecclesie. Quid vero si aliunde notus erat Cypriano Lælius Diaconus? Quid si Emeritenses Presbyteri detruso Episcopo ambitioso favebant? Sed nihil attinet conjecturam leviusculam serio confutare. Neque erat, cur Tillemontius timeret, ne florentior Hispana, quam Gallicana Ecclesia, videri posset; florebant enim eo tempore quammaxime ambæ, ut ex binis Cypriani literis satis probatum fuit.

92. Quoniam de Hispana, Gallicanaque Ecclesia disserens, argumenta multa pro ipsarum antiquitate, atque splendore ex epistolis 67. et 68. S. Cypriani deprompsi, præterire silentio non possum, videri Launoyo apocrypham epistolam 67.; atque esse etiam nonnullos, qui putant, Cyprianum ipsum, non autem Stephanum Papam, deceptum fuisse in causa Basilidis, et Martialis, de qua agitur epistola 68. Verum hoc secundum, quod in qualemcunque laudem Hispanæ Ecclesie cedit, intacta relinquit argumenta nostra ex Cypriani verbis desumpta. Launoyus vero, quem vix unus et alter sequuntur, cum in eorum sententiam concessisset, qui censebant, Christi fidem serius trans Alpes esse susceptam; huic autem opinioni putaret officere Epistolam laudatam S. Cypriani, pronuntiavit, illam suppositam fuisse S. Martyri. Videtis apud

pud Baluzium not. prim. in hanc epistolam Launoyi ratiunculas dissolutas. Unum tamen recte pervidit Launoyus, officere nimirum epistolam istam iis, qui serius trans Alpes Christi fidem esse susceptam putant. At cum exuere hinc debisset præconceptam opinionem suam, maluit perversus Logicus epistolam illegitimam dicere. Tillemontius *tom. quart. monum. Eccles. not. prim. in vitam S. Dionysii Parisiensis* Launoyi opinionem, ut par erat, rejicit; sed persuasus ipse etiam, serius trans Alpes Christi fidem fuisse susceptam, multa gratis supponit, ac fingit, ut quomodocumque se extricet a Cypriani epistola, ut supra vidimus.

93. Superest, ut de Illiberitano Concilio, circiter annum 300. celebrato, pauca dicamus. Undeviginti Episcopi, viginti sex Presbyteri, ac multi Diaconi interfuisse ei feruntur, quorum pars maxima erat ex Provinciis Bætica, Carthaginensi, et Lusitana; ex Tarraconensi vero, et Bracarensi præsentibus fuere Valerius Cæsaraugustanus, et Decentius Legionensis Episcopi; quare non immerito Nationale Concilium habetur. Octoginta et unum ipsius Canones novimus, in quibus pro re nostra hæc observari merentur. Divisa jam tum erat Hispana Ecclesia in plures provincias, quarum singulæ Episcopos plures habebant sub Metropolitano uno. Habebant item Episcopi singuli plures sub se Presbyteros, Diaconos, atque inferioris ordinis Clericos; habebant sacras Virgines, Ecclesias, Coemeteria, et copiosam multitudinem non modo Catechumenorum, qui quidem Christiani vocabantur, sed etiam Fidelium, baptisate jam ablutorum. Neque vero ex infima tantum plebe sacri coetus constabant, sed erant plures divites, nobiles, magistratusque civiles gerentes: unde libere satis agebant, esto adversantes sibi Imperatores haberent. Hæc aliaque in Illiberitanis Canonibus diligens lector animadvertet, quæ quidem invicte probant, non posse non antiquissimam illam Ecclesiam videri, quæ, repugnantibus fere omnibus seculi præsertim tertii Imperatoribus, tam altas radices egerat, atque in tam altum gradum ascenderat. Nam ut brevi tempore adolescere ipsam absolute potuisse non negem, sic insolens factum non admittitur sine ratione sufficiente; qualis certe non est Sulpicii Severi assertio, aut de-  
pra-

prævata Actorum S. Saturnini lectio, unde Hispanæ non minus, quam Gallicanæ Ecclesiæ, antiquitatem recentiores critici impugnant. Quare humano modo, id est, sensim perdetentimque adolevisse Ecclesiam nostram dicimus; neque miramur, sub tertii seculi finem numeris omnibus absolutam disciplinam servatam fuisse in Ecclesia, quæ ante annos quinquaginta referta erat Episcopis, quæque ante alteros quinquaginta diffundebatur per omnes Hispaniarum terminos: in Ecclesia, inquam, quæ Hæreticorum antiquissima conventicula ætate vincebat, et quæ Firminum Episcopum, quasi minus sibi jam necessarium ineunte secundo seculo, commodare Galliis potuerit. Quæ cum ita sint, quid, quæso, morari nos potest, quominus fidem habeamus tum eidem Ecclesiæ, ab Jacobo Apostolo suam originem repetenti, tum antiquis Patribus, prædicasse in Hispania Paulum Apostolum asserentibus?

94. Quoniam præcipuas Orbis provincias, origines ipsarum Christianas quærentes, lustravimus, non foret præter instituti nostri rationem de obscurioribus aliis, vel serius detectis, quærere, an in his etiam Apostoli, Apostolorumve Discipuli prædicaverint. Sed quando nihil addendum occurrit ad ea, quæ sub initium libri secundi dicta sunt; qui de re, æternam, nisi fallor, obscura futura, conjecturas utrinque verisimiles nosse volunt, Scripturæ sacræ Interpretes, vel Auctores a Fabricio in *Luce Evangelica*, et a Mamachio in *Originibus Christianis* laudatos, consulant. Hic itaque finis esto nostrarum inquisitionum; quas quidem non eo consilio suscepimus, ut singularum, illustriorumve Gentium Christianas origines aut anxie detegeremus, aut avide persequeremur; sed ut generalem quæstionem de celeri grandique propagatione Evangelii, quam eruditi plures critici ex depravatis S. Saturnini Actis definire velle videntur, certioribus testimoniis, ineluctabilique inductione expeditam, ac facilem redderemus. Siquis vero operosioris disputationem nostram fuisse putet, is cogitet, quæso, splendidissimum credibilitatis Religionis Christianæ signum ab eruditis criticis in discrimen passim adduci, dum confidentissime ajunt, *serius trans Alpes Christi Religionem fuisse susceptam; et non modo imperante Decio raras Ecclesias, paucosque in Galliis fuisse Chri-*  
stia-

stianos, sed etiam ante S. Martinum ad paucorum notitiam ineffabilia Trinitatis Dominica sacramenta inibi pervenisse. Cum autem quæ de Regione Italix finitima expresse dicunt, de Germania, Britannia, Hispania, Africa, et remotioribus aliis fortius dicturi sint; quomodo lenta isthæc divulgatio fidei cum promissis divinis stet; aut quomodo pro signo veritatis Religionis Christianæ eadem haberi queat, plane non video. Gratulor itaque Pompelonensi Urbi cum ob laudabile studium, quo Christianam suam antiquitatem assertam sibi curavit, tum maxime ob præstitum ab ipsa in commune beneficium, dum ex dilucidata Apostoli sui Saturnini ætate planam dilucidationi admirabilis propagationis Evangelii in universo orbe viam fieri desideravit.

#### APPENDIX AD CAPUT PRÆCEDENS.

*Testimonium Hesychii, Salonitani ineunte seculo quinto  
Episcopi, de Hispaniensi prædicatione S. Jacobi  
Apostoli.*

95. **T**ametsi S. Hieronymi, et Didymi testimoniis paulo ante adductis confirmari valde prædicationem S. Jacobi in Hispania negari non possit, fatendum tamen est, neque ipsa sine traditione Hispana magni ponderis esse, ut Jacobum magis, quam Joannem, Petrum, vel alium quemvis Apostolum prædicasse in Hispania credamus; neque, adhibita etiam traditione, intercludere omnino fugam, atque calumniam adversariis nostris. Propterea optandum esset, ut sistere paris auctoritatis Patrem quempiam possemus, qui, prædicasse in Hispania Jacobum Apostolum fratrem Joannis, perspicuis, atque conceptis, ut ita dicam, verbis ediceret. Atqui hujusmodi testem beneficio cl. Patris Danielis Farlati tandem aliquando nancisci videmur. Non pigeat elegantem scriptorem audire. Agens tom. I. *Illyrici sacri part. tert. Prolegomenor. S. 3. de Jacobo Apostolo, quem in Hispaniam euntem, Illyricis prædicasse vult, ita ait: „ Apud nos extat vita Clementis Papæ et Martyris, cujus duo e-*  
xem-

„ xemplaria nactus cum esset Simon Bengnius Modrusiensis  
„ Episcopus, is, qui de moribus Christianorum ad veterem  
„ disciplinam revocandis, et sacra expeditione contra Turcas  
„ suscipienda, orationem habuit doctam oppido et elegan-  
„ tem ad Patres Concilii Lateranensis coram Leone P. M.  
„ vir summa eruditione ac sapientia, plurimi fecit; et alte-  
„ rum quidem apud se retinuit, alterum vero tradidit Ber-  
„ nardo Zane Archiepiscopo Spalateni, ut typis commissum  
„ in publicam lucem mitteret. Idem Bengnius affirmat, au-  
„ ctorem hujus vitæ fuisse Hesychium, qui, seculo quinto  
„ ineunte Pontificatum Salonitanum adeptus, tenuit usque  
„ ad annum fere quadragesimum ejusdem seculi: eum æqua-  
„ lem fuisse Hieronymo, et Ruffino, amicitia et necessitudo,  
„ quæ cum utroque eidem intercessit, satis declarat, Hiero-  
„ nimum quippe admodum familiariter *nostrum* appellat, et  
„ litteras se ad Ruffinum dedisse testatur. . . . Illud nos per-  
„ moleste habet, quod ex apographis vitæ Clementinæ, quæ  
„ olim, si non plura erant, certe minimam duo apud Ben-  
„ gnium extabant, nullum invenire potuimus nisi unicum,  
„ idemque maxima ex parte mutilum, quippe desinit in annum  
„ xxx vulgaris 42., quo Petrus Romam cogitans, e Palæsti-  
„ na cum Clemente discessit; integrum et absolutum nanci-  
„ sci ut possemus, nihil investigationis et diligentix præter-  
„ misimus.

96. „ In hanc vitam cum Simon Bengnius accurata in-  
„ tenta que lectione inquireret, nihil plane invenit, quod cen-  
„ sura et reprehensione dignum videretur, ac de illa judi-  
„ cium fecit sane præclarum: *Tempore Pontificatus sanctissimi*  
„ *viri Zosimi Papæ præfuit Ecclesie Salonitane Hesychius Præsul*  
„ *apostolicarum constitutionum, et synodaliū canonum zelan-*  
„ *tissimus. Scripsit vitam S. Clementis Papæ, et Martyris,*  
„ *qui tertius post Apostolos Romanam Cathedram tenuit, et*  
„ *Christi Ecclesiam gubernavit. In qua plurima scitu dignis-*  
„ *sima, quæ statum, et primordia nascentis Ecclesie, et quæ*  
„ *toto quasi primo Christiano seculo in illa gesta sunt, satis*  
„ *illustrant, perspicuo stylo narrat, servata, notataque tem-*  
„ *porum pro illius ætatis usu fidei ratione. . . . Rara sunt hu-*  
„ *jus voluminis exemplaria, nos e duobus, quæ in Diocesi no-*

„stra nacti sumus, reverendissimo Patri Domino Bernardo  
„Spalatensi Archiepiscopo alterum dedimus, ea conditione, ut  
„typis excusum publici juris faceret.

97. „Jam vero ad rem nostram quod attinet, in hac  
„vita S. Clementis hoc scriptum invenio: In Tabulis Sirmi-  
„ensis Ecclesie notatum vidimus, eo ipso anno, quo Clemens Ce-  
„saream venit, Paulo Fabio, et Vitellio Nepote Coss. Bea-  
„tum Jacobum Zebedai filium, Joannis Apostoli germanum fra-  
„trem, ab Apostolorum Principe Petro missum, in Hispaniam  
„pervenisse, atque in illis partibus primum Apostolorum Chris-  
„ti fidem annuntiasse, Ecclesias fundasse, Episcopos ordina-  
„se, peragratisque quasi omnibus Hispaniarum urbibus, et ma-  
„xima ad Christi fidem conversa multitudine populorum, Hie-  
„rosolymam rediisse Aquilio et Nonio Coss. Et hac quidem il-  
„li Ecclesia dedit Andronicus antiquus Christi Discipulus, qui  
„fuit Sirmii in Pannonia Episcopus. „Alia duo ex eadem  
Vita testimonia Farlatus ibidem affert, in quorum primo  
narrat ipsius auctor, approbasse Petrum in Hierosolymita-  
no Concilio Evangelium a Mattheo conscriptum, additque:  
*Tum ostendit (Petrus) duodecimum annum esse, ex quo Jesus  
docere cœpisset; quare etiam monet, ut memores novissimorum  
Domini verborum, euntes proficiscerentur in mundum univer-  
sum . . . . Exemplo Jacobi gestorum in Hispania prosperos suc-  
cessus sperare suadet. Et Joanni quidem . . . commendat Asiam,  
Jacobus Zebedai Hispaniam . . . Jacobo Alphai Hierosolymam &c.*  
In altero hæc leguntur: *Petrus mittit litteras in Hispaniam,  
et Jacobo significat, reservatum esse ostium Gentibus ad salutem.  
jubetque, etiam hos sponte venientes ad religionem admitti.*

98. Nihil pro Hispaniensi prædicatione Jacobi dici po-  
terat clarius. Judicium autem quod de Clementina vita Far-  
latus fecit loco supra citato, nec non tom. 2. pag. 85. col.  
r. non multum discrepat ab altero Simonis Bengnii: ait enim  
in hunc modum. *Si ex prima parte hujus vite de reliquis  
partibus, totoque narrationis corpore judicare liceat, videor mi-  
hi posse affirmare, nihil in ea reperiri, quod aperta falsitatis  
convinci possit, et a sacra, prophanaque historia illorum tem-  
porum abhorreat. Series quidem Consulum, quorum nominibus  
annos consignavit, sic apte disposita est, ut cum Fastis con-  
sula.*

sularibus optime cobareat. Ut autem Jacobi, in Hispaniam  
euntis, transitum per Illyricum confirmet, ait: *Huius opinio-  
ni videtur consentaneum esse, quod Hieronymus Faber tradidit  
in eo libro, quem de sacris monumentis Ravennæ antiquæ scrip-  
sit, ubi ait, Ravennates antequam ad eos D. Apollinaris ap-  
pelleret, a D. Jacobo Christi præceptis imbutos fuisse. Quia  
vero nonnulli sunt, qui propter immaturam Jacobi mortem  
ipsius in Hispaniam iter ægre credunt, sic ait laudatus Far-  
latus: Quod autem ante præscriptum a Christo tempus e Pala-  
stina in Hispaniam discesserit, id divino cuidam impulsui tri-  
buendum esse censeo. Cum enim divinitus cognovisset, mortem  
sibi pro Christo ante obeundam esse, quam dies afforet divisio-  
ni Apostolorum præstituta, creditam sibi provinciam, Deo im-  
pellente, et ceteris Apostolis consentientibus, præoccupavit.*

99. Cum liber Farlati vulgatus est, Historiam litterariam  
Mutinæ scribebat eruditus criticus P. Franciscus Antonius  
Zacharias; de illo itaque pro officio, quod sibi sumpserat,  
censens tom. 4. pag. 111. ait, ægre se videre in Opere, ce-  
teroqui laude dignissimo, adulterinum vitrum pro gemma ad-  
missum, nimirum Clementinam Vitam, quam splendido He-  
sychii Salonitani Episcopi nomine baptizare Bengnio placuit;  
*Constitutiones enim, et Canones Apostolici Clementi Papæ,  
et Apostolis tribuuntur in ea, immo lectæ, atque probatæ  
in Apostolorum Concilio dicuntur. Adhæc Apostolorum di-  
visio consignatur in annum 12. ab exordio prædicationis  
Christi contra antiquorum opinionem, qui a resurrectione  
annos duodecim numerant: Adornatum Symbolum dicit, A-  
postolis singulis singulum articulum conferentibus: Et qua-  
tuor annos tribuit Hispaniensi prædicationi Jacobi, cujus u-  
berem fructum, ut ut traditione Hispanorum repugnante,  
extollit. Hæc omnia ex apocryphis libris petita esse, Zacha-  
rias dicit, qui etiam addit, immensa Clementis itinera, ipsius-  
que ad Ecclesias Dalmatiæ epistolam, quorum Vita illa me-  
minit, ignota fuisse antiquitati. Opponit deinde legitimam He-  
sychii epistolam ad Augustinum (inter Augustinianas septuage-  
simam nonam) cujus stylus longe diversus est ab altero hujus  
Vite; opponit etiam silentium S. Hieronymi in libro *De Scripto-  
ribus Ecclesiasticis* de Hesychio, cujus tamen lucubrationem de vi-*

ta S. Clementis ignorare vix posset, si inter ipsos familiaritas intercessisset, ut auctor vitæ indicat, Hieronymum *suum* appellans. Tantumdem dici vult de Rufino, qui Hesychii meminisse debuisset, si monitus fuisset ab eo (quod in hac vita dicitur) ut in convertendis *Recognitionum* libris caveret sibi ab erroribus, quos hæretici in illis congesserant. Tametsi, addit Zacharias, admonendus non erat Rufinus de eo, quod probe noverat, sed potius, ut e duobus, quæ circumferebantur exemplis *Recognitionum*, procuraret sibi illud, quod ab hæreticis contaminatum non fuerat.

100. Hæc summa est objectionum Zachariæ, quas Farlatus fortasse ignorabat, cum anno 1753. (eodem scilicet, quo proposita a Zacharia fuerant) tomum secundum edidit, in quo de Hesychio agens pag. 83. repetit, et confirmat, quæ primo tomo scripserat. De hoc altero Farlati tomo censuram fert Zacharias tom. 8. *Historia litteraria*, atque ad Clementinam Vitam, iterato in eo probatam, deveniens, lectorem remittit ad ea, quæ tomo quarto censuerat. Non dubito, quin celebratissimi critici vox e vicina Mutina emissa, Patavium usque, ubi scribebat Farlatus, cito pervenerit, cum præsertim alumni ambo essent ejusdem Societatis religiosæ. Quidquid tamen de hoc sit, id certe constat, Farlatum perstitisse diu post in priori sententia; edidit enim anno 1769. tomum quartum *Illyrici sacri*, ubi de Modrusiæ Episcopis agens, atque ad Simonem Bengnium Modrusiensem Episcopum perveniens, tum magnifico ipsum ornat elogio, tum Clementinæ Vitæ, cujus exempla duo Bengnius adeptus fuerat, mentionem ingerit, quin scrupulum de ipsa ullum lectori faciat. Sed cur ad argumenta Zachariæ nihil respondit? Neque enim tam imbecilla ea sunt, ut responso indigna habenda sint.

101. Quid ergo nos credere convenit de luculento testimonio, quod Hispaniensi prædicationi Jacobi Apostoli gravissimus testis Hesychius dedisse dicitur? Dicam, quod de eo, atque adeo de Clementinæ Vitæ auctore, sentio, postquam ad incudem Zachariæ argumenta reddidero. Tametsi Fragmenta duo Clementinæ Vitæ inter *Collectanea* Simonis Bengni Farlatus reperit, neutrum tamen præseferbat aucto-

ris nomen, ideoque non alia ipse ratione auctorem illius Vitæ Hesychium dixit, nisi quia Bengnius id antea dixerat. Sed neque ipse Bengnius in alterutro Vitæ exemplo, quod habere se narrat, invenisse præfixum auctoris nomen videtur; quippe ait quidem nihil hæsitans, auctorem Vitæ Hesychium esse, sed non addit (quod omittendum non fuisset) præferre alterum saltem codicem Hesychii nomen. Potuit itaque ex conjecturis colligere, Hesychium auctorem fuisse. Atque id quidem Zacharias credidisse videtur, qui sub Hesychii nomine *baptizatam* a Bengnio Clementinam vitam dicit. Est itaque saltem incertum, an propter solum testimonium, auctoritatemque Bengnii, an propter fidem Codicum præfata Vita Hesychio tribuenda sit. Non nego, sufficere nobis posse diligentissimi scriptoris, cujusmodi Bengnius fuit, testimonium solum, ut rem, ceteroqui difficultate carentem, credamus: verum æque certum est, ipsorum etiam codicum fidem periclitari aliquando propter obstantes præsumptiones fortissimas. Quare tametsi concedatur, Hesychii nomen fuisse in codicibus Clementinæ Vitæ a Bengnio consultis, restat tamen adhuc videndum, an grave quid obstat, quominus plenam fidem ipsis habeamus.

102. Ad argumenta Zachariæ quod attinet, non ea mihi hujusmodi esse videntur. Quid enim refert, si Clementinæ *Constitutiones*, et *Canones* Apostolici neque Clementis, neque Apostolorum sunt, ideoque in Hierosolymitano Concilio legi, atque probari nequiverunt? An Zacharias negabit, vulgatissima ista fuisse ineunte seculo quinto, quo Hesychius floruit? Quidni ergo legitima hic credidisset, quæ a multis pro legitimis haberi, ignorare non potuit? Cur etiam apocrypha reputans, retinere tamen eadem multa sincera, a Clemente, atque ab Apostolis provenientia, non crederet? Hæc certe plurimorum, atque Hesychio antiquiorum Patrum opinio fuit. Tantumdem dicito de Symbolo, quod contributis articulis disposuisse Apostolos, Clementinæ Vitæ auctor refert; id ipsum enim alii Patres etiam crediderunt, ut videre licet apud Baronium ad annum 44. n. 15. et seqq. inter quos primo loco recensetur Rufinus, Hesychii nostri amicus in *præfatione ad expositionem Symboli Apostolorum*. At vero

absone interpretatur Vitæ Auctor duodecim annos, Judæorum prædicationi ab Apostolis impensos, antequam invicem dividerentur. Est etiam contraria Hispanorum traditioni ipsius assertio de magna hominum multitudine in Hispania per Jacobum ad Christum attracta. Ad primum responderi posset, vix paulo meliores recentiorum criticorum esse opiniones de tempore divisionis Apostolorum. Neque valde id miror, nam esto plures Patres de hujusmodi divisione egerint, certum tamen tempus neque ex ipsis, neque ex Scriptura Sacra elici potest, ut Baronius ad annum 44. n. 13., et Bollandiani ad diem 15. Julii, qua festum divisionis, seu separationis Apostolorum Martyrologia multa annuntiant, fatentur. Ergo nostri Auctoris opinio inter probabiles, ingeniosasque recenseri potest. Ad alterum ajo, tam certam, constantemque esse apud Hispanos opinionem de prædicatione Hispaniensi Jacobi, quam incertam et variam de tempore, fructuque ejusdem. Ac fortasse ut Hispani nonnulli plus æquo extenuarunt apostolicæ operæ pretium, sic nonnihil ipsum Illyrici amplificaverunt. Romanum Martyrologium ad diem 15. Maji de Apostolicis septem Hispaniarum Episcopis ait: *innumeras multitudines Christi fidei subjugasse*: mirum itaque mihi videtur, tum persuasisse sibi contraria omnia de Apostolo suo Jacobo Hispanos plures, tum istiusmodi credulitatem traditionis Hispanæ nomine ab eruditis criticis donari.

103. Venio ad reliqua argumenta Zachariæ. Nihil equidem in itineribus S. Clementis, vel in ejus ad Dalmatas epistola video, quod apostolico viro non apprime conveniat; quinimo scripsisse ipsum plures epistolas, atque itinera longa confecisse, antiquissimi scriptores referunt. Verum stylus, scribendique ratio Hesychii, atque Auctoris Clementinæ Vitæ diversos hos fuisse clamant. Fateor, accuratiorem videri stylum Vitæ; crediderim vero, Zachariam ipsum jam senem non eadem diligentia, qua olim litterariam Historiam, exarasse epistolas familiares. Cur vero, ait Zacharias, Hesychii amici sui Hieronymus non meminit in commentario *de Viris illustribus*? Propterea quod divinare non is tenebatur anno 392. quid scripturus Hesychius erat post annum 400. Cur silet Rufinus, admonitum se fuisse ab Hesychio de corruptis hæreticorum fraude *Recognitionum* libris? Ea, puto, ratione, qua in suis libris Zacharias ipse haud utique meminit omnium, quorum opportunis monitis præmunitus fuit. Cur non potius Rufinum monuit Hesychius, circumferri exempla duo *Recognitionum*, syncerum unum, alterum adulterinum? Quia quod Zachariæ post multa secula scribenti, opportunius videtur, Hesychio præsentis importunum fortasse visum fuit.

104. Vidimus, argumenta Zachariæ non magni ponderis esse. Atque hæc causa, opinor, fuit, cur Farlatus sententiam suam non deseruerit. Verumtamen dissimulare nequeo, superesse adhuc difficultates nonnullas, quæ ex fragmentis Clementinæ Vitæ colligi possunt. In ea enim Beata Virgo Maria *sanctissima Dei Genitrix, Deiparaque* appellatur. Annon loquendi hæc formulæ juniorem Hesychio hominem, atque habito jam Ephesino Concilio scribentem, indicare videntur? Eadem Virgo interfuisse Apostolorum Concilio, atque in fine benedictionem porrexisset eis dicitur. Verum hæc, quæ libenter audivissent pii nostri Majores, ægre, puto, in præsentia fidem invenient. Erunt etiam plures, ni fallor, qui Festum Divisionis Apostolorum, cujus frequens mentio fit post octavum seculum in Martyrologiis, celebratum fuisse ineunte seculo quinto, ut Auctor Vitæ S. Clementis affirmat, difficulter credent. Idem asserit, Episcopos fuisse Salonæ quidem S. Domnium Apostoli Petri Discipulum, Sirmii S. Andronicum, antiquum Christi Discipulum, Sardiæ vero S. Clementem, cui etiam Syngiduni, et Mursæ Episcopatus originem tribuit. Adhæc Cornelium Centurionem Sisciensem patria dicit, et Helenam, Constantini Imperatoris matrem, in Bretanide Dalmatiæ insula natam. Hæc studiosum patriæ hominem probant certe quidem, fortassis etiam Hesychio recentiore. Mitto argumenta ea, quæ vel ex sacra Scriptura, vel aliunde deprompta, communia dici possunt adversus omnes, qui S. Jacobi prædicationem in Hispania tuentur; iis enim satis superque fecerunt sententiæ nostræ defensores.

105. Dicit aliquis, adducta modo argumenta, Zachariæ alteris adjuncta, satis probare, Clementinæ Vitæ Auctorem Hesychium, Salonitanum sub initium seculi quinti Episcopum, dici non posse. Verum obstat sic opinanti, quod Vitæ il-



lius Auctor dicit de scriptis ab se literis ad Rufinum; et quod rationem reddens conscribendi Vitam S. Clementis, sic ait apud Farlatum tom. 2. pag. 83. *Porro autem prasens hoc tempus postulat, maxime cum Gothi vastant, atque exurunt omnia, ne sanctissimi hujus Pontificis, amissis penitus actorum monumentis, intereant insimul plurima &c.* Ergo Auctor Clementinæ Vita circiter annum 400. vivebat, quando Gothi vastabant provincias Illyrici, et Rufinus, atque Hesychius florebat. Adhæc Salonitanam Ecclesiam *suam* idem appellat. Cum itaque tempus, et locus pro Hesychio faciant, inanes potius objectiones nostræ dicendæ videntur. Addo, ad quæstionem de Hispaniensi Apostolatu S. Jacobi, cujus gratia hæc disputamus, non multum referre, Hesychius ne, an alius quivis, Vitam scripserit, modo conscriptam ipsam circiter annum 400. certo teneamus.

106. Nescio, an aliquis argumenta proposita tanti facturus sit, ut neque Hesychium, neque coævum huic quempiam alium conscripsisse ipsam putet. Sed hujusmodi censor teneretur, ni fallor, dicere, præfatam Vitam fuisse confictam sub tempus Bengnii; quippe post quintum seculum usque ad decimum quintum, quando latina lingua impensius coli cœpit, voluisse, aut potuisse quem tam venuste scribere, difficulter credam. Atqui si res ita sit, multum oportet detrahere laudi, qua Farlatus perspicacem Bengnium exornat. Ego vero tantum mihi non sumo, ut et falsarium Clementinæ Vitæ Scriptorem, et halucinatum Bengnium oblevés, vel summum probabiles conjecturas dicam. Quapropter licet per me fidem haberi Clementinæ Vitæ Auctori, profidenti sese amicum Rufini, atque illius temporis scriptorem, quo Illyricum Gothi vastabant. Et quoniam Salonitanam Ecclesiam, ab Hesychio per id temporis rectam, *suam* idem appellat, non omnino inepte hinc intulerit Bengnius, Hesychii illam esse. Tametsi nonnullis aliis indiciis eruditum, prudentemque Bengnium permotum fuisse, negare nolo. Si ergo Vita S. Clementis Auctor non est omni exceptione major, neque item est fide prorsus indignus. Licet itaque, imo decet, propugnatores Hispaniensi prædicationis S. Jacobi Apostoli eo teste uti, quemadmodum Didymo, Hieronymo, Isido-

sidoro, et aliis, ut ut non immunibus exceptionis, recte utuntur. In iis enim, quæ perspicua, atque inconcussa probatione carent, verisimilia locum habent, quemadmodum auriti testes deficientibus oculatis. Nam cur incommodabunt, quod quidem non negamus, Hispaniensi prædicationi Jacobi conjecturæ adversæ, tametsi incertæ; eidem vero faventes alia non proderunt? Gratiam itaque eruditus Bengnio, et Farlato habebunt Hispani, quod ipsorum piam sententiam testimonio firmarint adductorum hactenus luculentissimo. Mihi vero dabunt, opinor, veniam, quod objectionibus Zachariæ novas addens, hypercriticum pene egerim. Adversarios scilicet nostros præveniendos putavi, qui, dissolutis unis, alteras prompte depromerent. Sed bene est, quod graviores prioribus posteriores nostræ objectiones non sunt; et quod hæ ipsæ probabiles multas exceptiones habent, quæ eruditis criticis mox occurrent. De cetero neque Hispanorum de Apostolo suo Jacobo traditio Hesychii testimonio, neque Apostolica Hispaniæ Ecclesiæ origo, quam probandam hoc loco sumpsit, Jacobi prædicatione eget, ut supra dicebam: quare licuit mihi tum esse breviori in quæstione a multis tractata, tum indulgenti in teste non necessario.



## DE CAUSIS RECUDENDI

BOLLANDIANI COMMENTARII

## DE SANCTO FIRMINO

EPISC. ET MART.

MONITUM AUCTORIS

PRÆCEDENTIUM LIBRORUM.



Quandoquidem Libro I. ea solum de SS. Saturnino et Firmino tetigi, quæ disputationi de propagato brevi per universum mundum Evangelio conducere videbantur, operæ fortassis pretium sit, primario argumento tribus libris jam absoluto, ad laudatos Sanctos reverti, et quæ noscenda de ipsis supersunt, referre. Id nimirum ex me videtur exigere incepta tractatio, et tum mea in tutelares Sanctos pietas, tum in Patriam Pompeionem officium. Etenim religiosa æque atque munifica Civitas sciens, fide digniora, quam quæ habebantur adhuc, perinsignium Patronorum suorum SS. Saturnini et Firmini Acta detecta fuisse, unde mirabilis propagatio Evangelii, a recentioribus non mediocriter obscurata, pristinum splendorem recipiat, voluit, immo potius cunctantem me jussit, quæ vernacula lingua breviter, et lati-

D D

na

## COMMENTARIUS BOLLANDIANUS

AD DIEM XXV. SEPT.

## DE SANCTO FIRMINO

EPISCOPO MARTYRE.

na fusius commentatus hac occasione fueram, ære, auspiciisque suis in lucem quamprimum edere. Verum de S. Saturnino pauca, ad Pompelonem præsertim attinentia, addi queunt jam dictis; et de S. Firmino, erga quem mirifico hæc Urbs studio fertur, ad 25. Sept. Bollandiani agentes, partes nostras magno cum emolumento causæ præoccupavere. Quoniam ergo interclusus est locus industriæ, id solum restare videtur, ut tantorum Virorum præclaram elucubrationem ex immenso, ubi consepulta fere jacet, Opere de *Actis Sanctorum* in apertiore lucem trahamus.

Non equidem ignoro, doctissimum, ac religiosissimum Sanctæ Pompelonensis Ecclesiæ Priorem D. Firminum de Lubian, cujus memoria in benedictione est, cogitasse de recudendo Bollandianorum *Commentario de Sancto Firmino*; neque abjecisse hujusmodi consilium, donec protractum in eo ad tertii seculi finem, et Episcopatu Pompelonensi spoliatum Sanctum animadvertit. Probabilis enimvero mutandi consilii causa, dignaque perstudioso Pompelonensis gloriæ Viro; quandoquidem agebatur tum solum de divulgando magis magisque *Bollandiano Commentario*, non autem de respondendo ad speciosas rationes, quibus Pompelonis gloria in ipso offuscatur. At nihil hæc causa ad nos, qui, ad ætatem SS. Saturnini, et Firmini quod attinet, satis superque Bollandianorum argumenta dissolvimus; quique Pompelonensem S. Firmini Episcopatum non modo, Riccardianis editis *Actis*, in tuto posuimus, sed etiam

mul-

multa nova in promptu habemus, quibus in nostram sententiam trahere scrupulosissimos quosque possimus. Proderit ergo iterata *Bollandiani Commentarii de Sancto Firmino* editio, cum ut in parabili Opere hujus Sancti scitu digna omnia collecta habeantur, tum ut eruditi critici intelligant, ejusmodi esse Pompelonensium causam, quæ non reformidet sub ipsorum oculos venire rationes, verbaque ipsa, quibus clarissimi Bollandiani eandem oppugnaverunt. Huc accedit, quod sæpissime ad laudatum *Commentarium* Lectorem remisi primo præsertim libro; immo plurima, quæ videbantur dicenda, in edendi illius spem consulto præterivi silentio: itaque facere non possum, quin integrum ipsum jam demum exscribam. Quæ autem pro asserendo Sancto Firmino Pompelonensi Episcopatu in promptu me habere modo dicebam, ea post Bollandianum *Commentarium* aptius collocabuntur.

Nonnulla quidem huic addidissem libenter ad cultum, quo gaudet S. Firminus in multis Americæ urbibus, pertinentia; sed neque satis distinctam rerum notitiam nancisci potui, neque necessaria admodum mihi ipsa videtur, quandoquidem nemo erit, opinor, qui dubitet, quin in Provinciis religiosissimis, frequentatisque abhinc sæculis tribus ditissimis negotiatoribus Navarris, sacra monumenta aliqua extant in honorem Sancti, qui e duobus Navarræ præcipuis Patronis ætate, natali solo, Pompelonensi Episcopatu, martyrii postremo laude maxime commendatur. Habe igitur

tur, Lector, *Commentarium de S. Firmino*, ab eruditissimo Bollandiano Socio P. Joanne Stiltingo diligenter ita elucubratum, ut, si, quæ ad ætatem, Episcopatumque Sancti pertinent, demas, cetera inoffenso pede percurrere possis. Summarium autem marginale, quod in Opere immenso prudenti sane consilio Bollandiani apponunt, in exiguo hoc nostro tamquam minus necessarium, typhothæque ingratum omisimus: subjecimus vero alicubi in fine paginæ annotatiunculas paucas, ut Lectorem præmuniremus, ne ante lecta illa, ad quæ ipsum ibi remittimus, de ætate, Episcopatuque S. Firmini ex commentatoris Bollandiani ratiociniis præpropere judicet.



DE

# DE S. FIRMINO EPISC. MART.

AMBIANIS IN GALLIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

A JOANNE STILTINGO S. J. ADORNATUS.

S. I.

*Diversa Actorum exemplaria, eorumque in quibusdam notabilis  
varietas: non sunt scriptoris contemporanei, nec  
defectibus aliquot carent.*

1. **B**ollandus noster ad XVI. Februarii mediam fere partem Actorum S. Firmini Episcopi Martyris edidit, ut daret gesta S. Honesti presbyteri, qui ex illis fere solis innotuit. Eadem, opinor, opera Commentarium conscripsit de hodierno S. Firmino ad Acta ejus illustranda. Possem facile totum illum Commentarium huc transferre, eaque adjungere, quæ ex documentis postea erutis addenda occurrerent. Verum sic et prolixiorer facerem dissertationem, quam necesse sit, et minus concinnam, cum nonnulla disputaverit Bollandus suo tempore necessaria, aut utilia, nunc vero eruditus satis nota. Quapropter insistam solum Bollandi vestigiis, cum omnia videatur recte ordinasse, daboque Commentarium paulo prolixiorer pro hodierno more nostro. Exemplaria Actorum S. Firmini habemus ex codicibus Mss. quinque, sic enumerata a Bollando, *Nimirum ecclesia cathedralis Audomaropolis, parochialis S. Firmini in Valle Ambiani, manasteriorum S. Maximini Treviris, ac Bonsfontis in diocesi Remensi, Domus professa Societatis Jesu Antwerpia, qui olim fuit abbas Valcellensis Ordinis Cisterciensis.* Hisce deinde accesserunt tria alia exemplaria, nimirum duo codices Musæi nostri, quorum alter notatur P. Mss. 55., alter Q. Mss. 5., et demum exemplar octavum ex codice Ms. abbatiæ S. Galli, anno 1752. perhumaniter cum aliis pluribus ad nos missum.

sum. Eadem Acta dudum edidit Franciscus Bosquetus part. 1. Historiarum Ecclesie Gallicanæ.

2. Quod jam spectat ad consensum tot manuscriptorum, et editionis illustrissimi Bosqueti, in gestis S. Firmini codices omnes plerumque consentiunt, in vocibus tamen non raro variant, et subinde in nominibus propriis; imo etiam in adjunctis aliquot, quibus Actorum fidem ex editione Bosqueti oppugnavit Tillemontius. Etenim in plerisque exemplaribus ita inchoantur: *Temporibus Maximiani, et Diocletiani imperatorum, quo tempore tyrannica rabies in Christiano populo sæviebat, erat vir vita venerabilis etc.*, uti edidit Bosquetus. In plerisque item exemplaribus dein præses Sebastianus laudat edicta *Decii, et Valeriani* contra Christianos. Verum, ut jam observavit Bollandus ad XVI. Februarii in S. Honesto, aliud est initium manuscripti Ambianensis, et alterius reginæ Sveciæ, cujus lectiones variantes solum habuit. Aliud similiter principium est in codice nostro, qui notatur P. Mss. 55. In eisdem quoque tribus Mss. nulla deinde fit mentio *Decii et Valeriani*, sed tantum *imperatorum* generatim. Totum initium, quale est in tribus laudatis Mss., huc transfero: *Temporibus priscis, quibus fides Christiana, illustrante Spiritus sancti gratia, per diversa orbis climata cœpit florere; unde perfidorum tyrannica rabies in Christianum populum sæviebat, erat in urbe Hiberiensi, nuncupata Pampelana; vir vita honestate venerabilis, genere et ordine primus inter senatores, nomine et opere Firmus etc.*

3. Hæc sane lectio concinnior et aptior est, quam altera, imo et verisimilior. Cum enim auctor in tota vita plura narret de conversione infidelium, quam de persecutione Christianorum, et in priore parte de sola fere infidelium conversione agat; verisimilius est, de incremento fidei Catholicæ exorsum fuisse, quam de persecutione gentilium. Præterea circa finem Vitæ notabilis rursus est in exemplaribus dissensio. Nam in laudatis Mss. multo plura leguntur de martyrio S. Firmini in carcere, quam apud Bosquetum, et in exemplaribus ejus editioni magis consonis. Contra apud Bosquetum, et in plerisque Mss. multa sub finem narrantur de *Sancto Firmino* confessore, quæ parum spectant ad

ad *S. Firminum* martyrem; in tribus vero jam dictis Mss. longe pauciora tantum, quæ non poterant omitti, quod utcumque ad *S. Firminum* hodiernum pertinerent. Hæc iterum ratio suadere videtur, præferenda esse tria illa exemplaria reliquis omnibus. Verumtamen, cum in his quoque exemplaribus nonnulla occurrant, quæ displicent magis, quam in aliis; non ausim certo edicere, utra exemplaria primi scriptoris lucubrationem rectius exhibeant. Cum tamen id magis credam de tribus jam sæpe memoratis, quorum dictionem in collatione simpliciore inveni, ut phrasim in ceteris nonnihil expolitam suspicer; edam hanc Vitam ex codice nostro et Ambianensi; eosque cum reliquis omnibus conferam, diversasque lectiones notabiles, accurate in Annotaris assignabo.

4. Quod spectat ad ætatem auctoris, ipsum initium Vitæ satis ostendit, auctorem non esse contemporaneum: ex iis vero, quæ circa finem dicuntur de *S. Firmino* confessore, clare colligitur, scriptam esse satis diu post mortem hujus Sancti circa 370., aut 380. defuncti, ut omnino scripta non videatur ante seculum V. Bollandus solum observavit, Vitam fuisse scriptam ante inventionem corporis, quam figemus sub initium seculi VII. Hoc luculenter eruitur ex illis, quæ circa finem in plerisque Mss. dicuntur. Quæ si forte non sint primi scriptoris, sed postmodum addita, saltem scripta fuerunt ante corporis inventionem. Benedictini auctores Historiæ litterariæ Franciæ tom. 3. pag. 410. suspicantur, Acta scripta esse sub finem seculi VI. Bailletus in Tabula critica ad XXV. Septembris seculo VI., aut VII. conscripta existimat, et vel sic *satis antiqua* vocat. At mihi non videntur satis antiqua, nec tamen credo, scripta fuisse seculo VI. exeunte, et minus seculo VII. Stylus ipse Actorum renuit illam epocham, cum seculo VI., et VII. litterarum studium in Gallia prorsus deciderit, successeritque mira scriptorum in factis exponendis barbaries. At Vita *S. Firmini*, licet scripta non sit sermone eleganti et puro, longe tamen abest a barbarie exeuntis seculi VI. videturque ea de causa potius referenda ad seculum V. aut VI. Nam eo tempore non deerant eruditi, qui satis bene sermonem Latinum noverant, ut Vitam *S. Firmini* conscribere possent eo stylo, quo scriptam habemus.

mus. Fateor, hanc rationem non esse talem, ut rem certam faciat. At nihil quoque in tota Vita reperio, quo potius ad seculum VII. aut ad finem VI. referenda videatur.

5. Tillemontius tom. 3. Monumentorum in S. Saturnino agnoscit, Acta S. Firmini gravitatem habere; sed ait, prolixa esse in discursibus, multaque in iis legi facta particularia, ob quæ parum fidei merentur. Deinde Nota 3. in S. Saturninum exponit facta illa particularia. Primum ait, Sancti martyrium aliquando figi sub Diocletiano, aliquando sub Decio et Valeriano. Ad hanc objectionem jam satis respondi ad 1. Septembris in S. Firmino confessore num. 3., ubi ostendi, non sequi ex laudatis apud Bosquetum edictis Decii et Valeriani, auctorem indicare voluisse, S. Firminum sub Decio aut Valeriano fuisse passum, ut nimis leviter asseruit Tillemontius. Præterea in codicibus, ex quibus Acta daturus sum, nulla Decii aut Valeriani fit mentio, nulla item Diocletiani aut Maximiani. Displicet secundo Tillemontio, nec immerito, quod S. Saturninus asseratur Pompelone conversisse *quadraginta hominum millia*. Potest tot millium conversio magis incredibilis videri ex silentio Actorum S. Saturnini. Siquis tamen consideraverit breviter illorum Actorum, in quibus de Apostolicis S. Saturnini laboribus nihil fere legitur, non statim ex iis inferet, Saturninum Pompelone non fuisse. (\*) At contendere nolim, numerum conversorum Pompelone non fuisse nimium exaggeratum, sed potius dubitare vix possum, quin supra verum exaggeratus sit, si *per triduum*, ut habent Acta, tot millium conversionem factam voluerit auctor.

6. Si vero triduanam illam S. Saturnini prædicationem dicamus principium fuisse conversionis multorum, qui ad quadraginta fere millia paulatim excreverunt, et partim a S. Saturnino, partim ab ejus discipulis deinde baptizati sunt: magna quidem erit hominum conversio, sed minime incredibilis.

(\*) De Actis sinceris S. Saturnini a Surio et Ruinartio editis hic loquitur Bollandianus Hagiographus. Quatenus autem ea cum Riccardianis conveniant, vide supra libro primo num. 26. Similiter quum de S. Firmini Actis meminisset, vulpata a Bosqueto, quæ in fine Commentarii hujus recudit, intelligit. Hæc præ oculis habenda sunt, ne ex confusis Riccardianis SS. Saturnini et Firmini Actis cum Ruinartianis, Bosquetianisve obscurior lectio reddatur.

lis. Quidquid sit, scriptor, qui duobus seculis post Saturninum vivebat, tantam certe auctoritatem non habet, ut satis fiant certa, quæ refert de gestis S. Saturnini Pompelone. Eodem fere loco habet Tillemontius conversiones S. Firmino attributas in variis Galliarum civitatibus. Verum in illis nihil invenio, quod fidem superet, si verba scriptoris benigne magis quam stricte interpretari velimus. Addit rursum Tillemontius, et recte meo quidem judicio, plura alia in illis Actis occurrere, quibus eorum fides minuitur. Ego nihil gravius invenio, quam sit ætas auctoris, qui forte duobus seculis post S. Firminum floruit, forte etiam fere tribus. Quæ vero se offerent minus probabilia, in Annotatis assignabo. Ex dictis colliget studiosus lector, me Acta S. Firmini non habere ut primigenia, et certæ in omnibus fidei; sed solum ut probabilia, et admittenda in iis, quibus gravior auctoritas aut ratio non resistit.

7. Præter Acta jam dicta, extant etiam quædam Actorum compendia. Tale habemus unum ex Ms. Lectionario ecclesiæ Audomarensis, alterum ex Ms. Ultrajectino, plura in Breviariis Ambianensibus pro lectionibus officii concinnata. Verum ejusmodi compendia, cum fuerint ex Actis contracta, et aliquando non sine erroribus, nequeunt prodesse, nisi ad judicandum de diversitate lectionum, ubi codices dissentiunt, eumque in finem subinde laudabuntur in Annotatis. Extat etiam Sermo in Festivitate S. Firmini habitus, cujus principium est: *Auxiliante Dei omnipotentis misericordia &c.* Habetur hic Sermo in codice nostro olim Valcellensi, et video ex eo aliqua saltem adoptata esse in vetustis Breviariis Ambianensibus pro lectionibus officii per octavam. Verum dictus Sermo parum nobis prodesse poterit, cum sit pro majori parte moralis, aut generales enuntiet laudes. Nequit etiam multum auctoritatis habere, cum pluribus seculis post martyrium S. Firmini fuerit compositus ad imitationem cujusdam Sermonis S. Leonis de S. Petro. Demum compendium Actorum S. Firmini martyris dedit Vincentius Bellovacensis in Speculo lib. 12. cap. 79.: alterum Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib. 8. cap. 119. Uterque videretur Acta antiqua habuisse; sed neuter ea accurate contraxit.

## S. I I.

*Patria S. Firmini: vite qualiscumque chronotaxis: (\*)  
tempus martyrii.*

8. **D**e patria *S. Firmini* multis disserendum non est, cum omnia Actorum exemplaria consentiant, natum esse Pompeione in Hispania, sive in Iberia, ut Hispania etiam nominabatur ab antiquis. Hodiernum urbis nomen Hispanis est *Pamplona*, Gallis *Pampelune*, nomenque in codicibus Mss. varie expressum, ad illa magis accedit, quam ad antiquum Latinum, quod est *Pompelon* aut etiam, ut nonnulli volunt *Pompeopolis* a Pompeio instauratore urbis. Apud Petrum de Natalibus lib. 8. cap. 119. fuisse legitur *ex civitate Hibernia, quæ dicitur Pampilonia*. Urbis nomen ostendit ex *Iberia*, pro quo *Hiberia* multi scripserunt, errore satis vulgari unius literæ interpositione scriptum fuisse *Hibernia*. Non inquiri, illene error sit ipsius Petri, an editorum Operis ipsius: solum moneo, adoptatum fuisse a quibusdam recentioribus, sed magis esse apertum, quam ut longiore refutatione opus sit.

9. Circa ætatem *S. Firmini* longissime a vera chronotaxi aberrarunt plerique scriptores Hispani et aliquot Galli præcedentium seculorum. Bollandi verba, eorum opiniones referentis, rescissis tamen brevitatis gratia nonnullis, huc traduco. „Prudentius Sandovallius, episcopus Pampelonensis, in „suorum catalogo decessorum *S. Firminum* oppetiisse martyrium scribit anno Christi 80, haudquaquam probabili com- „pato, etsi foret *S. Saturninus*, primarius Pampelonensium „apostolus, ab ipso (quod ille minime dubium censet) *S. „Petro Tolosam*, et in Hispanias missus. Joannes Marieta „lib. 1. Ecclesiast. Hist. Hispan. cap. 16, imperante Traja- „no, retulisse *Firminum* martyrii lauream affirmat, annum „certo definiri non posse. Chronicon Hispaniense ab impe- „rito rhapsodo contextum, quod temere atque injuriose Fla- „vio Dextro viro doctissimo recentiores quidam adscribunt ad

(\*) Cave, Lector, quidquam statuas de ætate *S. Firmini*, quin prius con-  
feras, quæ hæc s. dicuntur, cum iis, quæ toto libro I. diximus.

„ad annum Christi 110. num. 3. ita habet: *S. Firminus Pam- „ pelonensis civis et episcopus, discipulus S. Saturnini, S. Pe- „ tri similiter auditoris, Ambiani sub Juliano praside patitur: „ prius tamen per Hispanias Toletum usque prædicans, provin- „ ciam longe lateque pervasit. Adnotat tamen in Commenta- „ rio Franciscus Bivarius, Dextrum non agere hoc anno CX. „ de eo, quasi nunc martyrium passus sit, sed quia virtutibus „ et prædicatione florebat adhuc juvenis. Similia reliqui fere „ Hispanicarum rerum scriptores tradidere. Piget hic omnes „ referre, quia cum *S. Firmini* Actis carerent, neque certas „ haberent, quibus stylum regerent, notas, in multis hallu- „ cinatos haud mirum. „*

10. Mox tamen etiam laudat Ambrosium Morales et Joannem Mariana, qui ad Decii fere imperium vitam protraxisse *S. Firminum* conjecerunt. Hæc Bollandus, ex cujus verbis de Chronico pseudo-Dextri facile videbit lector, non aliud fuisse ejus de illo judicium, quam omnium majorum nostrorum. Ille vero mox pergit ad fontem tot errorum detegendum. Habebant Hispani Acta *S. Saturnini* fabulosissima, quæ *S. Saturninum* faciebant ex septuaginta Christi Discipulis. Hæc autem cum vera crederent aliqui, non poterant non *S. Firminum* *S. Saturnini* discipulum ad seculum Christi primum, aut secundum referre, illi præsertim, qui fictitia Chronica pro verbis habebant. Galli etiam non pauci crediderunt ex Actis vitiosis, *S. Saturninum* a *S. Petro* Apostolo in Galliam fuisse missum. Hinc Petrus Louvet in Historia Bellovacensi lib. 2. cap. 5. mortem *S. Saturnini* figit anno 70., et *S. Firmini* sub Antonino Pio, id est, circa medium seculi secundi. Verum, posteaquam Acta *S. Firmini* edita fuerunt a Bosqueto, et meliora *S. Saturnini* a Surio, critica etiam arte interim magis recepta, dicti errores paulatim cesarunt, et eruditi passim agnoverunt, martyrium *S. Saturnini* figendum saltem non esse ante Decium, sive ante medium seculi III; quamvis de certo martyrii anno necdum consenserint. Quapropter huc non transfero, quæ disputavit Bollandus ad confutandos errores jam dudum desertos.

11. Cum autem quidam eruditus Pampelonensis, cujus humanitati satisfacere desidero, in observationibus huc nuper-

rime missis, instanter rogaverit, ut considerarem pro ætate, et episcopatu *S. Firmini* ea, quæ Josephus de Moret de iis deseruit in Opere Hispanico, cui titulus *Investigationes historica antiquitatum Navarra*, post visum Ms. Bollandi commentarium; non possum non breviter aliqua de ætate *S. Firmini* huc transferre, et pauca, de conatu laudati scriptoris observare. Itaque uno solum utor argumento quo constet, *S. Firminum* vixisse post medium seculi III; non primo aut secundo seculo. Fuit *S. Firminus* S. Saturnino posterior, et baptizatus a S. Honesto, S. Saturnini discipulo, ut omnes tam antiqui quam neoterici admittunt. Atqui de ætate S. Saturnini ex S. Gregorio Turonensi, et probatis S. Saturnini Actis tam certo constat, ut nomen eruditi critici non mereatur, si quis hoc tempore S. Saturninum a medio seculi III. multum amovere, et ad aliud seculum transferre contendat: quemadmodum facile probari poterit ad XXIX. Novembris. Nullum igitur superest prudens dubium, quin *S. Firminus* flourerit post medium seculi III. (\*).

12. Ut vero laudatus Moretus in dicto Opere lib. I. cap. 10. aliam voluerit stabilire chronotaxim, qua S. Saturninus Apostolorum fit discipulus, eique suppar *S. Firminus*, non aliunde evenit, quam quod scripserit eo tempore, quo crisis Historica nondum satis erat perfecta; maxime in Hispania. Hinc Moretus vix distinguit inter documenta probata et fabulosa aut supposita. Laudat plura Acta S. Saturnini apertissimis fabulis foedata. Laudat supposititium et fictum *Dextri Chronicon*, cum aliquo quidem scrupulo, quem tamen eximere laborat. Laudat æque fictitia *Additamenta Maximi*, et quidem sine ullo scrupulo sub nomine S. Braulionis *Cæsaraugustani*. Breviariis et scriptoribus recentioribus eam attribuit auctoritatem, quam non merentur, ut ex illis Gregorium Turonensem et Acta probata velit corrigere. Fultus autem documentis jam relatis, partim fabulosis, partim omnino fictitiis, nititur aliqua invenire in Actis probatis et in Gregorio Turo-

(\*) Omnino negamus minorem propositionem hujus syllogismi: neque Petrus de Marca, uterque Pagius, Musantius, et alii plures ipsam negantes ab eruditorum criticorum choro dejecti propterea sunt. Vide not. præced.

Turonensi, quæ ratiocinando in suam valeat trahere sententiam, ut ea claris ipsorum assertis opponat, et documenta illa sibi non contraria ostendat. Hæc ratiocinandi methodus ostendit, auctorem non caruisse ingenio subtili; sed non satis imbutum fuisse arte critica, qua falsa aut dubia documenta a veris certisque distinguuntur, nec lubet omnia ejus ratiocinia excutere.

13. Nihilo magis inquirere lubet, an certus martyrii S. Saturnini annus inveniri valeat, quod fiet ad XXIX. Novembris, ubi de S. Saturnino erit disputandum. Satis ad propositum nostrum erit ostendisse, martyrium S. Saturnini ab eruditissimis figi inter annum 250 et 260. Baronius in *Martyrologio Romano* martyrium S. Saturnini *temporibus Decii* collocat, uti et in *Annalibus* ad annum 254, et quidem consulibus *Decio et Grato*, quorum consulatum ille figebat anno 252., sed Pagio, aliisque recentioribus is est annus 250. Tillemontius tom. 3. in S. Saturnino, missionem hujus sancti episcopi in Galliam anno 250. figendam credit, martyrium vero aliquot annis serius contigisse anno incerto. Hanc opinionem sequitur Bailletus ad XXIX. Novembris in S. Saturnino, aliique plures. Castellanus in *Martyrologio* ad XXIX. Novembris martyrio S. Saturnini assignat annum 258. Joannes de Ferreras in *Historia Hispaniæ*, quæ anno 1700. Hispanice impressa est, martyrium S. Saturnini refert ad annum aliquem anno 254. posteriorem: nam anno 254. narrat adventum S. Honesti, et mox S. Saturnini in Hispaniam, conversionemque Firmi senatoris, qui pater erat *S. Firmini*, ut certo crediderit, S. Saturninum post illum annum martyrio coronatum. Hunc laudo, ut liqueat, non minus doctiores Hispanos, quam Gallos, modo agnoscere S. Saturninum non primo aut secundo seculo flourisse, et prædicasse, sed circa medium seculi III. Hæc autem sententia certa est, solidisque argumentis confirmabitur in S. Saturnino, ubi et de anno martyrii plura disputari poterunt, simulque investigari, utrum epocha anni 250., Actis S. Saturnini inserta, de missione, an de martyrio intelligenda sit.

14. Ex dictis vero abunde colligitur, conversionem Firmi, patris *S. Firmini*, relatam in Actis num. 1. et seq. contigis-



tigisse circa medium seculi III, id est, annis non multis ante 250. si hoc anno S. Saturninus palmam adeptus est; aut aliquot annis post 250, si tunc Saturninus primum venit in Galliam. Deinde Acta num. 7. agere incipiunt de S. Firmi-  
no, clareque insinuant, eum longe abfuisse ab anno ætatis suæ decimo septimo, dum conversus fuit Firmus pater ipsius. Cum enim *esset decem et septem fere annorum*, litteris, et doctrina Catholica instructus erat ab Honesto, et jam ante erat baptizatus. Quare Acta prorsus innuunt, non nisi infantem aut puerulum fuisse tempore conversionis paternæ, præsertim cum non dicatur cum patre suo baptizatus. Imo Acta dubium relinquunt, annon fuerit natus post patris conversionem: de ejus enim nativitate agitur post relatam Firmi conversionem, ut certo statui nequeat, natusne fuerit ante patris conversionem *Firminus*, an postea. Quare conjectura fieri potest late extendenda de nato S. Firmino circa medium seculi III. Si autem natus est circa 250, episcopus fuerit creatus circa 280, cum circa trigesimum primum ætatis annum dicatur num. 10. patriam suam reliquisse, *non post multum temporis* a suscepta consecratione episcopali.

15. In prædicatione Evangelii tum reliquam vitam consumpsit. At exacte computari nequit, quot annos Apostolicis illis laboribus impenderit, cum verisimile sit, eum in variis locis diutius mansisse, quam insinuat auctor Actorum, qui junior fuit, quam ut accuratam laborum S. Firmini chronotaxim conscribere valeret. Didicerit forte ex traditione, aut ex scriptis antiquioribus, quibus maxime in locis Evangelii semina jecerit; sed certe claram et distinctam non habuit notitiam de tempore, quo in singulis urbibus manserit. Ne commorationem quidem Ambianensem scriptori Actorum satis notam fuisse existimo. Nam paucis diebus multos ibi conversos memorat, omniaque sic enarrat, ac si vix aliquot hebdomadis aut mensibus Ambianis prædicasset. Verum, cum S. Firminus habeatur primus Ambianensium apostolus et episcopus, fidesque ab eo ibidem plantata firmas egerit radices, uberemque tulerit fructum, magis existimo, Sanctum annis aliquot in ea civitate prædicasse, et sic facile intelligemus, *tria fere millia* hominum, ut asserit auctor num. 12., a San-

cto

cto converti potuisse Ambianis; interque illos familias aliquas præcipuas, et illustres.

16. Scriptor Actorum, qui *tribus continuis diebus* tot millia dicit conversa, fidem suam in similibus maxime suspectam reddidit, dum num. 5. asseruit, tridui prædicatione a S. Saturnino conversa esse Pompelone *fere quadraginta millia*, imo et baptizata. Tanta hominum ad fidem conversio forte inchoata fuerit a S. Saturnino, et ab ejus discipulis continuata. At noster hic scriptor videtur libenter magna exiguo tempore innexuisse, si non ipse rebus gestis, quas acceperat, tempora etiam affinxerit pro suo ingenio. Quapropter non solum tribus aut quatuor annis fidem a S. Firmino in Galliis disseminatam existimo, ut insinuare videtur biographus, si quis verba ejus stricte interpretari voluerit, sed multo pluribus. Etenim primum num. 10. legitur prædicasse Agenni in Aquitania ad Garumnam fluvium, ibique populum docuisse *aliquantis diebus*. Inde num. XI. dicitur profectus in Arverniam, et *plurimam partem illius terra* ad Christi fidem convertisse. Hoc autem si verum est, necesse est diuturnam fuisse Sancti in Arvernia commorationem. Ex Arvernia auctor *Firminum* ducit ad provinciam Andegavensem, ibique anno et tribus mensibus eum mansisse, et *maximam partem illius provincia* ad fidem perduxisse asserit. Tanta illius provinciæ conversio non est incredibilis, si civitas Andegavensis suum jam habebat episcopum, ut auctor secundum omnes codices Mss. asserit. Jam vero, si similem laborum suorum fructum collegerit in Arvernia, ut affirmat auctor, verisimile fit, ibidem quoque ultra annum fuisse commoratum. Hisce vero si addamus moram Agennensem, et itinera satis prolixa, quibus verisimiliter moras aliquot breviores in aliis urbibus Sanctus interposuit, habebimus jam tres fere peregrinationis ac prædicationis annos, et fortasse plures, cum scriptor multa omittere potuerit, ea que solum videatur narrasse, quæ vel ex antiquioribus documentis, vel ex traditione acceperat.

17. Ex Andibus deinde recta profectus dicitur ad urbem Bellovacensem, longo rursus terrarum intervallo dissitam. Hac in civitate dicitur prædicasse, carcerem et flagrapertulisse, ac demum ecclesiam extruxisse. Prædicatam a S.

Firmi-

*Firmino* fidem Bellovacis, consentiunt Bellovacenses, et Ambianenses. At Morlierius in Antiquitatibus civitatis Ambianensis lib. 2. pag. 158. existimat, Sanctum duntaxat Bellovacos transivisse, statimque venisse Ambianum, atque ibi statuisset sedem episcopalem; deinde vero ad civitatem Bellovacensem rediisse; ejusque etiam curam habuisse. Incerta admodum est hæc conjectura, et Actis clare contraria, cum dicatur ad urbem Bellovacensem recta se contulisse ob persecutionem ibi exortam; multaque in eadem persecutione passus asseratur. Quo autem tempore Bellovacem excitata fuerit illa persecutio, nimirum utrum sub Aureliano circa 273, an sub primis annis Diocletiani circa 285, an sub imperatore quodam illis intermedio, Acta nullo indicio insinuant. Attamen ipsa persecutio plane evincit, prædicatam ibi fuisse fidem ante adventum *S. Firmini*, verisimiliter a *S. Luciano*, qui primus Bellovacorum habetur apostolus, et ibidem martyrio coronatus est. Sanctum notabili tempore mansisse in ea civitate, innuunt gesta ipsa, maxime constructa ecclesia, *Mauritius du Prè* Ordinis Præmonstratensis in Vita Ms. Gallica, cujus excerpta aliqua ad Bollandum fuerunt missa, voluit aliquot annos prædicationi Bellovacensi *S. Firmini* attribueret. Fuit etiam a nonnullis catalogo episcoporum Bellovacensium insertus, ut refert *Loisellius* cap. 3. pag. 66. illam opinionem reprobans. Laudatus *Mauritius du Prè* credit, *S. Lucianum* Bellovacem martyrio coronatum sub Aureliano: de quo si mihi constaret, existimarem, eo venisse *S. Firminum* post mortem *S. Luciani*. At hanc alii figunt sub initium Diocletiani circa 286. aut 287.

18. Quidquid porro sit de tempore, quo *S. Firminus* ad Bellovacenses venit, ex ea tandem civitate Ambianum venisse tradunt Acta, ibique martyrio coronatum. *Mauritius du Prè* illum adventum figit tempore *Probi* imperatoris anno 277, vultque eum Ambiani et in vicinis locis ac oppidis prædicasse annis duodecim. Conjecturæ illæ sunt non quidem omni prorsus verisimilitudine carentes; sed quæ nullo tamen argumento probari valeant. Acta tempus prædicationis apud Ambianenses non definiunt, eoque omnia enarrant modo, ac si paucis potius mensibus, quam multis annis ibi prædicasset.

set. Attamen existimo, aliquot annis Ambiani prædicasse *S. Firminum*, cum illius urbis episcopus et apostolus communi omnium judicio habeatur, eaque ibidem fidei Christianæ semina jecerit, quæ uberem ad nostra usque tempora fructum protulerunt. Quot vero annis ecclesiam suam instruxerit, nulla ratione edicere possumus; et nihilo magis, quot annorum fuerit totus prædicationis *S. Firmini* per Galliam decursus. Nam Acta non vetarent, illum quatuor aut quinque annis circumscribere, si aliunde de tanta brevitate constaret. Acta rursus facile exponi possent, si documenta antiqua haberent, ad annos decem, quindecim, aut etiam viginti et plures apostolicis laboribus insudasse *S. Firminum*. Quare ab annis illis determinandis prorsus abstinere. Solum moneo, annum martyrii non dependere a pluribus aut paucioribus prædicationis annis; sed tanto citius natum fuisse *S. Firminum*, tantoque provecioris fuisse ætatis, quanto diutius prædicaverit.

19. De tempore martyrii variæ sunt auctorum sententiæ. Mitto jam illos, qui olim *S. Firminum* ad seculum primum aut secundum retulerunt. Satis etiam refutati sunt, qui circa *Decii* tempora martyrem fecerunt. Eruditi Benedictini, qui Galliarum Christianæ editionem continuant tom. 10. col. 1150. plures enumerant aliorum sententias, et de Actis ita loquuntur: Acta apud *Bosquetum* (martyrium *S. Firmini* referunt) ad annum CCLVIII. sub *Decii*, et *Valeriani* nuncupata persecutione, licet initio de *Diocletiani* et *Maximiani* persecutione loquantur. Acta Ambianensia ad *Diocletianum* et *Maximianum*, nulla anni facta mentione. Verum hæc accurata non sunt: neque enim in Actis apud *Bosquetum* ullius anni fit mentio, nec *S. Firminus* ibi dicitur passus in persecutione *Decii* et *Valeriani* dicta, sed solum edicta *Decii* et *Valeriani* laudantur, quod fieri poterat, etiamsi imperatores illi dudum essent defuncti, ut ipsi agnoscunt laudati scriptores his verbis: Quia tunc (sub initium *Diocletiani*) sola *Decii* et *Valeriani* edicta contra Christianos vigeant, et persecutio a *Maximiano* in Gallis incepta anno CCLXXXVI. promulgationem edictorum, ab ipso et a *Diocletiano* factorum, longe præcesserat. Si hæc vera sunt, ut sunt verissima, et dudum a nobis observata in *S. Firmino* confessore ad 1. Septembris, non

video, cur iterum Actis affingatur error, perperam ipsis imputatus a Tillemontio. Certe quæ vera sunt, quando firmanda est chronotaxis Tillemontii, non fient falsa, quando aliam ejus lapsum ostendunt. Quapropter Acta, prout a Bosqueto edita sunt, et in pluribus leguntur codicibus, non ad Decii aut Valeriani, sed ad Diocletiani et Maximiani tempora martyrium S. Firmini referunt. Ambianensia vero, quibus unus ex codicibus nostris, et plures alii consentiunt, ut accepi ex litteris Ambianensibus, Ambianensia, inquam, nullius imperatoris nominatim faciunt mentionem, ut videri poterit ex nostra editione. Ceterum opinio de anno 258. non est ulterius refutanda, cum fundamento careat, et eo anno forte puer esset *Firminus*, aut certe necdum episcopus.

20. Nihilo magis fundata est sententia Malbranci de Morinis tom. 1. pag. 616. ubi figit martyrium S. Firmini anno 268., et præter conjecturas minime urgentes nihil allegat. Juvenis verisimiliter eo anno erat *Firminus*, et probabilius necdum episcopus, ut satis colligitur ex dictis de natali tempore. Eruditus quidam Ambianensis, cujus Dissertatio Ms. mihi anno 1746. missa fuit, credidit sub Aureliano passum esse S. Firminum, et chronotaxim hoc modo disponendam. Credamus, inquit, Firmum S. Firmini patrem fuisse conversum a S. Saturnino circa annum 255., eo tempore *Firminum*, annos natum 17., traditum fuisse S. Honesto erudiendum, eumque post septem studii annos, sive anno 262. missum fuisse Tolosam ad S. Honoratum, ab eoque ordinatum episcopum, deinde ætate annorum triginta et unius anno 266. profectum fuisse in Galliam: sic post quatuor aut quinque prædicationis annos martyrio fuerit coronatus anno 272., aut 273. antequam edictum Aureliani in Galliam fuerat perlatum. Præcipua ratio, quæ viro eruditissimo persuasit, tali fere modo ordinanda esse S. Firmini tempora, petitur ex silentio de edicto Aureliani. Neque enim, ut observat, Sebastianus præses citasset sola edicta Decii et Valeriani, omisso edicto Aureliani, si hoc fuisset promulgatum. Hæc ratio vim haberet, si constaret, edicta Aureliani similia fuisse edictis Decii et Valeriani, atque ubique promulgata. At de promulgatione illa merito dubitamus; nec scimus, an eadem suis edictis con-

tra Christianos præcipere voluerit Aurelianus cum Decio et Valeriano.

21. Quam sit dubium, an edicta Aureliani per Galliam fuerint promulgata, liquet ex Eusebio et Lactantio. Eusebius lib. 7. cap. 30. docet, Aurelianus initio imperii bene affectum fuisse erga Christianos; sed mutatum circa finem vitæ persecutionem movere voluisse, sic tamen loquitur, ut videatur dicere, divina ultione prohibitum fuisse quominus edictis contra Christianos subscriberet. Lactantius de Mortibus persecutorum cap. 6. insinuat, edicta fuisse scripta, et ad aliquas provincias missa, sed non ad magis remotas, dum ita loquitur in Aureliano: *Verum illi ne perficere quidem, qua cogitaverat, licuit; sed protinus inter initia sui furoris extinctus est. Nondum ad provincias ulteriores cruenta scripta pervenerant, et jam Cænostrurio, qui locus est Thracia, cruentus ipse humi jacebat, falsa quadam suspitione ab amicis suis interemptus.* Hæc dubium faciunt, an in Gallia Belgica edictum Aureliani unquam fuerit promulgatum, aut executioni datum. Non quidem negavero, edictum eo etiam pervenire potuisse post mortem Aureliani, sed mortuo imperatore, præsides provinciarum poterant edictum facile suppressere, si persecutionem ipsi movere non cupiebant, quales proculdubio multi erant. Itaque dubia admodum est edicti promulgatio. Deinde, etiamsi constet, edictum fuisse latum contra Christianos; non novimus, an illud satis conducere ad propositum præsidis Sebastiani, qui ea protulit Decii et Valeriani edicta, quibus omnes sacrificare idolis cogebantur, aut mortem post varia tormenta subire. An tale fuerit edictum Aureliani, nescimus. Si autem tale non fuerit, mirari non debemus, de eo tacuisse præsidem, etsi illud habuisset. Tertio eruditissimus dominus, cujus opinionem expendo, credit Diocletiani et Maximiani nomina fuisse Actis addita, quia in aliquot Mss. non leguntur: at in iisdem Mss. similiter non leguntur nomina *Decii et Valeriani*, ut jam tota illa ratio corruat. Nam codices, ex quibus data est editio nostra, nulla habent imperatorum nomina. Alii vero iique plures de Decii et Valeriani edictis meminerunt; sed martyrium aperte referunt ad Diocletiani tempora.

22. Quod vero spectat ad enumerationem temporum, quæ inter conversionem Firmi et martyrium filii ejus *S. Firmini* fluxerunt, ea nos deducunt ad imperium Diocletiani, nec omnia contingere potuerunt ante edictum Aureliani. Gratis dicitur *Firminus* septemdecim fuisse annorum, dum conversus est Firmus. Si eam habuisset ætatem, fuisset proculdubio cum patre baptizatus, cum etiam ante eam ætatem baptizatus sit, sed verisimiliter aliquo tempore post patrem. Patrum aut vix natum fuisse *Firminum*, ut jam num. 14. dixi, omnia insinuant. Quippe secundum Acta num. 7. *cum esset decem fere et septem annorum*, non coepit instrui, sed erat *litteris et doctrina Catholica instructus*, et tunc *coepit religionis studio proficere*; huic vero profectui septem attribuuntur anni, post quos ipse alios docere coepit, nimirum dum viginti et quatuor fere erat annorum. Tota igitur instructio per *S. Honestum* dicitur facta, antequam septemdecim annorum esset: ante hanc instructionem præcessit *Firmini* baptismus; nam dicitur *Honesto* presbytero instruendus traditus, *quia et antea in baptismo filius ejus erat*. Si modo quæramus, cur non statim post baptismum *Honesto* commissus sit instruendus, non alia occurret ratio, quam quod puer esset, nec eam haberet ætatem, qua litteras et doctrinam Catholicam satis caperet. Erat igitur puer aut decennis, aut decenni minor, quando baptizatus est, nescimus quanto tempore post patris conversionem. Præterea *S. Honestus* dicitur num. 8. *senectutis tempore gravatus*, dum *S. Firminus* annos natus viginti quatuor ad ignorantes docendos ab eo mittebatur. At initio Actorum, ubi de conversione Firmi agitur, *Honestus* non exhibetur ut senex, sed ut florens ætate presbyter, et Saturnini discipulus. Itaque non septem tantum anni a conversione patris fluxerunt, dum viginti quatuor annorum erat *Firminus*, sed forte viginti, aut etiam plures.

23. Quare si Actis inhærere velimus, ne decem quidem annos *Firmino* tribuere possumus, quando conversus est pater; eaque de causa, etiam si eam conversionem figere velimus anno 250. non poterit natalis *S. Firmini* merito locari, nisi post annum 240. Cum autem ageret annos triginta et unum, quando venit in Galliam ad prædicandum; hæc præ-

dicatio coepta non fuerit, nisi post annum 271., et sic, licet prædicatio tantum tenuisset annos quatuor aut quinque, ut vult auctor dictæ chronotaxis, semper martyrium *S. Firmini* figendum est post decretum et mortem Aureliani, anno 275. defuncti. Verum probabilius est, *S. Firmini* natalem viciniorum fuisse anno 250., quam 240.; et sic initium prædicationis figendum circa 280., martyrium vero sub Diocletiano et Maximiano, quorum primus imperium adeptus est anno 284. alter biennio serius ab illo collega electus est. Attamen non existimo, passum esse *S. Firminum* in generali persecutione coepta anno 303., ad quem num. 130. Sancti martyrium narrat Baronius. Acta etiam non sinunt, ut credamus passum esse sub præside Rictio Varo, ut asserit Vsuardus in Martyrologio, et cum eo Baronius.

24. Hoc unum dici posse videtur, passum esse prioribus annis Diocletiani et Maximiani simul imperantium, verisimiliter antequam Constantius cæsar Galliam administrabat. Tillemontius tom. 5. in Persecutione Diocletiani art. 2. martyrium *S. Firmini* refert ad annum 287. At non invenio rationes idoneas, quæ magis militent pro illo anno, quam pro sequentibus usque ad 292., quo Constantius venit in Galliam. Quare malim Sancti martyrium late figere circa annum 290. Hæc epocha ceteris probabilior apparet, quia paucissimi in Gallia fuerunt martyres, administrante eam Constantio, etiam in persecutione generali: et quia persecutio aliqua in Gallia fuisse videtur notabili tempore ante martyrium *S. Firmini*, qui in ea Bellovacæ carcerem et flagra pertulisse dicitur num. XI. Si hæc sit persecutio a Maximiano circa 286. in Galliis suscitata, in qua partes suas crudelissime egit Rictius Varus, ut satis est verisimile, passus fuerit *S. Firminus* post mortem Rictii Vari sub alio persecutore, ut habent Acta, ideoque nec primo nec secundo illius tempestatis anno, sed anno incerto circa 290. (\*)

S. III.

(\*) Multa præclare observata sunt in chronotaxi recitata; sed ruinoso eadem fundamento innixa, sustineri nequit, ut toto cap. VII. lib. I. ostensum est.

## S. I I I.

De episcopatu S. Firmini, et aliquot  
successoribus. (\*)

25. **D**e dignitate episcopali S. Firmini nullum debet esse dubium, cum Acta num. 9. testentur, episcopum consecratum, atque huic Actorum testimonio accedat vetustissima traditio plusquam mille annorum, multis documentis declarata. Quapropter apertus est lapsus Petri de Natalibus, a quo *presbyter* solum vocatur, nec natus dubitationem ingerere, cum ille reliquis omnibus sit contrarius, et non raro a vero aberret. Verum dubitari potest, an pro aliqua nominatim ecclesia consecratus fuerit episcopus. Pompelonenses S. Firminum inseruerunt catalogo suorum episcoporum, et primum ecclesie suae faciunt antistitem: idem similiter fecerunt Ambianenses; nec tamen duarum simul ecclesiarum episcopus fuisse videtur. Prudentius Sandovallius in Catalogo episcoporum Pompelonensium primum ponit S. Firminum, sed addit: *Quot hanc ecclesiam annos gubernarit, in obscuro est. Haud tamen facile inducar, ut credam, biennio solux hic commoratum, cujus esset ita necessaria opera ad disseminandam in adeo ampla provincia fidem. Hinc Tolosam revertit, atque in Galliam ingressus, gentes plurimas doctrina Christiana imbuat, multa perpessus aspera, qualia plerique ecclesiae primitivae doctores. Tandem Picardiae metropolim Ambianum, quam nunc Franci Amiens vocant, convertit. Illic domicilium fixit, habeturque primus ejus urbis antistes atque apostolus etc.* Mitto reliqua Sandovallii asserta, in quibus non raro labitur; sed illi errores ex Actis facile corrigi possunt. De episcopatu Pompelonensi scriptores quoque alii Sandovallio consenserunt; sed hos enumerare longum magis esset, quam utile, cum res ipsa veniat examinanda.

26. Si S. Firminus pro aliqua ecclesia nominatim ordinatus

(\*) De Episcopatu Pompelonensi, quem S. Firmino hic denegant Bollandiani, nullum jam restat dubium post Riccardiana Acta detecta, quae libro I. cap. VI. dedimus. Vide diatribam nostram de eo ad Commentarii hujus calcem.

natus fuisset episcopus, plane verisimilis esset opinio Sandovallii; cum Pompelone fuerit Tolosam missus, indeque, accepta manuum impositione, Pompelonem redierit, ubi aliquo tempore, forte mensibus aliquot, mansit. Verum Acta num. 9. clare indicant, consecratum fuisse, *ut verbum vita, et salutis gratiam in gentibus praedicaret.* Hinc S. Honoratus ad eum dixisse scribitur. *Perge igitur in dispersionem gentium etc.* Haec non significant, episcopatum Pompelonensem Firmino creditum fuisse, ubi S. Honestus cum aliis, quos ibi verisimiliter discipulos habebat, interim utcumque sufficere poterat; sed pergendum esse ad gentes, quibus fides praedicata necdum erat, aut quibus certe idonei deerant doctores. Eventus Actis consentit, cum constet S. Firminum non diu Pompelone mansisse: et semper magisque ab ea Urbe recessisse ad eas Galliae partes, quibus fidei Christianae doctores erant necessarii. Accedit Actorum silentium: neque enim taceri debebat, si consecratus fuisset S. Firminus pro ecclesia aut urbe aliqua particulari. At Acta non modo de ea silent; sed oppositum etiam asserunt. Hinc Ambianenses, opinor, non contendunt, de Ambianensi urbe cogitatum fuisse, aut pro ea nominatim consecratum fuisse S. Firminum, quando manuum impositionem accepit. Ob rationes jam datas laudatus ante Ferreras in Historia Hispaniae episcopatum Pompelonensem S. Firmino plane abjudicat, eique Ambianensem non negat.

27. Bollandus in suo Commentario existimat, pro nulla nominatim ecclesia consecratum fuisse S. Firminum, eamque opinionem aliquot argumentis confirmavit. Communicatum habuit Bollandi Commentarium laudatus supra Moretus, et ex eo hausit, quantum voluit; quod vero ecclesiae Pompelonensi minus honorificum credit, fuisse conatus est refutare, ut jam dixi de aetate SS. Saturnini et Firmini, et nunc dicendum est de episcopatu Pompelonensi, quem omnibus viribus Sancto Firmino asserere nititur Moretus. Hic ea sibi refutanda elegit Bollandi argumenta, quae voluit, omisis nonnullis, ex quibus discere potuisset, quam fragilibus episcopatus S. Firmini nitatur fundamentis. Facile amori patriae hoc condonabimus; sed omnem veritati patriam postponimus,

nimus, ideoque fundamenta Moreti quam solida sint, juvabit examinare, maxime cum ad illum nos remittat vir amicissimus, et eruditus: cumque hæc Moreti opinio non tam aperte sit improbabilis, quam rejecta superius de ætate. Quare sequar hic presse Moretum, qui refutationem Bollandi orditur a pag. 194., ut videamus, an *levissima sint*, ut ait, *fundamenta Bollandi*, cujus alias eruditionem multum commendat. (\*)

28. Dixerat Bollandus in Commentario: *Quo autem jure ei (S. Firmino) licuit Pampelonensem ecclesiam, sponsam suam, relinquere; inque longinquas gentes tendere, si illi erat a S. Honorato præfectus.* Verum multa recitaverat ex Actis, ex quibus illius argumenti vis crescit; antequam ita ratiocinaretur. At Moretus, omissis Actorum verbis, ad relata Bollandi verba solum respondet. Quare argumenta priora repetit. Vita edenda num. 9. habet, *S. Firminum* ordinatum episcopum, *ut nomen Domini in Occidentis partibus prædicaret.* Atqui prædicare in Occidentis partibus, non est prædicare in urbe sola Pompelonensi. Non est igitur urbi Pompelonensi ordinatus episcopus, sed partibus Occidentis, quibus prædicatio ejus videretur necessaria. Secundo Acta asserunt, episcopum ordinatum esse, *quia ad hoc prædestinatus esset a Domino, ut verbum vite et salutis gratiam in gentibus prædicaret.* Atqui ad prædicandum in gentibus non erat necessarius episcopatus Pompelonensis; sed magis episcopatus Apostolicus nulli loco affixus. Tertio S. Honoratus *Firmino* ordinato dixit: *Perge itaque in dispersionem gentium.* Atqui pergere in dispersionem gentium non est ire Pompelonem, ejusque ecclesiæ curam habere. Quarto *Firminus* Pompelonem ad S. Honestum reversus non dixit, curam Pompelonensis ecclesiæ sibi mandatam ab Honorato, sed ab eo sibi præceptum, *ut verbum prædicationis et nomen Jesu Christi in dispersionem gentium annuntiaret.* Hæc omnia recitavit Bollandus, ac præcipuum ex iis argumentum et primum desumpsit. Tum adjungit ipsam mandati executionem, ad quam *S. Firminus*, relicta

(\*) Fundamenta Bollandi si minus levissima, imbecilla certe esse, post excerptum Commentarium integrum de S. Firmino, evidenter, ni fallor, probabimus.

licta patria, perrexit in Galliam, idque non post multum temporis a sua consecratione. Hæc Bollandi argumenta maluit indicta relinquere Moretus, quam attingere, aut refutare, cum tamen et prima sint et præcipua, ut sola sufficiant ad episcopatum Pompelonensem *Firmino* abjudicandum, præsertim cum nulla in Actis fiat mentio de prædicato ibidem Evangelio post susceptam consecrationem, et solum eo videatur reversus ad parentibus valedicendum, et de necessariis ad peregrinationem sibi providendum.

29. Post hæc petiit Bollandus, quo jure licuerit *S. Firmino* sedem suam relinquere, si pro ea erat ordinatus. Etenim si Honoratus illum Pompelone judicasset necessarium, non permisisset, ut post non multum temporis inde recederet. Frustra igitur facultatem illam ab Honorato repetit Moretus in sua opinione. Voluit revera Honoratus, ut apud varias gentes prædicaret *Firminus*; sed, quia id voluit, non ordinavit eum pro Pompelonensi ecclesia, sed pro gentibus necdum conversis. Tertium argumentum Bollandus ita proposuit. *Demus tamen, licuisse S. Firmino ecclesiam suam relinquere, facultate a Romano Pontifice hujusve legato Honorato obtenta; cur non illi ecclesia, si jam in ea erat sedes pontificia erecta, aliis præpositus est antistes, saltem post S. Firmini martyrium? Primus enim, cujus mentio uspiam extet, Pompelonensis episcopus Lilius est, qui concilio Toletano III, æra DCXXVII, sive DLXXXIX. Christi anno subscripsit.* Ad hoc argumentum, quod Bollandus proposuit, ut prioribus adjunctum augeat improbabilitatem episcopatus Pompelonensis *S. Firmini*, multa verba reponit Moretus, sed rationem nullam, qua verisimile fiat, omnes *S. Firmini* successores trium seculorum ignotos mansisse.

30. Ait, nomina episcoporum Hispanorum in conciliis frequenter fuisse prætermittenda. At non ex solis conciliis innotescant episcopi, sed alii sua sanctitate, alii doctrina, alii literis scriptis aut acceptis, alii aliis modis, nec desunt primorum seculorum episcopi Hispani sat multi, qui ex conciliis innotuerunt, ut prorsus mirabile sit, nullum Pompelonensem totis seculis IV. et V. ac majore parte seculi VI. innotuisse. Ait secundo, episcopatum Pompelonensem reperiri in omni-

bus antiquis divisionibus episcopatum Hispaniæ. At nihil hoc est, cum illæ divisiones non sint satis vetustæ. Nam quæ sub Wamba, id est, seculo VII, facta est divisio, certe evincere nequit, episcopatum Pompelonensem seculo VI. vetustiore esse. Quid igitur illa ad rem facit, quid aliæ recentiores? Tertio ait, in multis episcoporum catalogis, quos recenset, aliquot seculorum episcopos desiderari. Verum dixisse sufficiat, nullam diligenti inquisitione inventam ab eo ecclesiam, in qua tanto tempore nullus assignetur episcopus, quanto nomina suorum episcoporum ignorat ecclesia Pompelonensis, si *Firminum* cœpit habere episcopum, ejusque successores episcopos constanter habuit. Imo in ecclesiis, quas enumerat, imaginarios magis, quam veros, hiatus invenit, nimirum quia illas æque ac Pompelonensem suam primo seculo sive Apostolorum temporibus fundatas perperam credit, cum illæ potius seculo III. initium habuerint, saltem pleræque, quas nominat. Quare silentium de episcopis Pompelonensibus usque ad seculum VI. senescens tanto fortius urget contra Pompelonensem *S. Firmini* cathedram, quanto apertius ipsa Acta insinuant, *S. Firminum* non esse consecratum ad prædicandum Pompelonensibus ante conversis, qui habebant doctorem S. Honestum; sed ad convertendum gentes.

31. Audiamus modo argumenta Moreti ex Actis *S. Firmini* deprompta. Observat primo, *S. Firminum* Pompelone missum esse ad S. Honoratum *ut eum in episcopatus gradu, et gratia impositis manibus constitueret*. Tum vero addit conjecturam ex verisimilitudine petitam, non alterius civitatis creatum fuisse episcopum, quam illius, ex qua erat missus, in qua habebat parentes, et cui necessarius erat episcopus ob quadraginta hominum millia jam conversa a S. Saturnino. Hæc quidem verisimilia sunt, sed exiguam vim habent, cum S. Honoratus *Firmino* ordinato non legatur dixisse *Curam habe ecclesie tue Pompelonensis, sed, Perge itaque in dispersionem gentium*. Præterea reversus Pompelonem *Firminus* retulit Honesto illud ipsum Honorati mandatum. Quare parum præsidii pro sua opinione habet Moretus in ista ratione, maxime cum Christus Matth. 13. v. 57. dixerit: *Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, et in domo sua*. Nam vel sola

hæc

hæc ratio movere poterat S. Honoratum, ut *Firminum* potius ad civitates longe dissitas mitteret. Et quanto plures erant conversi Pompelone, tanto magis ibi sufficere poterat S. Honestus presbyter cum aliis, qui in tanto conversorum numero deesse non poterant, discipulis. Itaque se vertit ad aliud argumentum ex chronotaxi petitum, quod revera fortius esset, si probari posset.

32. Secundo igitur observat, *S. Firminum* suscepto episcopatu, reversum esse Pompelonem, quod certum est. Tum contendit, eum Pompelone mansisse *annis circiter quinque aut sex*. Hoc autem negamus, ut Actis contrarium. Ait ex Actis num. 7. et 8., fuisse septendecim annorum, quando erat instructus, tum alios septem annos magis profecisse, missumque fuisse ab Honesto *per vicus ad prædicandum*. Non multo autem tempore post hoc septennium figit consecrationem episcopalem, ut sic inveniat annos quinque aut sex, antequam haberet triginta fere et unum annos: qua ætate prædicationem in Gallia exorsus dicitur. Verum huic chronotaxi, quod faveat, in Actis nihil habetur. Secundum Acta *litteris et doctrina Catholica instructus erat*, dum habebat annos septendecim: *religionis studio profecit septem aliis annis, et ad virtutum calmina prominebat*. Post septem hos annos, ætate erat viginti quatuor annorum. Tum ab Honesto cœpit mitti *per vicus et suburbana civitatis ad populum docendum*. Hoc autem docendi munus quot annis obierit, non dicitur; sed in eo perseveravit, donec mitteretur Tolosam, ut consecraretur episcopus. Consecratione accepta, reversusque Pompelonem, *non post multum temporis dicitur in Galliam profectus*. Ordinatus igitur videtur, dum annos triginta impleverat ætatis, et non alia de causa reversus Pompelonem, quam ut ibi omnia ad iter, et ad obeunda munia episcopalia pararet, ac parentibus valediceret. Hac de causa Acta, quæ præcedentem ejus prædicationem *per vicus* non omittunt, de gestis tunc Pompelone pro ea ecclesia ne verbo quidem meminerunt. Quare gratis quinquennium illud aut sexennium fingitur.

33. Tertio Moretus nititur aliis auctoritatibus cathedram Pompelonensem *S. Firmino* asserere, sed æque infeliciter. Primo loco ponit S. Braulionem, qui floruit, inquit, *clap-*

sis plusquam mille annis. Novimus et veneramur S. Braulionem ejusque ætatem, sed Additamenta ad Maximum, quæ Braulionis nomine inter ficulneas merces circumferri ait Nicolaus Antonius in Bibliotheca veteri Hispana tom. 1. pag. 28. posterioribus seculis confecta esse, æque ac Chronicon Dextri, quod subjungit Moretus, etiam novimus. Post Opera illa fictitia nominat Breviaria Pompelonensia, et traditionem regni Navarræ. Quam vetusta sint illa Breviaria, non edicit. At ego dubitare nequeo, quin sint posteriorum seculorum. Etenim habeo Officia S. Firmini ex quatuor vetustioribus Breviariis Mss. fideliter nobis transmissa, nimirum ex Breviario anni 1331., ex secundo anni incerti inter 1349. et 1354., ex tertio anni 1383. et ex quarto anni 1440. In nullo autem ex his Officiis, etiamsi omnia fere sint propria S. Firmino, ulum reperitur verbum, quo vel obscure insinuetur, episcopum fuisse Pompelonensem. Itaque non admodum vetusta erunt Breviaria, in quibus illud asseritur, et traditio fortasse nihilo vetustior. Unica igitur expendenda est auctoritas aliqujus ponderis. Nam Petrus episcopus Pompelonensis, qui anno 1186. decrevit, ut festum S. Firmini solemnius, quam ante, celebraretur, ut exponam §. 10. inter rationes hanc allegat: *Quia prædictus Martyr... etiam in episcopum ejusdem civitatis asseritur ordinatus.* Verum timida hæc senescentis seculi XII. mentio de episcopatu Pompelonensi causam Moreti parum juvat: nam silentium Breviariorum, quæ recensui, omniumque scriptorum, forte usque ad seculum XVI., magis ostendit, ne ipsis quidem Pompelonensibus persuasum fuisse, S. Firminum suæ ecclesiæ fuisse episcopum.

34. Quæret modo aliquis, qua ratione S. Firminus dicatur episcopus Ambianensis, si hæc civitas, ut superius insinuavi, singulari titulo eidem non fuerit commissa. Respondeo, Ambianensem dici, quia in hac civitate ultimis vitæ temporibus prædicavit, officia episcopalia obivit, et vitam beata morte finivit. Potuit ordinari ea conditione, ut gentibus prædicaret, et post qualemcumque infidelium conversionem in civitate aliqua primaria, ubi episcopus videretur necessarius, sedem suam stabiliret. Si eo modo sedem suam Ambiani posuit S. Firminus, quod fit verisimile ex celebritate urbis, quæ

erat

erat inter primarias numeranda, ut lector intelliget ex collectis de ea tom. 10. Gallix Christianæ in ipso initio; strictissime Ambianensis fuit episcopus. Si vero sedem ibi non stabiliverit, sed cogitaverit ad alias rursum urbes proficisci: post instructos Ambianos, relictis ibi aliquot discipulis, minus quidem proprie, non tamen immerito, dicitur episcopus Ambianensis, cum saltem non processerit ad aliam urbem episcopalem; sed ibi labores episcopales, et apostolicos finierit una cum vita. Nihil igitur est, cur non dicamus, Ambianensem fuisse episcopum; etiamsi non credamus, eo titulo primum fuisse ordinatum.

35. Quod vero spectat ad successores; vacaverit annis pluribus cathedra Ambianensis, forte quod nullus ibidem esset sufficienti doctrina imbutus, qui statim posset substitui, nec aliquis forte vicinus episcopus, qui ordinaret. Certe mirandum non esset, si tali de causa episcopo caruissent Ambianenses ad annos decem aut viginti, aut etiam diutius, cum eo tempore exiguus fuerit operariorum numerus in Gallia, et multos abstulerit persecutio. Attamen non nimis diuturna videtur fuisse sedis Ambianensis vacatio, cum certe anno 346. suum haberet episcopum Eulogium. Voluit quidem eruditus aliquis Ambianensis dubitationem mihi injicere de Eulogio, an præfuisset cathedræ Ambianensi. Ratio præcipua est, quod non reperitur in catalogo aliquo Ms., qui procedit usque ad seculum XII, et in quo postremus est Gerwinus. Verum catalogus ille, cujus apographum mihi transmisit laudatus dominus, plurimis laborat defectibus, ut nequeat obesse Eulogii cathedræ, quod ibi fuerit omissus: nam et alii quidam in eodem catalogo sunt omissi, et plures inverso ordine positi. Nimirum omittitur Edibius, qui anno 511. fuit in concilio primo Aurelianensi: omittitur Teodefridus, qui certo præfuit Ambianensi ecclesiæ, vergente ad finem seculi VII., ut probavi in S. Firmino confessore tom. 1. Septemb. pag. 185. et 186.: omittitur demum ex gemino Fulcone alteruter. Duo autem consequenter Fulcones cathedram Ambianensem rexerunt seculo X. exeunte, et magna parte seculi XI. Quod vero spectat ad ordinem, post S. Firminum confessorem nullus suo loco positus est usque ad finem fere seculi



seculi VII., ubi ab Ursiniano vel Ursimano debitus ordo inchoatur.

36. Ex solis quidem Actis concilii Coloniensis, quæ aliquot vitii laborant, innotescit, Eulogium præfuisse cathedra Ambianensi; hisce tamen pro Eulogio pondus additur ex concilio Sardicensi, quod sequenti anno 347. habitum est. Nam ibi Eulogius inter episcopos Galliarum subscripsit. Quapropter Acta Coloniensis concilii, cum in iis plerique episcopi recte suis sedibus attribuantur, videntur sufficere, ut Eulogium habeamus pro episcopo Ambianensi; præsertim cum nulli alteri sedi unquam attributus fuerit, aut merito attribui possit. Nam fingamus tantisper, Acta Concilii Coloniensis prorsus esse fictitia, saltem nomina episcoporum, qui in illis Actis recensentur, fictitia non sunt; cum omnia fere legantur in concilio Sardicensi, et plerique episcopi aliunde innotuerint. Siquis igitur Acta illa confixerit, et episcopis ex concilio Sardicensi, ubi generatim Galliis attribuuntur, cathedras suas aliunde cognitæ apposuerit, vel sic Eulogius censendus est *Ambianorum* episcopus, cum non debeamus sine ulla ratione credere, auctorem in Eulogii cathedra magis errasse, quam in aliis plerisque, quas recte recensuit. Itaque, etiamsi ecclesiastico cultu careat, secundus episcopus Ambianensis habendus est Eulogius, qui cathedram tenere potuit usque ad medium circiter seculi IV.

37. Circa medium seculi IV. statuendum est initium episcopatus S. Firmini confessoris, ut in hujus Actis dixi ad 1. Septemb. num. 13. et seqq.; ubi etiam monui, inhærendum non esse dictis Sigeberti chronographi, cum luculenter pateat, Sigebertum sua hausisse ex Vita S. Firmini confessoris. At hic scriptor tempora tam aperte confundit, ut, si vera essent omnia, quæ inepte coacervavit, S. Firminus vixisset ultra duo secula, id est, a seculo IV. aliquot annis inchoato usque ad tempora Vigilii Papæ, sive usque ad medium fere seculi VI. Jam vero ex Vita illa hausisse sphalmata sua Sigebertum, clarum fit ex aliis ejus assertis: nam et Ambianum ab Antonino Pio conditum asserit, et nomen urbis a Gratiano mutatum, et *Ambianum* dictum ab *ambitu fluminum*, ac demum Faustini, S. Firmini confessoris patri,

præ-

*præfecturam Gallicam* attribuit. Hæc non finxisset ipse Sigebertus, sed omnia ex vitiosis S. Firmini Actis profluxerunt, ex quibus eadem narrat Bellovacensis lib. 16. cap. 89. laudans ipsa Acta: quod observo, nequis putet, Acta illa minus esse vetusta. Itaque et Sigebertus, et cum eo Bellovacensis majorem non habent auctoritatem, quam Acta vitiosa, quorum errores adoptarunt, et *præfecturam Gallicam* Faustini commissam fuisse a Gratiano imperatore ejusmodi Actis non credimus. Certe in Actis S. Firmini martyris, quæ longe minus vitiosa sunt, Faustianus S. Firmini confessoris pater non alio quam *senatoris* ornatur titulo. Si autem Faustianus conversus et baptizatus est a S. Firmino martyre, ut habent utriusque Firmini Acta, aut defunctus, aut senex, decrepitus erat, quando Gratianus anno 367. adeptus est imperium, etiamsi adolescens aut juvenis circa anno 290. fuisset baptizatus. Itaque pro chronotaxi S. Firmini sequendus non est Sigebertus, sed præferenda Acta S. Firmini martyris, secundum quæ natus videtur S. Firminus confessor post conversionem patris, forte sub initium seculi IV., episcopus vero factus post Eulogium. Quoad episcopatum tenuerit, certo dici nequit. In pluribus codicibus dicitur vixisse annos 67.

38. Quis fuerit proximus S. Firmini confessoris successor, certo edici nequit. Recte suspicantur novissimi auctores Galliarum Christianarum, nomina aliquot episcoporum excidisse. Nam pauciores innotuerunt, quam ut verisimile fiat, reliquum seculi IV. et totum seculum V. ab iis impletum, licet hoc fieri omnino potuerit, si modo constaret, diuturnum quorundam fuisse episcopatum. Nam ad illud tempus videntur spectare Leodardus, et Audoenus, qui revera in Gallia Christiana proxime post S. Firminum confessorem in catalogo ponuntur: ad eadem tempora forte spectat Deodatus et Dado, qui ibidem ponuntur decimus tertius et decimus quartus, ubi locum vix invenire possunt inter Theodefridum, et Ursinianum, ut auctor ipse satis vidit, insinuavitque his verbis: *Uterque forte extra ordinem positus est*. Itaque verisimile est, illos quoque seculo V. sedisse, cum ibi catalogus sit vacuus, et vix ullo alio seculo locum inveniant, saltem si pluribus annis sederint. Neque multum movere nos debet, quod

quod in vetusto catalogo Ms. serius ponantur, cum liqueat, ordinem in illo catalogo esse perturbatum, non solum quia omnes Sancti recensentur primi, sed etiam in aliis nonnullis. Quapropter probabile est, illos quoque duos ad priora tempora pertinere. Sic habebimus quatuor episcopos inter S. Firminum confessorem, seculo IV. senescente mortuum, et Edibium, anno 511. concilio Aurelianensi præsentem. Itaque mirandum non esset, si hi quatuor, Leodardus, Audoenus, Deodatus, et Dado, consequenter sedissent ultra seculum, et sic totus Ambianensium episcoporum catalogus esset plenus. Nam sequentia secula suos ubique in novissimo catalogo exhibent episcopos. Verum hæc, quæ de quatuor istis episcopis, solo nomine cognitis, breviter disserenda censui ob difficultates mihi olim propositas, pro meris conjecturis velim æquus lector accipiat.

## S. I V.

*Memoria Sancti in Martyrologiis et cultus diebus pluribus.*

39. **Q**uamquam de die, quo passus est S. Firminus, codices in Actis non omnino consentiant, communis tamen est sententia, passum esse die XXV. Septembris, ut Acta in aliquot codicibus habent; atque idcirco illo die præcipue colitur, et in pluribus celebratur Martyrologiis, cum vetustioribus, tum recentioribus. Hieronymianum apographum Corbeiense sic eum clare annuntiat: *In Gallia Ambianis civitate, passio S. Firmini episcopi et martyris.* Hæc in Breviario Corbeiensi similiter leguntur, uti et fere in antiquo Calendario. Apud Martenium tom. 6. Collect. Ampl. col. 646: in Martyrologio Trevirensi S. Maximini ita legitur: *Natale S. Firmini.* Ibidem deinde in Calendario Anglicano: *S. Firmini martyris.* In antiquo Calendario Stabulensi: *Passio S. Firmini.* In Verdunensi: *S. Firmini martyris.* In Martyrologio Antissiodorensi: *Ambianis civitate S. Firmini episcopi et martyris.* Hisce posterioribus antiquior Rabanus habet: *Natale S. Firmini martyris.* Wandelbertus:

*Ambia-*

*Ambianis micat Firmino martyre plebes.*

Usuardus plura dat hoc modo: *In civitate Ambianensium, Beati Firmini episcopi, qui sub praside Ricciovaro post varia tormenta capitis decollatione martyrium sumpsit.* Prolixius elogium texit Florus, aut fortasse Floro additum, quod ita exhibetur apud nos ante tomum 2. Martii ad hunc diem. *In Ambianis civitate depositio S. Firmini episcopi et martyris, qui tempore Diocletiani, et Maximiani imperatorum patriam parentesque relinquens, Galliarum confinia aggressus, Arvernorum, Andegavensium, Belvacensium, atque Ambianensium populum, multitudine prædicationis et miraculis effulgens, convertit. Ubi et pro Christo passus est, et insidias persecutorum plurimas sustinuit. Hinc a Sebastiano praside comprehensus, post vincula et dira flagella custodia traditus, clam noctis silentio in carcere est decollatus.* Hæc, sive Flori sint, sive alterius, clare ex Actis sunt contracta.

40. Dicta Martyrologia, exceptis prioribus aliquot, jam coacervaverat Bollandus in Commentario suo, et pleraque ex Mss., sed ea postmodum sunt edita. Adjicit et nonnulla alia, quæ partim huc transfero, omissis brevitatis gratia aliis. „ Ms. ecclesie S. Lamberti Leodii, et quædam Adonis exemplaria: *Ambianis S. Firmini episcopi et martyris.* At Ms. aliud, in Italia ( ut conjicimus ) ante quingentos aut sexcentos annos exaratum: *In civitate Ambianensium B. Firmini episcopi.* Ms. S. Martini Treviris: *Ambianis Firmini episcopi, qui post varia tormenta decollatus.* Ms. ecclesie Morinensis, sive Turuanensis. *Ambianis civitate natale S. Firmini episcopi et martyris, patroni civitatis ipsius.* Ms. Centulense, sive monasterii S. Richarii in ipsa Ambianensi diocesi: *Ambianis S. Firmini martyris, primi illius urbis episcopi.* „ Mitto Hagiologium Franco-Gallicum a Labbeo editum, Belinum de Padua, et Auctaria Usuardi, Petrum de Natalibus, Florarium Sanctorum Ms., Galesinium, Maurolycum, Felicium, Canisium, aliosque recentiores, ac nominatim Saussayum, qui in Martyrologio Gallicano prolixum dat elogium; sed hoc variis erroribus, qui ex collatione cum Actis corrigi poterunt, utcumque fœdavit. Unicum igitur addo Martyrologium Romanum, quod ita habet: *Ambiani in Gallia*

M H

Gallia beati Firmini episcopi, qui in persecutione Diocletiani sub Rictiovaro praside, post varia tormenta, capitis decollatione martyrium sumpsit.

41. De cultu S. Firmini hæc Bollandus collegit: „Co-  
„litur Ambiani S. Firminus XXV. Septembris officio dupli-  
„ci, religione ad octavam diem continuata. Plurimæ olim  
„Belgicæ ecclesiæ venerari eum ecclesiastico Officio consue-  
„vere, trium lectionum Antuerpiensis, Audomarensis, alia-  
„que: duplici Brugensis; semiduplici etiamnum Atrebaten-  
„sis; duplici item plurimæ in Gallia, Noviomensis, Roto-  
„magensis &c. Scribit Joannes Marieta lib. 1. Histor. eccl.  
„Hispan. cap. 16., coli eum Pampelone in patria sua X.  
„Octobris. Ast Ambiani, ut ex Breviario ejus ecclesiæ, an-  
„no 1650 excuso, cernere est, solet illo die anniversaria  
„memoria Ingressus S. Firmini in eam urbem officio trium  
„lectionum celebrari. Inventio autem reliquiarum ejus die  
„XIII. Januarii Officio duplici recolitur, itidem producta  
„ad dies octo solemnitate. Sed de hac infra plenius, deque  
„festo Repositionis earumdem reliquiarum, quæ anno 1107,  
„contigit; peragiturque Officio novem lectionum die XVI.  
„Octobris, „ Hæc Bollandus de variis Ambianensium festi-  
„vitatibus ex antiquis Breviariis, in quibus omnia illa festa  
„suis locis notata sunt. Festivitatibus Ingressus non alia est ra-  
„tio, quam quod in Actis num. 12. S. Firminus Ambianum  
„die X. Octobris dicatur intravisse. De festo Inventionis plu-  
„ra volebat postea afferre Bollandus, uti et de festo Reposi-  
„tionis; hoc tamen non fecit, sed Commentarium imperfec-  
„tum deposuit, verisimiliter ob controversias de possessione  
„corporis necdum decidas, de quibus ante tempus agere nolue-  
„rit. De iis mox agam, ubi memoriam Sancti, aliis quoque die-  
„bus Martyrologiis adscriptam, examinavero.

42. De inventione et translatione S. Firmini ad XIII.  
„Januarii agunt varii martyrologi recentiores, enumerati ad il-  
„lum diem in Prætermisissis. Ad alios quoque dies Inventio il-  
„la et translatio fuit relata, nimirum ad X. Januarii ex erro-  
„re a Ferrario; ad XIV. in pluribus Fastis, quod forte illo  
„die celebrata fuerit in aliis aliquot ecclesiis, quemadmodum  
„certe celebrata fuit ad XV. Januarii in ecclesia Cameracen-

si. Hæc fusius observata videri possunt ad tres dies prædic-  
„tos in Prætermisissis. Ceterum, an Inventionis festivitas etiam-  
„num eodem die XIII. Januarii, et cum eadem solemnitate  
„ad hæc usque tempora fuerit celebrata, non inquisivi. Por-  
„ro translationem S. Firmini episcopi Ambianensis et martyris  
„notari etiam in Ms. quodam Adonis, et in Florario Sancto-  
„rum Ms., observatum est in Prætermisissis ad illum diem. A-  
„gitur certo de S. Firmino hodierno; at tanto minus nosse va-  
„leo, qua de translatione agatur, quanto incertius est testimo-  
„nium illorum Mss.: nam Adonis, qui in genuino Martyro-  
„logio de S. Firmino non meminit, certo non est assertum,  
„et auctor Florarii facile exscripsit, quæ invenit. Altera cor-  
„poris in novam thecam translatio, quam nomine Repositionis  
„XVI. Octobris celebrari diximus, in Auctariis Usuardi ad  
„eundem diem ex codice Ambianensi sic annuntiatur: Eodem  
„die Repositio S. Firmini episcopi et martyris. Ex eodem rur-  
„sum codice ad X. Octobris festum Ingressus viventis Firmi-  
„ni ita memoratur: Eodem die, Ingressio B. Firmini martyris  
„in civitate Ambiana.

43. Demum memoria S. Firmini martyris codici Ambia-  
„nensi adjecta legitur, ut observavit Sollerius ad XIV. Julii  
„his verbis: In ista ecclesia (Ambianensi) hac die venera-  
„tur principalis sancta Dei Genitricis Maria et S. Firmini senio-  
„ris nostri commemoratio, pro bello, in hujus civitatis suburbio  
„nobiliter peracto, anno ab Incarnatione Domini DCCCCLVII.  
„An annus recte fuerit notatus, non inquirō, nec quale id  
„fuerit bellum, ut procedam ad ea, quæ propius spectant ad  
„S. Firminum. Bailletus ad XXV. Septembris in S. Firmino  
„martyre refert aliam festivitatem ad XVIII. Augusti, sive Or-  
„dinationis, inquit, sive cathedra, laudatque Saussayum in Sup-  
„plemento. At erravit Bailletus, quandoquidem Saussayus a-  
„git de ordinatione S. Firmini confessoris; non de ordinatio-  
„ne hodierni Firmini martyris. Ceterum de antiquissimo S.  
„Firmini martyris cultu constat ex Actis num. 18., ubi S. Fir-  
„minus confessor ecclesiam supra sepulcrum S. Firmini extru-  
„xisse legitur. Attamen deinde orta est dubitatio de loco se-  
„pulture S. Firmini martyris, ut ibidem dicitur in Annotatis  
„lit. 2. ex pluribus codicibus. Dubitatio verò sublata est per  
„inven-

inventionem corporis, de qua modo agendum est.

§. V.

*Inventio et translatio corporis.*

44. **D**e invento corpore S. Firmini martyris in Vita S. Salvii Ambianensis episcopi, data ad XI. Januarii, num. XI. hæc leguntur: *Postmodum vero ignorantibus populis, ubi corpus almi martyris Christi Firmini requiesceret, Spiritus sancti gratia edoctus, perrexit ad locum, ubi Martyr Christi quiescebat, erigensque oculos ad cælum, vidit quasi radium solis ab arce præcelsi throni exire, et in eo loco, in quo S. Firminus requiescebat inenarrabili terrore fulgere. Qui mox immensas divina misericordiæ referens gratias, cum magna reverentia cœpit fodere, ac sepulcrum almi Martyris aperire. Odor quoque suavitatis illico tantus excreverat, quasi illic omnia genera pigmentorum contunderentur et aromatatum, et ager virens amœnitate diversorum florum adesset. Cumque elevassent eum e sepulcro; et iter carperent deferentes populi sanctum. Martyrem ad urbem; obviam plurima occurrentes caterva, sternerant vestimenta sua in via, et voce magna clamabant: Osanna in excelsis, benedictus, qui venit in nomine Domini. Quem in ecclesia, quam ipse beatissimus præsul Salvius construxerat, in crypta Orientali, in honore ejusdem Martyris miro opere insignita, collocavit, et digno cum honore tumularit, insuperque sepulcrum ejus auro gemmisque nobiliter decoravit.* Hactenus Vita S. Salvii de inventionem et translationem. Habemus aliquot relationes uberiores, in quibus longe plura narrantur, sed mira cum exaggeratione, ut exiguam videantur mereri fidem in iis omnibus, quæ datis ex Vita Salvii fuerunt addita.

45. Quæ ex hisce prolixior est reliquis, ignoti auctoris est Sermo, dictus in ipsa inventionis festivitate. Editus est hic Sermo a Cointio ad annum 687. num. 17. ex codice Ms. Corbeiensi, ex quo apographum etiam habemus. Laudatus Cointius auctorem illius Sermonis veterem vocat, nec tamen exprimit, qua ætate videatur vixisse. Verum hodierni auctores Benedictini Historiæ litterariæ Franciæ tom. 4. pag. 71. de

de ætate anonymi illius concionatoris disserunt, asseruntque primo, non esse certe contemporaneum. Hoc ipse auctor satis ubique insinuat. Deinde vero plusquam *annis quinquaginta* rebus gestis in inventionem posteriorem faciunt, et ætatem ipsius dubitanter referunt ad seculum VIII. fere medium; sed sine ullis argumentis. Laudati scriptores tom. 8. pag. 449. etiam agunt de Vita S. Salvii, hujusque auctorem vixisse credunt sub finem seculi XI. Quare, si utraque epocha sit recte fixa, aut si neutra longe aberret, vixerit auctor Sermone tribus facile seculis ante biographum S. Salvii. Verum auctores laudatæ Historiæ tom. 4. pag. 50. vitam S. Salvii fixerunt circa annum 720., et sic ibi vitam S. Salvii antiquiorem faciunt Sermone Anonymi de Inventionem S. Firmini. Nescio, cur a prima sua opinione recesserint. At video, idem fieri circa ætatem S. Salvii, et translationem S. Firmini. Nam duobus locis allegatis, ubi agunt de S. Salvio, ætatem hujus figunt sub initium seculi VII.; Translationem vero S. Firmini tom. 4. pag. 72. cum Cointio credunt contigisse anno 687., cum tamen peracta sit a S. Salvio.

46. Ego sane dubitare nequeo, quin et Vita S. Salvii et Sermo Anonymi de Inventionem, conscripta fuerint longo tempore post rem peractam, sed argumenta, quibus alterutri certam epocham assignem, idonea non reperio. Quapropter, cum multo plura legantur de S. Firmino in Sermone Anonymi, quam in Vita S. Salvii, id unum mihi ad propositum meum videtur investigandum, utrum ex duobus illis monumentis sit vetustius, et consequenter utri major sit attribuenda auctoritas. Ut autem breviter mentem meam indicem, dico, non videri dubitandum, quin Vita S. Salvii sit vetustior: hoc enim ex utriusque collatione facile deprehenditur. Etenim clarum est, alterum ab altero nonnulla mutuatum esse, cum eadem subinde verba proferant. Locum unicum afferro, licet plures non desint. De odore, qui ex aperto S. Firmini sepulcro exhalatus dicitur, uterque plane his verbis utitur: *Odor quoque suavitatis illico tantus excreverat, quasi illic omnia genera pigmentorum contunderentur et aromatatum, et ager virens amœnitate diversorum florum adesset.* Sic multa alia alteruter ex altero desumpsit, et multo etiam plura verba sine muta-

mutatione ullius vocis, ut nullum possit esse dubium, quin alteruter ex altero multa hauserit. Atqui nec verisimile est, nec credibile, biographum S. Salvii hausisse ex Sermone Anonymi, cum prætermittat plurima ad Salvium et Firminum spectantia, quæ in illo Sermone asseruntur. Necesse igitur est, ut auctor Sermonis plurima acceperit ex Vita S. Salvii, ut etiam ostendit inæquabilis ejus stylus, modo satis Latinus, in iis videlicet, quæ ex Vita Salvii sunt excerpta, modo hiulcus, et asper.

47. Ut autem videat lector auctorem Sermonis multa addidisse, quæ in Vita S. Salvii non debuissent omitti, pergo, post verba mox data de odore cum Anonymo Sermonis auctore: *Putabant omnes, qui astabant, intra sepulcrum tanti Martyris candida lilia et vernantes rosas, aliosque viventes herbarum flores pulchre pullulare: et quanto plus ad sacrum mysterium accederent, tanto amplius immensus odor flagrabat (flagrabat) et totam diœcesim urbis Ambianensium irrigabat, et usque ad omnes comprovinciales civitates late spargebat amantissimam largissimam odoris. Omnis quidem multitudo urbis Taruanensium, Cameracensium, Noviomensium, et Bellovacensium, repleta fuit in ipsa hora suavitate et delectatione ipsius amantissimi odoris sic, quasi in paradiso deliciarum se adesse putarent. Non enim alius nuntius innotuit populo harum quatuor civitatum, quod tam sacrum mysterium in urbe Ambianis per revelationem Sancti Spiritus Salvius venerabilis præsit et religiosi sacerdotes et clerici, devotusque populus celebrarent, nisi odor immensus, et inestimabilis suavitas. Sed omnes quidem sacerdotes et clerici, populusque diversorum sexuum prædictarum urbium statim surrexerunt cum cereis et palmis, hymnorum psalmodiam decantantes, celeri gressu Ambianis obviam tanto martyri Firmino venerunt sic indubitanter, quasi ut nusquisque suum submisisset præceptorem et ducem. Appropinquantes autem civitati Ambianensium, viderunt talia miracula, qualia nec antea nec postea visa, neque alicuius relatione in toto orbe audita fuerunt.*

48. *Mox ut venerabilis Salvius pontifex, et religiosus sacerdos, martyrem Christi Firminum a sepulcro elevaverunt, omnis elementorum substantia mixta est, et tam fervidus calor*

*lor mundum invaserat; ita ut, qui tunc presentes aderant, stupefacti in extasi mentis mirarentur. Æstimabant enim divino imperio totum mundum ab imminetia caloris dissolvi, et ad nihilum redigi. Ipse quoque mirabilis calor, quod dubium non est, mansit quoque spatio trium horarum. Erat enim tempus hiemis, et glacialis asperitas ac nivialis inundatio ipsa die valde imminet. Sed repente una hora immutatis temporibus, sol in centrum contra naturam flammigeris erectus quadrigis astivali fervore nimietatem frigoris in uno momento dissolvit. Hæc miracula valde admiranda sunt, quia in die Iduum Januariarum facta perhibentur. Mox iisdem verbis, quibus in Vita S. Salvii, narratur delatio sacri corporis ad urbem. Tum vero auctor ex fœcundo fabularum ingenio addit sequentia: Et subito respicientes apparuerunt omnes arbores amantitate florum vernantes, et nobilitate suavitatis redolentes, quasi ut prope jam formatum fructum depromerent, ita fundendo flores pleniter emittebant. Cacumina vero arborum cum floribus assidue gliscentibus summissa astabant, et inclinando obsequium in adventu tam clarissimi Martyris præbebant. Et omnis plebs admirans, confestim frondes cum floribus de arboribus evellebant, et in via humili devotione spargebant. Omnia quoque prata circumquaque Ambianis, et campi in puncto unius momenti plena affuerunt rosis et liliis, et diversis generibus olerum, et florum etc.*

49. De hisce omnibus nihil in Vita S. Salvii legitur, in qua etiam fere omnia omissa sunt, quæ refert Anonymus facta a Salvio ad corpus invenendum. Quare nequeo dubitare, quin Sermo ille fuerit conscriptus post Vitam S. Salvii, et post hanc Vitam amplificatus. Etenim si biographus S. Salvii illum Sermonem vidisset, et mirabilia in eo relata credidisset vera, non potuisset omittere adventum Taruanensium (sive incolarum urbis Morinorum dein excisa, quod observo, quia nuperus scriptor Gallice Tornacenses substituit.) Cameracensium, Noviomensium et Bellovacensium. Nihilo magis omisisset æstivum calorem subito exortum, frondesque et flores agrorum et arborum, nisi quis credere malit, ipsum omnia illia pro figmentis habuisse, et sic magis criticum facere, quam seculo præterito fuerunt Cointius aliique nonnul-

li, qui relata in illo Sermone vera crediderunt. An tanta crisis fuerit illius biographi, certo edicere nequeo. At saltem non prætermisisset *triduanum jejunium*, quod a Salvio indictum habet Sermo, si hunc Sermonem habuisset, et ex eo aliquid mutuari voluisset. Tam clarum igitur videtur, auctorem Sermonis ex Vita S. Salvii multa ad verbum desumpsisse, iisque sua figmenta stylo hiulco et scabroso addidisse, ut nolim afferre plura ad id probandum argumenta. Dudum hoc agnovit Lestoquius in Dissertatione de Corpore S. Firmini confessoris cap. 1., ubi etiam observat, oratoriam esse amplificationem relatorum in Vita S. Salvii, quidquid in illo Sermone de inventione corporis dicitur. In Dissertatione secunda, sive prioris Apologia cap. 2. pag. 54. Gallice hæc dicit: *Sermo de inventione corporis S. Firmini martyris non est nisi exaggeratio poetica relatorum ea de re in hac Vita (S. Salvii).* Quare necesse non est Sermonem illum recudere, cum nullam fidem mereri videantur omnia illa, quæ dictis in Vita S. Salvii addidit, sive illa ex alio sumpserit, sive licentia poetica, qua aliqui etiam in gestis Sanctorum perperam usi sunt, ipse confinxerit.

50. Omnia tamen illa adoptavit Vincentius Bellovacensis lib. 16. cap. 90. et 91. Petrus de Natalibus lib. 2. cap. 70. ex eodem, ut videtur, Sermone agit de inventione S. Firmini martyris, quem non noverat, et ex illo Sermone difficulter nosse poterat. Cum brevis sit relatio, totam huc transfero, ut simul studiosus lector videat, quot corruptiones a recentioribus soleant monumentis antiquioribus addi: *Firminus martyr, inquit, fuit sub tempore paganorum: sub quo tamen persecutione vel iudice, aut quibus supplicis interemptus, ignotum est. Et sepultus fuit in Ambianensium civitate: locus tamen, ubi requiesceret, ignorabatur. Tempore autem S. Salvii episcopi corpus ejusdem Martyris repertum est. Nam, cum idem episcopus una cum clero et populo triduo ad Deum exorasset, ut eis corpus S. Firmini martyris revelaret, nullo odore fragrante, et lumine celitus super locum effuso, defossa ibidem humo, corpus sacrum inventum est. Ad quem locum circumstantes Charoan (Tarvanensis) Cenoman, (Cameracensis) Novion, (Noviomensis) et Bobaen (Bellovacensis aut Bellovacensis) eodem*

*eodem odore conspersa ad visendum corpus Martyris cucurrerunt: quod ab episcopo levatum, ad ecclesiam condigno honore translatum est. In cujus translatione glaciale frigus, videlicet mense Januario, in astum maximum conversum est. Arborea nuda et subito frondes protulerunt, et flores, de quibus agri sumentes sanabantur: Factum est autem hoc Idibus Januarii: nam dies passionis Martyris, sicut et cetera, incognitus est usque ad præsens. Ita ipse, ignorans eundem esse Martyrem, de quo agit lib. 8. cap. 119. At id ignotum non erat Ambianensibus. Præterea male dixit, in civitate sepultum fuisse, cum prima sepultura fuerit extra civitatem. Deinde civitates, quæ accurrisse dicuntur ad Sancti corpus, corruptis nominibus ita expressit, ut pro Cameracensi videatur substituisse Cenomanensem; et reliquas ex ipso vix nosceremus. In reliquis satis fidele est compendium.*

51. In codice nostro Ms. olim Valcellensi, qui conscriptus videtur seculo XIII. aut exeunte XII., habetur alia relatio inventionis S. Firmini, cujus hoc est initium: *Sollerti indagatione intuendum &c.* Auctor est plane ineptus, qui nec latine quidem sensa sua exprimere noverat. Omnia autem adoptavit, nisi prior ipse confinxerit, quæ in prædicto Sermone leguntur de subito calore, de frondibus et floribus arborum, de accursu Tarvanensium, Cameracensium, Bellovacensium, et Noviomensium. Non tamen addit, odorem corporis in quatuor istis civitatibus fuisse perceptum. De ceteris nihil profert, quo scriptum illud locum mereatur in Opere nostro: neque enim ad relata in Vita S. Salvii adjungit aliquid præter errores aut figmenta insulsa. Cointius, qui sine crisi admittit omnia illa mirabilia, rejicit tamen a Malbranco et aliis addita: *Malbranco, inquit, non possumus assentiri, qui Cenomanensem episcopum quatuor prædictis adjungit, nec opinionem suam ulla fulcit auctoritate. Et mox: Etatem Salvio longe recentiore sapiunt illa, qua de dominis Balgentiaci et Pinchonii (quos eo tempore sanatos dixerunt) circumferuntur hodie, nec in codice Corbeiensi supra laudato reperiuntur. Quapropter insignium donationum, quas ab iis Ambianensis ecclesia post accepit, atque etiamnum possidet, examen ad aliud tempus rejiciemus.* Hæc quidem recte, nam si domini illi

aliquod sanationis beneficium patrocínio S. *Firmini* impetrarunt, id serius factum fuerit, et alia occasione nobis ignota.

52. At non video, qua crisi confirmare tentaverit accursum quatuor civitatum, quas solus odor ad corporis translationem evocaverit. Nam tanta est illarum civitatum ab urbe Ambianensi distantia, ut iter illud uno die pedibus perficere vix possint homines robustissimi. Attamen, si fabulatori credimus, Ambianum cucurrerunt *omnes quidem sacerdotes et clerici populusque diversorum sexuum.... et obviam tanto martyri Firmino venerunt*. Cumque citatis equis eo tam cito non venissent, ipsi venisse insinuantur *psalmodias decantantes*. Odor percipi cœpit, dum apertum est sepulcrum, atque omnes Tarvanenses, Cameracenses, et ceteros adfuisse insinuat auctor, antequam corpus ad urbem deferretur. Ut dicam paucis, sic fabulator narrat accursum Tarvanensium, Cameracensium, Noviomensium et Bellovacensium, ac si quatuor illarum civitates, tanto intervallo distitæ, totidem fuissent suburbia civitatis Ambianensis, ut videatur ipse nescivisse, aut certe non considerasse, quid diceret. Quapropter ad ejusmodi accursum vindicandum prodesse nequeunt, quæ Coitius disserit hoc modo: *In illius rei memoriam Morinensis ecclesia quotannis Idibus Januarii augustiores ritus instituit, ut hymnis odisque sacris et lectionibus inventio S. Firmini recoleretur, idque Malbrancus ait in extremum usque Taruanna excidium servatum fuisse. Morlierius observat, in usu etiam esse, ut, si quis supradictarum quatuor sedium, Morinensis videlicet, Cameracensis, Bellovacensis, et Noviodunensis episcopus Ambianum adeat, in illius ingressu, singularis honoris gratia, cathedralis ecclesie major campana pulsetur*. Hæc inficiari nolim, cum alia de causa potuerint inchoari; imo etiam ex his aut similibus fabula cudi potuit.

53. Porro, dum considero versiculos, in sculptos arcæ, in qua S. *Firmini* corpus servatur in ecclesia cathedrali Ambianensi, in eam inducor suspicionem, ex dictis versiculis fabulas illas hauriri potuisse. Arcam illam circa finem seculi XII. compositam, Theobaldo cathedram tenente, infra dicemus. Continet autem in utroque latere duodecim versiculos, quibus breviter insinuantur præcipua Sancti gesta, et tribus

ulti-

ultimis gloria posthuma. Quæ vero versiculis indicantur, opere sculptili simul representantur. Versiculus decimus indicat sepulcrum S. *Firmini* a S. *Salvio* inventum, ut simul innuunt voces additæ: S. *Salvius*. *Sepulcrum S. F.* Versiculus hic est:

*Hic patet oranti locus, et pariter Sancti.*

Sequitur undecimus versiculus, ubi sculptura exhibet translationem cum vocibus S. *SALVIUS*. Versiculus obscurior ita habet:

*Res nova, laus magna, flos pro nive, plebis Orana.*

Hæ voces, *flos pro nive* oratori aut poetæ occasionem commiscendi ingentem calorem floresque et frondes, præbere potuerunt, cum forte nihil insinuare voluerit poeta, nisi terram Idibus Januarii nivibus caruisse, et flores in aliquot arboribus fuisse visos, aut fortasse flosculos per viam fuisse sparsos. At certe non dicit, calorem subito fuisse exortum, frondesque et flores unico momento productos.

54. Duodecimus versiculus, apud quem sculptura representat quatuor populos ad corpus S. *Firmini* accurrentes cum his vocibus: *BELVACENSES. NOVIOMENSES. MORINENSES. KAMERACENSES*. Duodecimus versiculus, inquam, ita sonat:

*Fert pia plebs vota sua quæque propinqua remota.*

Insinuat autem hic versiculus, non solum incolis diocesis Ambianensis donis votivis honorasse S. *Firmini* sepulcrum, sed homines etiam accurrisse ex aliis diocesis, in circuitu positæ, quales seculo XII. reliquis viciniore erant Bellovacenses, Noviomensis, Morinensis sive Taruannensis, et Cameracensis. Verum versiculus nequaquam indicat, illos adfuisse ipso translationis die, aut accurrisse solo odore excitatos. Cum tamen nonnulli suis imaginationibus indulgeant, et ex aliis alia sibi fingere soleant, forte nonnemo sibi persuadere voluerit, ipso inventionis ac translationis die populos illos ad Sancti corpus accurrisse. Et ulterius, cum post inventionem nullus ad eos invitandos tam longe mitti potuerit, solo odore excitatos venisse. Non auderem ejusmodi suspensiones formare, nisi diuturna experientia didicissem, quæ non miserris patrociniis frequenter usi sint homines creduli, ut ex vocibus aliquot obscuris desiderata sibi figerent somnia. Verum, undecunque Anonymus auctor sermonis de inventione, autive, qui aut ipsum

præ-

præcesserunt aut secuti sunt, sua hauserint mirabilia, non credimus, plura de iis lectori prudenti proponenda, quam quæ leguntur in Vita S. Salvii.

## S. V I.

*Tempus episcopatus S. Salvii, sive inventionis S. Firmini.*

55. **R**estat, ut disseramus de tempore inventionis, cujus epocha non innotescit ultra alia nota, quam episcopatu S. Salvii. At de episcopatus S. Salvii tempore multum disputarunt eruditi, cum alii voluerint, Salvium sedisse circa initium seculi VII., alii seculo VII. ad finem vergente. Controversiam illam examinavi tom. 1. Sept. in Gloria posthuma S. Firmini confessoris, cujus corpus S. Salvius similiter transtulit, ibique §. 2. ostendi, longe probabiliorem esse sententiam, qua S. Salvius creditur sedisse sub initium seculi VII., quam sit opposita, quæ cathedram ejus figit sub finem ejusdem seculi. Rationes desumpsi non ex sola Vita S. Salvii, cujus auctor, cum duobus saltem aut tribus seculis post S. Salvium scripserit, facile errare potuit in notis aliquot chronologicis, sed etiam ex ipsis catalogis episcoporum Ambianensium, in quibus nullus reperitur vergente ad finem seculo VI., nisi tunc ponatur S. Honoratus; quem omnia documenta vetustiora decessorem S. Salvii faciunt, et eo tempore sedisse innuunt. In iisdem rursus catalogis post S. Honoratum locus invenitur Salvio. Contra iidem catalogi tam pleni sunt sub finem seculi VII., ut dictis episcopis, qui notabili tempore cathedram tenuisse videntur, locus nulla ratione reperiri possit. Hæc latius disputata videri possunt loco assignato. Etenim, considerato diligenter novo catalogo episcoporum Ambianensium, qui nuperrime prodit tom. 10. Gallia Christianæ, nihil in dictis mutandum invenio, et Honoratum ibidem, ac Salvium eodem ordine locatos video, licet serius positi fuissent a Sammarthanis.

56. Cum tamen in laudato catalogo utraque sententia proponatur, ut res admodum ambigua, et ex litteris Ambian-

nen-

nensium olim intellexerim, ipsos etiam de ætate S. Salvii hæsisse ambiguos, certe ante publicata a nobis S. Firmini confessoris Acta, lubet paucis ostendere, quam omni idoneo fundamento destituta sit opposita sententia Cointi, quamque contorta sit tota ejus chronotaxis episcoporum Ambianensium inter medium et finem seculi VII. Ad annum 686. num. 2. Bertridum episcopum, qui ante et post medium seculi VII. cathedram certo tenuit, adhuc superstitem fuisse dicit anno 668., ac Bertridum anno incerto successorem facit Dadonem, tum Dadoni anno 686. sufficit Salvium. Hujus epochæ tres rationes allegat, sed omnes ejusmodi, ut non magis probari possint; quam illud ipsum, quod iis probare intendit Cointi. Perpetuum id quidem est Cointi vitium, incerta frequenter per æque incerta probantis: sed ea scriptoris confidentia nullam prudentibus imponit necessitatem claudendi oculos, et asserta arbitraria pro veris probationibus admittendi.

57. Examinemus igitur rationes ab ipso allatas. *Ordinatus est enim, inquit, adepto jam Noviomenses intulas Hautgario, qui post S. Mumolinum XVII Kalendas Novembris anno Christi DCLXXXV. mortuum, sedere coepit.* Verum etiamnum expectamus idoneum argumentum, quo evinci possit, aliquem *Hautcarium*, distinctum a S. Achario, qui sedit sub initium seculi VII., umquam præfuisse sedi Noviomensi. Etenim modo inspiciamus Noviomensium episcoporum catalogos antiquiores, quales editi sunt a Joanne Demochare, Joanne Chenu, Claudio Roberto, et Jacobo le Vasseur in Annalibus Noviomensibus Gallice scriptis, statim videbimus, plenissimos episcoporum nominibus reperiri catalogos illos ab initio usque ad finem, imo in toto episcoporum Noviomensium catalogo nullum apparere hiatum, sed ipsa etiam nomina episcoporum Vermandensium, quibus Noviomenses successerunt, sede Vermandensium Noviomum translata, in vetustis catalogis fuisse conservata. Itaque ejusmodi episcoporum Catalogo non temere, nec ex levibus conjecturis inserendi sunt alii episcopi, in vetustis ecclesie Noviomensis catalogis non reperti, sed opus est argumentis certis et evidentibus, ne successio episcoporum recte stabilita temere perturbetur.



58. Atqui clarum est ex dictis catalogis, nullum post S. Mummolinum in vetustis catalogis Noviomensibus repertum esse *Hautcarium*, sed in iis S. Mummolino statim subdi *Gunduinum*, qui Mummolinum mox sequitur in omnibus iam laudatis catalogis. Etenim nec alii omnes omisissent *Hautcarium*, nec eum certe prætermisisset Vassorius, qui antiquos catalogos Mss. præ oculis habuit, si in his fuisset repertus. Quare, cum Vassorius in Annalibus cap. 126. mortuo Mummolino subjiciat Gunduinum, uti faciunt Demochares, Chenutius, Robertus, et Theodoricus Pauli, auctor seculi XV. in catalogo Ms., manifestum fit, nullam in vetustis catalogis Hautcarii fieri mentionem. Examinemus igitur, an justa et evidens fuerit ratio Hautcarium postea inserendi. Id primi fecere fratres Sammarthani in Gallia Christiana tom. 3. pag. 812. neque alio argumento, quam ex corrupta primum episcoporum Ambianensium chronotaxi. Nam, postquam tom. 2. pag. 93. in catalogo episcoporum Ambianensium Honoratum et Salvium a loco suo avulserunt, et versus finem seculi VII. removerunt, orta erat necessitas Hautgarium aut Hautcarium, qui electioni S. Salvii adfuisse dicitur, intrudendi catalogo episcoporum Noviomensium, in quo ipsum non inveniri fatentur. Itaque pro omni argumento habemus primum errorem ex corrupta chronotaxi, alioque errore magis manifesto ibi locatur inter S. Eligium et S. Mummolinum. Postremum hunc errorem Cointius vidit, et corrigere voluit, statuens Hautcarium post S. Mummolinum: aliam vero rationem non attulit Hautcarium Noviomensibus inserendi, quam allatam a Sammarthanis ex Vita S. Salvii, ad cujus electionem missus dicitur a Rege Francorum Theodorico.

59. At nec Vita S. Salvii, utpote aliquot seculis post ejus mortem scripta, et variis erroribus foedata, tantæ auctoritatis est, ut necesse sit ejus causa perturbare catalogos Noviomenses et Ambianenses, nec deest Theodoricus Francorum rex, Childeberti filius, de quo omnia sub initium seculi VII. posunt exponi, sicuti tanti facienda videatur Vita S. Salvii Mabillonius in Annalibus Benedictinis tom. 1. lib. 18. num. 37. in Privilegio Emmonis Senonensis pro mona-

ste-

sterio S. Columbæ invenit nomina plurium episcoporum, qui illud anno 695. confirmasse dicuntur, atque inter illos *Hectarium* aliquem, atque hunc credit *Hautcarium* Noviomensem. Jam observavi in S. Firmino confessore, incertam esse eam Mabillonii conjecturam, cum ipse fateatur Mabillonius, *Hectarium* subscripsisse sine sedis nomine, ut plerisque alios. At scriptores Benedictini, qui Galliam Christianam hodie recidunt, tom. 9. col. 98; rursum *Hautcarium* episcopis Noviomensibus post Mummolinum inseruerunt, ac si ex dicto apud Mabillonium Privilegio satis certus fieret episcopatus ejus Noviomensis. Necesse igitur est iterum dicere, Hectarium illum sine ulla ratione Noviomensem fuisse creditum a Mabillonio, eumque prudentius fuisse facturum, si *Hectarium* cum quatuor aut quinque aliis *incertarum sedium* episcopis nulli assignasset sedi. Inspexit, opinor, catalogos Sammarthanorum, atque ibi *Hautcarium* inter Noviomenses invenit, nec inquisivit fortasse ulterius; sed similitudo nominis effecit, ut *Hectarium* crederet Noviomensem. Verum supra ostendi, non esse ejusmodi vetustos catalogos Noviomenses; ut tam levibus conjecturis mutari debeant.

60. Alterum argumentum Cointii, quo Salvium anno 686. episcopum credit factum, petitur a translatione S. Firmini, quam figit anno 687. verum hoc dicenti Cointio non credimus. Tertia ratio, quod anno 688. subscripserit concilio Rotomagensi. At rursum non credimus, eum fuisse Salvium Ambianensem. Nam omnes passim agnoscunt, eum fuisse sedis ignotæ, uti etiam hactenus incertæ cathedræ præfuit Salvius, qui in concilio Aurelianensi circa annum 639. confudit hæreticum monothelitam. Ejusmodi igitur conjecturis incertis a S. Honorato avelli non debet S. Salvius, nec ab initio seculi VII., ut ostendi in S. Firmino confessore. Jam vero, si ulterius chronotaxim Cointii examinemus, plane improbabilem deprehendemus. Nam ad annum 689. num. 15. S. Salvio substituit Theodéfridum, ut non nisi tres episcopatus annos tribuat S. Salvio, ac Theodéfrido brevem similiter episcopatum: neque longiorem attribuere potest, cum jam anno 692. memoretur ejus successor. At nec probabile est ex gestis S. Salvii, tam brevem fuisse ejus episcopatum,

ne-

neque rursum probabile est, tam brevem fuisse episcopatum Theodefridi, cum saltem supervixerit constituto pro se Corbeie abbati Chrodegario, quem similiter intra biennium occidit contorta et arbitraria Cointii chronotaxis. Demum, cum Theodefridus circa annum 657. factus sit abbas Corbeiensis, ad id munus gerendum ex monasterio Luxoviensi accitus, nec probabile nec credibile est, anno demum 689. factam esse episcopum, nimirum postquam annis triginta duobus numeroso monachorum gregi præfuerat, ut non posset non esse senex grandævus aut decrepitus, si vitam usque ad illum annum produxerit. Quare minus a vero aberravit novus catalogus episcoporum Ambianensium, in quo initium Theodefridi figitur circa annum 670.

61. Si hæc paulo fusius disserui, id feci ob dubitationem Ambianensium, et vel maxime ob Hautcarium, perperam rursum in catalogum episcoporum Noviomensium intrusum. Nam in S. Firmino confessore satis probavi, locum non esse Salvio sub finem seculi VII., eumque necessario relinquendum sub initium dicti seculi. Ceterum Cointius num. 10. sine probatione asserit, S. Acharium Noviomensem non nisi post mortem Theodorici Burgundix regis, anno 613. defuncti, fuisse promotum ad episcopatum Noviomensem. Respondi, nihil obstare, quominus episcopus esse potuerit ab initio seculi VII. In illo asserto nihil hactenus mutandum video, quandoquidem mirari non debeamus, si forte episcopatum tenuerit ab anno 600. usque ad 639. aut 640. Præterea nullus alius Noviomensis episcopus ullo hactenus facto innotuit multis etiam annis ante seculum VII., ut liquet ex Annalibus Noviomensibus Vassorii, ex Historia Tornacensi Joannis Cousin, et ex omnibus catalogis episcoporum Tornacensium, et Noviomensium. Quapropter ex parte decessorum nihil innotuit, quominus Acharius cathedram Noviomensem obtinere potuerit pluribus annis ante seculum VII. Video tamen a plerisque recentioribus initium episcopatus S. Acharii figi circa annum 621., eisque favere argumentum, quod speciosum videri possit, si locus non explicetur. Fuit nimirum S. Acharius S. Eustasii discipulus sub S. Columbano abbate. Hoc autem recentiores ita referunt, ac

si

si sub S. Eustasio, post S. Columbanum abbate, monachus vixisset, ac tum demum factus esset episcopus. Hoc si verum esset, certe episcopus non fuisset ante annum 610., quo S. Eustasius Luxoviensibus præesse cœpit, recedente S. Columbano.

62. Verum Jonas monachus in Vita S. Eustasii, ex qua innotescunt prædicta, non asserit, S. Acharium vixisse sub abbate Eustasio, sed solum dicit, Acharium cum aliis S. Eustasii *facundia* eruditum. Nimirum hoc factum est, dum S. Columbanus erat abbas, ut clarum fit ex Vita S. Agili abbatis data ad XXX. Augusti, in qua num. 5. S. Agilus dicitur commissus *Eustasio sacris litteris erudiendus cum aliis nobilium virorum filiis*: quod ibi in Commentario num. 17. circa, aut paulo post annum 590. fixi. Inter hos autem, eosque, qui postea magis claruerunt, recensetur etiam S. Acharius, quem admodum fit apud Jonam in laudata S. Eustasii Vita. Jam vero clarum est, S. Agilum tunc Eustasio non esse traditum abbati, sed ut magistro, cui Gallorum institutionem commiserat abbas S. Columbanus. Itaque ex Vita S. Eustasii, in qua similiter recensentur viri magis insignes, qui diversis temporibus sub disciplina S. Eustasii profecerunt, plus inferri non potest, quam S. Acharium fuisse circa annum 590, aut inter 590, et 600. S. Eustasii postea abbatis discipulum. Hoc autem nequit obesse, quominus fuerit episcopus factus circa initium seculi VII., præsertim cum nec in Vita S. Columbani, aut Eustasii, nec in ullis aliis documentis alia fiat mentio de Vita ejus monastica: ex quo silentio verisimile fit, eam non admodum fuisse diuturnam, sed post debitam instructionem cito ad episcopatum fuisse promotum. Hæc interim de tempore episcopatus S. Acharii ad refellendum Cointii assertum sufficiant. Totum accuratius examinari poterit ad XXVII. Novembris, quo Sanctus ille colitur. Ceterum quod asseritur de Achario aut Hautcario ad electionem S. Salvii misso, tam certum non fit ex Vita S. Salvii, ut ea de causa aut S. Salvii, aut ipsius Acharii episcopatus a loco suo amoveri debeat, siquæ reperiri possint notæ temporis certiores, qualis pro S. Salvio est proximus decessor S. Honoratus. Ex dictis colligitur translationem *S. Firmini* contigisse sub initium seculi VII. anno incerto.

K K

S. VII.

## S. V I I.

*Translatio corporis in thecam magis pretiosam, aliaque ad gloriam Sancti posthumam spectantia.*

63. **V**ita S. Godefridi Ambianensis episcopi, quam composuit Nicolaus monachus Suessionensis, scriptor eœvus, varia habet ad posthumam S. Firmini gloriam pertinentia. Primum lib. 1. num. 2. refert visionem, ante episcopatum S. Godefrido oblatum, qua jubebatur a S. Firmino episcopatum suscipere, et diligenter administrare. Cum Vita S. Godefridi danda sit et illustranda ad VIII. Novembris, integram illam visionem huc non transfero, sed solum, quæ cum Godefrido semisopito S. Firminus apparens asseritur egisse, postquam ille de futuro episcopatu ab aliis erat monitus. *Hæc atque alia illis dicentibus, inquit auctor, vir Dei (Godefridus) sublatis oculis videt in editiori regia loco quemdam sublimi residentem solio, vultu ac habitu, supra quam capi possit, luculento ac splendido. Ad quem cum accedere vereretur, ille manu innuit, ut veniat. Cumque propius accessisset, et ad ejus pedes abjicere se vellet, ille non permisit; sed, O serve Dei, inquit, accipe, quæ dicturus sum, et tenaci memoria complectere. Ego sum cujusdam civitatis primus episcopus, et Christi martyr invictus, qui pro ejus amore innumeras sum perpessus injurias et mortem ipsam. Hanc ego tibi committo, huic sedi tu diligenter præesse curato. Volebat vero Godefridus ex eo cognoscere nomen ejus et civitatis, cujus meminit, sed neutrum ab eo impetrare potuit. Atque interim expergefactus, valde admirabatur visionem. Hæc ego ab ore reverendi patris Andrea accepi, qui post Godefridum tertius præfuit monasterio Novigenti, et se ex ipso Godefrido hæc audisse sancte asseverabat.* Narraverit illa, opinor, S. Godefridus, ut somnium divinum, postquam electione sua ad episcopatum visa in somno videbat completa. Nam ex abbate B. Mariæ de Novigento electus est anno 1104, episcopus Ambianensis, ut mox in Vita sequitur.

64. Laudata Vita lib. 2. num. 2. luculenter etiam insinuat

nuat, quanta esset S. Godefridi in S. Firminum pietas. Referens enim primum Godefridi episcopi ingressum, hæc observat: *Ubi ad B. Acioli martyris adem, quæ extra urbis muros est, accessit, a jumento desiliens, per asperrimam viam, utrumque latus ejus stipantibus Lamberto et Joanne episcopis, quos supra diximus, usque ad B. Firmini martyris ecclesiam, nudis pedibus cunctis cernentibus, ingressus est, ab imo pectore interim suspiria trahens: ubi ad populum sibi commissum egregiam concionem habuit &c.* Rursum num. 5. quærentibus, ubi esset Godefridus, *responsum est a ministris, eum pro more in B. Firmini martyris ade precari.* Quænam hæc fuerit S. Firmini martyris ædes, de qua auctor variis locis meminit etiam circa finem Vitæ, inferius examinabo. Transeamus interim ad enarrandam ex Vita transpositionem corporis S. Firmini martyris, ab eodem Godefrido peractam. De hac etiam scripsit Guibertus abbas Novigenti. At hujus asserta examinabo, ubi agetur de controversia necdum finita de corpore S. Firmini martyris.

65. Vita S. Godefridi lib. 2. num. 26. sic habet: *Firminus martyr insignis, et Ambianorum primus antistes, exacto felicitis agonis cursu, in eadem urbe tumultatus (non prima sepultura, sed secunda a Salvio) se cum Christo in calis vivere, innumeris præstandis beneficiis egregie declarat. Cum autem quodam die B. Godefridus pro more ad populum concionaretur, oculos interim vertens ad beati hujus Martyris sacras reliquias (hactenus enim humili continebatur loculo) ita exclamavit: Cernite, filioli, quantum debeamus sanctis martyribus, quorum nos et patrocinio a vita hujus periculis eripi, et suffragiis celestem beatitudinem consequi posse confidimus. Itaque, dum hic sumus, crebro eorum memoriam usurpemus, ut et illi apud Dominam nostri memores sint. Inde est, quod majores nostri in illorum honorem basilicas condiderunt, monumenta auro, argento, et gemmis ornarunt; non quod iis illi indigeant, aut quod hinc clariores fiant (hæc enim illi, ut Christum pauperem imitarentur, et ejus inopia ditari mererentur, ceu lutum contempserunt) sed ut his suum erga eos amorem, studium, et devotionem declararent. Et vos igitur angustiam loculi, qui B. Firmini episcopi et martyris atque patroni nostri ossa retinet,*

net, contemplantes, ut possit congruum ei preparari receptaculum, aurum promptis animis conferte. His beati viri sermonibus omnes egregie incensi, aurum, argentum, armillas, annulas afferunt, plerique vasta terrarum et marium spatia metuntur, ut, qua ornare Martyris basilicam possent, comparent.

66. Postquam loculus accurate confectus fuit, ad eum diem, quo erant transferenda reliquia, tantus eo advenit hominum coetus, ut tota Europa confluisse videri posset. Tum Episcopus Godefridus cum aliis sacerdotibus accessit ad loculum, ubi caelestis ille servabatur thesaurus, sacrasque reliquias cum multo tremore omnibus visendas exposuit. Eas cernens fidelis populus, cum multis lacrymis laudat Christum, quod Testis ejus reliquias videre mereretur. Porro beatus Godefridus hortatur omnes, ut Sanctorum loca crebro invisant, illic sua vota persolvant, illorum patrocinio se suosque commendent. Inde enim innumera, inquit, fidelibus accedunt beneficia: deinde populum dimittit. Hinc autem spectaculo non interfuere, qui Ambianensis urbis suburbana loca habitabant, alii aliis rebus impediti. Accedunt igitur ad Godefridum episcopum: orant, ut ipsis quoque B. Firmini sacras reliquias ostendat. At ille valde admirans: Ubi, inquit, nudius tertius fuistis, quando mea manus eas omnibus contemplandas exhibui? Afferunt alii alia, sed cum eum permovere non possent, cum lacrymis commemorant, qua dona obtulerint, quos labores susceperint, ut Martyris templum et loculus ornarentur, et subjungunt: Ergo ne a Martyris contemplatione excludemur, qui Martyris causa tanta et fecimus et perpassi sumus? Flectitur tandem vir pius, et in celebritate omnium Sanctorum, praemisso jejunio, ait, se illorum precibus satisfacturum.

67. Per id tempus regionem illam jugis nebula densaque adeo obsedit, ut sol a caelo migrasse videri posset. Totis enim viginti et eo amplius diebus nullus ejus splendor apparuerat. Metuebant omnes, ea re dira ac tristia portendi. Ubi advenit omnium Sanctorum solemnitas, ad B. Firmini adem mane advolant; adest et Godefridus episcopus; captam, in quam paulo ante transtulerat beati Martyris reliquias, jubet in terram deponi, vestibus pontificalibus indutus, nudis pedibus et lacrymabundus ad eam reverenter accedit (in ejusmodi enim rebus ad-

modum religiosus et pius cernebatur) sacras reliquias in pannum purpureum effundit, stansque loco editiori, ubi ab omnibus videri posset; En, inquit, dilectissimi, haec sunt Firmini martyris et protectoris nostri sacra ossa. Quod cum ille dixisset, mox basilicam omnem serenissima solis lux perfudit, cum jam pene mensem unum, ut diximus, radios suos omnes prorsus retraxisset. Ad tam evidens miraculum una omnes prorumpunt in laudem prepotentis Dei. Porro episcopum Godefridum rogant, ut dexteram Martyris separatim ponat, ut eam opportuno tempore et intueri et osculari facilius possint. Nec id eis vir pius negare voluit. Tandem omnes domum eunt. Hactenus Vita S. Godefridi de corporis in pretiosam thecam translatione, et gemina ostensione. Lucas Acherius in Annotatis ad Opera Guiberti varia objicit contra relationem jam datam, et Guiberti auctoritatem in contrarium allegat. Sufficiat hic dixisse, rationes Acherii plane esse invalidas, ut inferius probabo.

68. Laudatus Nicolaus lib. 3. num. 19. de S. Godéfride hæc refert: Cum autem nocte quadam... coram reliquiis B. Firmini martyris se lacrymabundus prostravisset, pro peccatis subditorum suorum deprecaturus, gravi pressus somno, vel potius mentis excessum patiens, vidit se extra urbem positum, ibique videbatur habere visionem oblatam, quæ urbis ruinam portendebat, ut refert auctor, deinde sic pergens: Cum autem multum horreret urbis eversionem, subito quemdam videt adstare sibi heroica forma virum, pontificalibus indutum, anulum aureum palmamque manibus vibrantem, coronam e rosis atque liliis, cui Dominica crucis signum præclare insertum esset, in capite gestantem. Volenti vero ad ejus pedes se sternere, et quis esset, percontanti, ille ait: Vide, ne feceris, Godefride sacerdos. Ego sum Firminus, hujus urbis primus episcopus, et martyr, qui etiam pro viribus ei excidenda auxilium ferre paratus sum. Sciscitanti autem Godefrido, quam ob causam tanta ira Dei urbi impenderet, dixit Martyr: Peccata plebis tua nimium increverunt. Tu igitur ea, qua vidisti et audisti, libera voce denuncia: argue, increpa, obsecra, insta opportune importune, mecumque pariter Christi clementiam deprecare, ut avertat furorem suum a populo. Addit, ex hac

visione vestem Godefridi episcopi lacrymis madefactam esse, eumque monitis et exhortationibus instituisse, ut populum ad meliora converteret, sed frustra.

69. Tunc subdit: *Ecce autem pridie ejus diei, qui beati apostoli Bartholomaei solemnes ferias celebraturi erant, nubes densissima totam obsedit urbem, lucem omnem in noctis tenebras commutans; moxque inde erumpens ignis, immensos frugum acervos passim in agris corripuit, et momento temporis absumpsit, flanteque vento vehementissimo, in oppidum invasit, et lapideas haud secus atque ligneas depascens ades, tanta vi bacchatus est, ut nemo ad sedandas et extinguendas flammam propius accedere auderet. Omnia igitur terribili illo incendio depopulante, nihil relictum est praeter adem B. Firmini martyris, et domum Godefridi episcopi, et pauperum quorundam casas, et quod prope incredibile videri possit, diversorum animalium pelles in flumen depressa, contra aquarum naturam inde semiusta extrahabantur &c.* Labet hic examinare, fuerit ne ecclesia illa S. Firmini, quae sola incendio superfuit, ecclesia cathedralis, in qua S. Firmini martyris, aliorumque Sanctorum Ambianensium servabantur corpora. Multum enim initio ea de re dubitavi, quia nec Morlierius, nec alii scriptores, quos quidem vidi, id exprimunt.

70 Consideratis tamen documentis omnibus, quae se offerunt, vix dubito, quin sit ipsa ecclesia cathedralis, quae sola in terribili illo incendio fuit conservata. Certe cathedralis Ambianensis eo tempore dicata erat beatissimae Virgini Mariae, et S. Firmino martyri, ut colligo ex charta Roriconis Ambianensis episcopi, data anno 1085. in concilio Compendiensi, quam recitat Labbeus tom. 10. conciliorum col. 407. Nam praeter alia in favorem ecclesiae SS. Acei, et Acheoli ibidem statuta, de dicta ecclesia sic loquitur Rorico: *Et quia, ut praefati sumus, ecclesia hac Genitrici Dei dicata fuerat, et hujus cathedra pontificum pulvis diu in ea laetaverat, canonicorum B. Mariae, et almi martyris Firmini, quorum prius fuerat, ditioni tantum committatur.* Canonici ecclesiae cathedralis dicuntur canonici B. Mariae, et almi martyris Firmini, ut nequeamus dubitare, quin ecclesia illorum utriusque esset dicata. Jam vero vix dubitare possum, quin eadem

eadem sit ecclesia, quam nomine S. Firmini martyris ubique laudat Nicolaus in Vita S. Godefridi. Etenim lib. 2. num. 2. S. Godefridus in urbis primo ingressu ad B. Firmini martyris ecclesiam nudis pedibus statim accedit, ibique sermonem habet ad populum. Idem num. 5. pro more in B. Firmini martyris ad eum orat. In eadem num. 26. et 27. concionatus est, et bis Sancti reliquias populo ostendit. In eadem saepius orasse dicitur, et nominatim lib. 3. num. 10., ubi sola memoratur ab incendio illaesa. De ecclesia vero alia B. Mariae Virginis nullibi in Vita fit mentio, ut necesse sit dicere, hanc illam ipsam esse, sed nomen S. Firmini, utpote urbis patroni, tunc usitatus fuisse, ideoque solum usurpatum a biographo. Postmodum tamen sub Everardo episcopo combusta fuit dicta cathedralis, ut tom. 10. Galliae Christianae col. 1182. legitur, ubi id dicitur contigisse anno 1220.

71. Laudatus Galliae Christianae auctor col. 1169. memoratam corporis S. Firmini translationem in thecam pretiosam figit anno 1107., nescio qua ratione, cum annus non exprimitur in Vita S. Godefridi, nec a Guiberto abbate, quem laudat. Si ordo narrandi recte servatus fuerit a Nicolao biographo, figenda potius veniet circa annum 1110. Incendium urbis Ambianensis in laudata Gallia Christiana figitur die XVI. Octobris anni 1107. Hic annus forte sumptus fuerit ex Breviario Ambianensi, ubi alius tamen notatur dies. Etenim in Breviario, quod habemus impressum anno 1554. ad XVI. Octobris habetur officium de Repositione S. Firmini, ibique lect. 5. et 6. haec leguntur: *Igitur anno Dominica Incarnationis MCVII., die videlicet, quo beati Stephani protomartyris celebratur inventio (id est die III. Augusti) adversarius noster drabobus ad malitia sua vota pervenit. Nam quaedam de exterioribus nostris igne consumpsit, sed interiora nostra, divina prohibente gratia, non attigit. Ejus quippe instinctu tota pene civitas cum ecclesiis, peccatis nostris exigentibus, quasi Sodomitanis ignibus hinc inde cremata fuit. Verum minoris auctoritatis est illud Breviarium. Eadem quidem epocha ponitur in antiquiore Breviario, opinor, eoque Ambianensi Ms., aut certe in Ms. Ambianensi, cujus apographum huc spectans ad nos missum est. At praefenda est*

auctoritas Nicolai biographi, qui asserit, incendium contigisse in pervigilio S. Bartholomæi, id est, XXIII. Augusti, illudque refert paulo ante mortem S. Godefridi, ut videatur contigisse ipso anno 1115., quo S. Godefridus obiit, non totis tribus mensibus ante beatum ejus obitum.

72. Quapropter sub aliquo Godefridi successore factum crediderim, quod in Breviario impresso datis de incendio verbis subjungitur hoc modo: *His ita gestis, clerus et populus, damno temporalium graviter lasi, sapienti ( si judicio collectoris credimus ) sunt usi consilio, ut B. Firmini martyr corpus infra ambitum suæ potestatis ( id est, per territorium Ambianense ) ad restorationem ecclesiæ suæ honorifice portaretur ( ad colligendam nimirum pecuniam. ) Statuta igitur die omnes pariter ad ecclesiam pervenientes, sperabant proprio privati Patrono. Unde tam majores quam minores vehementer dolentes, clamabant dicentes: Cur nos Pater deseris, aut cui nos desolatos relinquis? Heu! de tua absentia major erit nobis molestia, quam de bonis, quæ juste nobis divina abstulit sententia. Cum autem predictus Martyr ad portam, quæ vulgo dicitur ultra pontem, turbis comitantibus, pervenisset, adeo stetit immobilis, ut nulla humana virtute efferri potuisset. Illi vero, qui portabant, vellent nolent, steterunt. Quo comperito, omnes adstantes valde gaudentes, clamabant dicentes: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit salvationem plebis suæ. Ibi vero et in foro ac in ecclesia pretioso Martyri pretiosa munera offeruntur, aurea monilia, lapides pretiosi, et ea, quibus festivis diebus utebantur, vestimenta. His itaque gestis, thesaurus desiderabilis cum honore et reverentia in sede sua reponitur, et cum immensa latitia omnes ad propria revertuntur. Hæc eodem fere modo leguntur in Ms. mox laudato. Facta fuerint post mortem S. Godefridi, forte ante electionem successoris, aut sub Ingeranno, qui Godefrido successit, aut etiam serius sub Guarino.*

73. In eodem Ms. item referuntur nonnulla miseris prestita beneficia, de quibus acturus auctor anonymus, sic orditur: *S. Firmini miracula, quæ in textu Passionis, atque Inventionis ejus etiam contra naturæ cursum facta scribuntur, repetere superfluum ducimus. Pauca tamen, quæ coram positi*

*vidi-*

*vidimus, litteris decrevimus annotare. Omne enim bonum puberius tum elucescit, cum in commune deducitur, et ad notitiam plurimorum pertingit. Nostris itaque temporibus, cum prata et campi circumquaque nimio solis ardore tabescerent, et usque ad internecionem piscium aquæ funditus siccarentur, cleri et populi consilio decretum est, ut corpus beati Martyris circa urbem honorifice deferretur. Quod cum magno devotionis studio fieret, quadam vetula, quæ longo tempore contracta erat, tanti Martyris auxilium ex intimis precordiis cepit implorare: et quæ prius alienis manibus infirma ferebatur, continuo surrexit et nobiscum ad processionem, cunctis videntibus, laudans Deum ambulavit. Altera die, dum synodus in ecclesiam nostram, Warino nobili viro cathedra pontificali presidente, convenisset, quadam juvencula, pluribus annis muta, soluto per B. Firminum lingua vinculo, apertissime locuta est. Quo item die quidam provecta ætatis, caduco morbo diu detentus, in hanc civitatem ante salutiferam Martyris urnam adductus est, divinaque impendente misericordia, recepit sanitatem. Hæc tria videntur ab eodem auctore, qui se vidisse testatur, scriptis mandata. Episcopatus autem Warini aut Guarini, cujus tempore beneficia illa contigerunt, in novissima Gallia Christiana col. 1173. extenditur ab anno 1117. usque ad annum 1144.*

74. Si consilium de circumferendo S. Firmini corpore per ditionem Ambianensem sub eodem Guarino episcopo sumptum est, potuit idem auctor etiam scribere, quæ de incendio Ambianensi, et de corpore immobili in porta jam ex Breviario sunt recitata: nam hæc in Ms. sequuntur verbis paulo prolixioribus, quam data sunt superius. Verum saltem dubium mihi videtur, an illa ejusdem sint auctoris ob qualemcumque styli diversitatem, et quia dissentit a Vita S. Godefridi in designandis die et anno incendii Ambianensis. Quidquid sit, subjungo aliud, quod in illo scripto est ultimum et his verbis relatum: *Post hæc transactis fere quinquaginta diebus, pro famulo suo Firmino antiqua Deus iterum suscitavit miracula. Nam circa festivitatem ipsius, quæ est VII. Cal. Octobris flores apparuerunt in terra nostra, prata ad ecclesiam pertinentia cum arboribus recentè passis incendiis floruerunt. Et qui vidit, testimonium perhibuit, et testimonium ejus verum est.*

L L

est.

est. Plures etiam miracali novitate permoti, de longinquis regionibus venientes, de predictis floribus secum ad propria detulerunt. Potest hoc referri ad memoratum incendium Ambianense, et sic non erit auctoris, qui tria mox data beneficia narravit; aut ad nimiam siccitatem et solis ardorem, cujus causa corpus S. Firmini delatum est circa urbem, eaque ratione illud pro beneficio, corporis delatione obtento, idem auctor narrare potuit.

## S. V. I. I.

Corpus theca aurea impositum: aliquot S. Firmini ecclesia: cultus in aliis Gallia diocesisibus.

75. Eximiam porro fuisse Ambianensium seculo XII. erga sanctum Firminum pietatem et reverentiam, luculenter declarat theca aurea, qua sacrae ipsius reliquiae eodem verisimiliter seculo honoratae fuerunt. Certe ea composita est sub Theobaldo episcopo, qui cathedram tenuit ab anno 1169, usque ad 1204. Observat id auctor Galliae Christianae recusae tom. 10. col. 1179. his verbis: *Theobaldo sedente, corpus S. Firmini martyris theca aurea fuit donatum, ut fidem faciunt versus inscripti, quos supra in S. Firmino retulimus.* Versiculi autem, qui id indicant, hi sunt:

*Suscipiat Martyr opus hoc utinam sibi gratum;*

*Quod proprii scit amore gregis studioque paratum,*

*Hujus ugentis loci Theobaldo pontificatum.*

Huic primi lateris infimae inscriptioni respondet in altero latere altera, qua S. Firminus invocatur his versiculis:

*Qui jugem vigil exhibuit Domino famulatum,*

*Unde patris precibus nil debeat esse negatum,*

*Obrineat famulis finem sine fine beatum.*

Pretiosissimam thecam illam, ingentique mole et arte non minus quam auro et gemmis mirabilem, anno 1752. ipse cum collega lustravi, praesentibus, eamque in varias partes versantibus mira humanitate dominis canonicis, eaque occasione versiculos insculptos exscripsimus. Tres ex illis ad gloriam posthumam spectantes dedi num. 53. et 54.

76. Reliquos novem, quibus vitae compendium exhibetur, huc transfero. Pictura repraesentat S. Firminum, qui pedum pastorale accipit a S. Honorato Tolosano, adsculptis his vocibus. S. HONORAT. THOLOSAN. EPIS. S. FIRMINUS.

*Prasul, ut est moris, baculo donatur honoris.*

Deinde exhibetur S. Firminus Pompelone valedicens parentibus et S. Honesto, additis his vocibus: PARENTES. S. HONEST. SCS. FIRMINUS. PAMPILONA, et hoc versiculo:

*Mittitur et flentum flens respicit ora parentum.*

Tertio loco sculptura exhibet conversionem populi, non modo Agenni, sed etiam in Arvernia, licet versiculus solius Agenni meminerit: nam voces adsculptae haec sunt: S. FIRM. ARCHADIUS. ROMULUS. JUDICES. Archadium autem et Romulum confutasse et convertisse dicitur, postquam Aggenno discesserat in Arverniam. Possunt igitur etiam facta in diocesi Andegavensi intelligi illo versiculo comprehensa.

*Principuos regni docet et baptizat Agenni.*

Inde transitur ad gesta in urbe Bellovacensi, repraesentaturque Sergius praefectus Sanctum urbe pellens, sed forte rectius dicitur in carcerem conjiciens cum his vocibus: POPULUS BELVACENSIS. S. F. SERGIUS PRESES, et hoc versiculo:

*Sanctum com (cum) turbis turbat malus arbiter urbis.*

Mox sequitur mors Sergii, equo dejecti, et S. Firminus in carcere, ut insinuant voces additae: SERGIUS. CARCER. S. FIRMINUS. Versiculus hic est:

*Prasidis injusti mors justa sic fuit isti.*

77. Sexto loco repraesentatur exstructio ecclesiae S. Stephani, ut innuunt adjectae voces: S. F. IN HONORE S. STEPHANI. Hanc quidem Bellovacis exstructam habent Acta, at videntur Ambianenses eo tempore credidisse, ecclesiam illam Ambianis a Sancto structam, nisi forte voluerint, sedem episcopalem Bellovacis primum a Sancto positam. Certe versiculus utrumque in eadem civitate factum insinuat:

*Prasulis hic sedem figit, et protomartyris edem.*

Prima in altero latere sculptura repraesentat Ambianis conversionem Faustianiani cum his vocibus: AMBIANIS. S. F.

FAUSTINIANUS. Versiculus hic additus:

*A cultu vano converso Faustiniانو.*

Mox exhibetur Sanctus in porta civitatis sanans cæcum, et duos leprosos, additis his vocibus: **PORTA CLIPIANA**, S. F. et hoc versiculo:

*Christi virtutem probat his operando salutem.*

Tandem exhibetur præfectus Sebastianus, jubens Sanctum occidi in carcere, his vocibus figuras explicantibus: **SEBASTIANUS PRESES**. S. F. **GARCER**. Versiculus additus ita sonat:

*Sicque Deo gratus fit victima clava jugulatur.*

Hæc dicta sufficiant de magnifica illa reliquiarum theca, quæ cum aliis servatur in gazophylacio ecclesiæ cathedralis. Thecæ isti respondet magnificentia ecclesiæ ipsius cathedralis, cujus fundamenta anno 1220 jacta sunt per Everardum episcopum, postquam combusta erat antiqua.

78. Claruisse miraculis *S. Firminum* etiam seculo XIV., colligo ex litteris Roberti Ambianensis episcopi, datis anno 1318. mense Augusto, quibus varia decernuntur de cultu Sanctorum Ambianensium, et nominatim, ut in festo *Inventionis B. Firmini martyris*... fiat in eadem ecclesia magnum *daplum*, et omnia ad divinum cultum spectantia, ad ipsius memoriam in ecclesia celebriter decantentur &c. Nam hæc deinde subjungit laudatus episcopus: *Et quia laudes gloriosa Virginis Genitricis Domini Dei nostri, et B. Firmini martyris, quæ longe lateque multipliciter diffunduntur, tacere non possumus, nec sub dissimulatione transire: considerantes insuper, quod ipsius Virginis Mariæ Unigenitus clara et aperta miracula in eadem ecclesia pro eadem, et suo inclyto Martyre prædicto sapienter operatur, quæ interdum pro eo, quod non pulsatur in adventu eorum in eadem ecclesia, in oblivionem hactenus transierunt: simili modo statumus et etiam ordinamus, quod, quotiescumque et quantacumque miracula in ecclesia eveniant, Domino faciente, ad dilatationem fidei, et devotionem fidelium ampliores, per gentes nostras pulsentur campana solemniter, accendantur cerei, et venerandum corpus B. Firmini discooperiatur de nostro, sicut superius expressum, et Te Deum laudamus per chorum devote et solemniter decantetur &c.* Totæ hæc litte-

ræ videri possunt apud Lestoquium in Dissertatione de Corpore S. Firmini Confessoris pag. 239. et seqq.

79. Præter ecclesiam cathedralem, quæ olim non tantum beatissimæ Virgini Mariæ, cujus hodierna titulum habet, sed etiam *S. Firmino* martyri fuerat dicata; alia Ambiani extat ecclesia parœcialis *S. Firmino* sacra, eaque æquodmodum vetusta, quæ vocatur *S. Firmini in Castellione*. Creditur illa extracta supra carcerem, in quo *S. Firminus* capite plexus est. Habet certe cryptam subterraneam cum altari ibidem extracto, et in crypta duo ostenduntur ergastula, in quorum altero occisum *S. Firminum* credunt plerique Ambianenses. Morlierus, qui ejusdem est opinionis, pag. 65. asserit, ea de re nullum posse esse dubium; vultque fuisse carcerem Ambianensis castri, in quo cæsus sit Sanctus. Attamen non videtur ea esse communis omnium Ambianensium sententia: dum enim anno 1752. ecclesiam illam cryptamque studiose lustravimus, nobis suggestit nonnemo, *S. Firminum* occisum non esse illo loco, sed in loco *Ad Lapidem* dicto. Alia ibi est ecclesia parœcialis *S. Firmini*, quæ *Ad portam*, vel *Ad lapidem* vocatur, ubi olim fuit abbatia, *S. Firmini in Valle* dicta, Ordinis Præmonstratensis, quæ seculo XII. ad alium locum magis ab urbe remotum translata est, mutato nomine una cum loco, et etiamnum floret nomine *S. Joannis*. De illa abbatia videri potest *Gallia Christiana* tom. 10. col. 1354. et seqq., aut Hugo in *Annalibus Ordinis Præmonstratensis* tom. 1. col. 901. et seqq. Hic. col. 911. numerat ecclesiam illam inter parœcias abbatiæ *S. Joannis* subjectas, docerque sitam esse intra civitatis mœnia. Fuerat tamen seculo XII. condita in suburbio, sed suburbia postmodum urbi inclusa fuerunt, ut docet Morlierius pag. 69., qui etiam de fundatione illius ecclesiæ videri potest pag. 93. et 94. Utra vero ecclesia *S. Firmini* constructa fuerit supra carcerem Sancti, et an id satis certum sit de alterutra, edicere nequeo. Laudatus Morlierius pag. 85. insinuat, caput *S. Firmini* seorsum a corpore servari in sacello *S. Joannis Baptistæ*. Partem capitis esse existimo, quam circa annum 1590. Godefridus de la Martoine, episcopus Ambianensis capiti argenteo imposuit, ut invenio in fragmentis, quæ ex Opere Mauritiï du Pré Bol-



Bollando olim sunt communicata. Hactenus de cultu in diocesi Ambianensi.

80. Verum colitur etiam *S. Firminus* in aliis pluribus Galliarum diocesisibus, et præcipue in vicinioribus. Bellovacense antiquum Breviarium de *S. Firmino* episcopo martyre exhibet Officium novem lectionum: neque immerito Bellovacenses *S. Firminum* celebrant, cum illum prioribus civitatis suæ apostolis annumerent, licet episcoporum Bellovacensium catalogo eundem merito excludat Antonius Loisel pag. 66. Louvetus pag. 165. ad marginem Gallicæ hæc scribit: *In foro Bellovacensi etiamnum extat lapis, qui vulgo appellatur LE PAS DE S. FREMIN. sive S. Firmini vestigium. Huic lapidi pedis sui vestigium, quod adhuc cernitur, impressisse S. Firminum, quando inimicorum fidei Christiana favori cedens, recessit ab urbe Bellovacensi, habet traditio. Dicitur item egressus per meatum quemdam subterraneum, qui habetur ad portam domus hospitalis. Hac quidem asserta non sunt ullo testimonio scripto, sed sola traditione et communi voce populi, qua tamen a vero non nimis abesse videtur; quandoquidem nostro tempore in fossis prope portam hospitalis, et extra urbem inventus est meatus subterraneus aquans aqua fastigium, qui concameratus est, ducitque versus abbatiam S. Luciani, capit autem duos homines uno ordine procedentes. Ita ille. At dicta Bellovacensium traditio de fuga Sancti per meatum subterraneum, cum antiquo scripto non sit confirmata, inventionem ejusmodi meatus parum juvari potest.*

81. In antiquo Breviario Rotomagensi notatur festum *S. Firmini* celebrandum, ut festum *triplex*. Pluribus seculis tanta solemnitate celebratum fuisse Rotomagi festum *S. Firmini* liquet ex Chronico Rotomagensi apud Labbeum in Bibliotheca tom. 1. pag. 375., ubi Theobaldus episcopus, anno 1229. defunctus, illud instituisse dicitur. In Breviario novissimo tamen solum ponitur ut simplex. In Lexoviensi diocesi, quæ est sub metropoli Rotomagensi, colitur etiam *S. Firminus*; sed in Breviario anni 1624. unam tantum de Sancto lectionem invenio. Verumtamen in Lexoviensi diocesi est locus, quem designat Morlierius pag. 158. tamquam cultu et miraculis *S. Firmini* insignem, ita Gallicè scribens: *Plura at-*

*signantur*

*signantur loca, in quibus magnus ille Sanctus substitit et populum docuit. De his nullum potest esse dubium, cum miracula, qua in illis quotidie fiunt, nimis luculenter veritati attestentur. Tum unum ex illis locis assignat in hodierna Normannia, et in diocesi Lexoviensi, sic pergens: Ut fit duobus milliariibus Gallicis a Ponte Andomari in sacello, dedicato huic Sancto Martyri, quod situm est intra pradium rusticum, nominatum Du Doub, et pertinens ad abbatiam Pratellum, ubi ex traditione populi Sanctus creditur in carcerem fuisse conjectus. Eo accurrunt singulis annis mense Septembri, in quem incidit festum decollationis S. Firmini nostri, ultra decem hominum millia: nec ullus præterlabitur annus, quo non patretur insigne aliquod miraculum, ut jam inde narrentur usque ad sexaginta, eaque insignia qua jam dudum scriptis vulgare debuerant, qui Vitas Sanctorum ex instituto conscribunt. Vellem, nonnulla ex miraculis saltem breviter recensisset Morlierius, si ea bene habebat comperta: nam neque de illis miraculis quidquam invenio; neque de ipso S. Firmini cultu in loco assignato. Arturus a Monasterio in Neustria pia pag. 505. fuse agit de Pratello abbatia, ad cujus dominium locus pertinere dicitur, sed de cultu aut miraculis S. Firmini non meminit.*

82. Possem hic enumerare metropoles Trevitensem, Remensem, Senonensem, Parisiensem, multasque ecclesias cathedrales, maxime in Gallia Belgica, quæ festivitatem *S. Firmini* Officio duplici, semiduplici, simplici, aut etiam sola commemoratione celebrarunt olim, aut etiamnum celebrant, ut constat ex Breviariis; sed ab ea enumeratione brevitate gratia abstineo, præsertim cum in iis non raræ sint mutationes in Gallia. Quod vero spectat ad reliquias; in Chronico Centulensi apud Acherium tom. 4. Spicilegii pag. 503. refertur, Odulphum custodem ecclesiæ S. Richarii petisse reliquias ab episcopo Ambianensi Hilmerado, atque obtinuisse ex casula Sancti Firmini, quam habuit indutam, cum interficeretur pro Christo. Habebunt verisimiliter et aliarum ecclesiæ aliquid reliquiarum *S. Firmini*, quemadmodum certo habent Pompelonenses, de quorum in *S. Firminum* pietate inferius agam prolixius. Verum minutas quaslibet reliquiarum particulas omnes investigare non possumus. Itaque procedo ad

exa-

examinandas rationes eorum, qui totum corpus S. Firmini ecclesie suae attribuunt.

## S. I X.

*Utrum corpus S. Firmini translatum sit ad  
abbatiam S. Dionysii.*

83. **H**actenus de corpore S. Firmini episcopi et martyris, apud Ambianenses servato, ita locutus sum, ac si nullum esset dubium, quin sit verum Sancti corpus, prout revera mihi nulla de ejus veritate est dubitatio. Verumtamen a pluribus seculis Guibertus abbas Novigenti dubitationem de veritate illius corporis ingerere studuit, aut potius corpus S. Firmini attribuere voluit celebri abbatiae S. Dionysii in Francia prope Lutetiam Parisiorum. An Guibertus in sua semper manserit opinione, et aliquos seculi XII. quo floruit, aut sequentibus seculis consentientes habuerit, prorsus ignoro. Acherius enim, qui Opera Guiberti abbatis anno 1637. edidit, et in Notis ad Guibertum pag. 566. ejus de corpore S. Firmini asserta tueri voluit, nullum adducit alicujus meriti scriptorem dictae opinioni suffragantem. Recitat tamen scriptum quasi vetustum, in quo narratur translationis historia tam ridicula et inconcinna, tamque aperte fabulosa, ut scriptores Benedictinos magis criticos illius historiae puduerit. Certe Michael Felibien in Historia abbatiae S. Dionysii pag. 20. Historiam ab Acherio adductam aperte refutat, licet alias pag. 143. possessionem corporis S. Firmini, verbis saltem, abbatiae suae asserat.

84. Mabillonius quoque in Annalibus Benedictinis tom. 1. pag. 370. satis aperte insinuat, Historiam illam ab Acherio productam pro corpore S. Firmini, aequae ac alias pro aliis Sanctorum corporibus, quae sibi attribuit abbatia S. Dionysii, fidem non mereri, haec scribens: *Haud scio, an meliori fundamento nitantur, qui spoliatas ab eo (Dagoberto rege) ecclesias produunt, ut unam S. Dionysii basilicam ex veteris rapinis locupletaret. Nam praeter valvas ex fastiis are, quas ex Pictaviensi sancti Hilarii basilica dicitur abstrulisse,*

*lisse, multa Sanctorum corpora ex aliis ecclesiis ab eo vi sublata perhibent, S. Hilarii episcopi Pictaviensis, Firmini Ambianensis martyris, Patrocli Gratianopolitani, Hilarii Gabaliotani, et Romani monachi. Quae quidem corpora hodie quoque Dionysiani nostri ostendunt: an vero vi sublata, an potius precario accepta fuerint, non satis exploratum. Ita non loqueretur Mabillonius, si Historia per Acherium allata utcumque videretur probabilis. Verumtamen Joannes Baptista Thiers, qui corpus S. Firmini confessoris ecclesiae cathedrali Ambianensi Dissertatione magis acri, quam solida, eripere tentavit, et in eadem Dissertatione cap. 16. idem facere studuit de corpore S. Firmini martyris, ex dicta Acherii Historia prolixè argumentatur. At Thiersio multo melius et modestius respondit Lestoquius in Dissertatione I. pro corpore S. Firmini confessoris part. 2. cap. 3., qua corpus S. Firmini martyris Ecclesiae Ambianensi vindicat. An alii postea eandem controversiam tractaverint, non intellexi. At pro instituto nostro eam mihi praetermittere non licet. Quare expendam rationes, quae pro utraque parte se offerent.*

85. Guibertus abbas Novigentinus in Opusculo de Pignoribus Sanctorum lib. 1. cap. 3. §. 2. haec scribit: *Plane decessor meus (S. Godefridus) Ambianensis episcopus, cum corpus Firmini martyris, ut putabat, quatenus de theca in thecam transferret; nullum inibi pitacium, ne unius quidem litterae testimonium, quis ibidem jaceret, invenit. Ab Atrebatensi et ipso Ambianensi episcopo audiivi, quod refero. Qua de re urbis episcopus plumbea lamina mox inscripsit, quod illic conderetur Firminus martyr Ambianorum Episcopus. Nec mora, in monasterio S. Dionysii idem actitatur. Parata ab abbate ornatiori capsula, dum inde extollitur, dum cum membris caput evoluitur, membranula in Martyris naribus reperitur, in qua, quod esset Firminus Ambianensis martyr, expromitur. Igitur Ambianensibus cum nil in tanto adstipuletur negotio, aliis autem e regione, cum vel vocem testimonia qualiacumque suppeditent, ratio, quaso, cujuslibet judicium factura consedat. Quicquid in plumbea a domino episcopo scriptum est lamina, nonne jure cassabitur, cui in conscriptione illa nil prorsus testificatur? Et certe Dionysienses illi quomodocumque vel nutiunt, qui*

*saltem literalis utcumque subnixi sunt.* Hæc Guibertus, cujus iudicio tantum tribuit Acherius in observationibus pag. 566, ut illum velit opponere et præferre Nicolao Suessionensi monacho, qui vitam S. Godefridi conscripsit, et cujus verba dedi num. 65.

86. Verum in tota relatione Nicolai de translatione S. Firmini nihil prorsus invenio, quod non optime cohæreat cum assertis Guiberti, etiamsi hæc fingamus certa et indubitata. Uterque enim scribit, corpus S. Firmini a S. Godefrido in aliam thecam translatum. Ad hanc solemnitatem concurrisse ingentem hominum multitudinem docet Nicolaus: neque id negat Guibertus. Contra Guibertus asserit, nullum cum corpore testimonium fuisse, quando arcam aperuit S. Godefridus: neque ab eo asserto dissentit Nicolaus, cum de testimonio in arca invento altum sileat. Quapropter ne minima quidem est dissensio inter Guibertum et Nicolaum in iis, quæ narrarunt de corporis in aliam thecam transpositione: et gratis Acherius contra Nicolaum declamat, ac si minus sincere scripsisset, ac si simplex fuisset et nimis credulus; imo et *adolescens, qui vix pubertatis annos excesserat.* Nulla in relatione Guiberti et Nicolai est dissensio, inquam, ut persuadere conatur Acherius, cum omnia utriusque asserta optime conciliari possint. Dissenserunt tamen illi scriptores iudicio, quod tulerunt de corpore per Godefridum in aliam thecam translato: nam Nicolaus nullum insinuat dubium, quin illud sit corpus S. Firmini; Guibertus vero lectoribus suis persuadere conatur, illud pro corpore S. Firmini non esse habendum. At ibi Guibertus non pugnat contra Nicolaum, qui necdum scripserat, sed contra S. Godefridum, qui illud pro corpore S. Firmini transtulerat. Itaque auctoritas Guiberti opponenda est auctoritati S. Godefridi, non solius Nicolai, ut parum considerate facit Acherius.

87. Si modo auctoritatem Guiberti in hisce ponderare velimus, tantæ gravitatis non videtur ejus assertum, ut prudens nobis dubium possit ingerere. Primo enim sanctissimo viro, et decessori suo in abbacia, Godefrido Ambianensi iniquum variis locis se exhibet, gesta ejus maligne carpit, et de intentione etiam viri sancti, quæ soli Deo nota est, iudi-

dicem se temere statuit. Pauca huc transfero. Guibertus lib. 2. de Vita sua cap. 2. Sanctum Godefridum abbatæ præfectum insinuat fuisse, *sicut lumen parvissimum mediis in tenebris*, ac deinde non obscure innuit, sibi Godefridum esse suspectum de episcopatu desiderato, hæc addens: *Didici autem, quod hereditas, ad quam festinatur in principio, benedictione caritura sit in novissimo. Initia plane cum solita plena laudis habuerit, et per annos aliquot rumor ei præconiosus accesserit, jam, ut est videre, quidquid apud hominem gloriarum excandescere videbatur, non modo intepuit, sed refrigit.* Hæc autem acerbe insultans Guibertus, non hominum perversitati, ut debuerat, attribuit; sed ipsi Godefrido, ac si initio magna promississet, et quotidie minora præstitisset. *Ejus enim status, inquit, in dies copiose lentescens, se ipsa deteriorum cepit indesinenter facere sponsonem.* Mox iterum cap. 3. ait, felicem esse potuisse in suo monasterio, *si habitis contentus esse vellet*, ac si ambitiose episcopatum desiderasset. At biographus lib. 1. cap. 30. testatur, Godefridum fuga evadere voluisse, dum erat electus, et jussum tandem in electionem consensisse. Et certe non erat viri humani et moderati talia de sancto scribere, qualia scribit Guibertus. Longe etiam acerbiora sunt, quæ lib. 2. cap. 13. habet occasione dimissi a Godefrido episcopatus, ac deinde resumpti ad mandatum archiepiscopi Remensis. Omitto dicteria homine iracundo digna, indigna abbate Guiberto, nec dubito aperte edicere, tantam fidem mereri Guibertum contra S. Godefridum, quantam meretur hostis declamans contra eum, cui iratus est.

88. Quapropter valde suspectum est, quod asserit Guibertus, de nullo invento corporis testimonio. Ait quidem, id se accepisse ab Atrebatensi episcopo, et ab ipso Ambianensi; sed hi forte aliquid narraverunt de gestis in illa translatione, quod ipse pro suo ingenio exposuerit, et ex quo in eam opinionem perductus fuerit. Certe non crediderim, S. Godefridam imprudenter processisse, et sine certa satis scientia corpus S. Firmini fidelium venerationi exposuisse. Aut noverat, monachos S. Dionysii corpus S. Firmini sibi adscribere, aut id ignorabat. Si noverat, tanto cautius proces-

sisse credendus est vir sanctus, et consequenter thecæ non imposuisset laminam plumbeam, qua *S. Firmini* corpus esse asserebat, nisi aut ante certa habuisset argumenta, aut certa invenisset indicia. Si persuasionem Dionysianorum ignorabat, ea verisimiliter passim ignota erat, et forte necdum nata. Verum sive controversia illa jam nata esset, sive postmodum fuerit exorta, multo magis ego confido prudentiæ *S. Godefridi* in agendo, quam *Guiberti* abbatis in scribendo. Poterat *S. Godefridus* corpus, quod pluribus seculis in ecclesia *Ambianensi* pro corpore *S. Firmini* habitum fuerat, et cultum ab omni populo, pro eodem habere, etiamsi non invenisset disertum ejus rei testimonium, cum constaret de corpore per *S. Salvium* invento, et numquam deinceps ablato, notusque esset locus, ubi servabatur, et arca, qua erat reconditum. At *Guibertus*, etiamsi velimus vera credere, quæ audivisse se asserit de inventa membranula in martyris naribus apud *Dionysianos*, levitatem suam prodit in iudicio ferendo in favorem illius corporis. Certe membranula in naribus sic inventa debebat magis esse suspecta, ubi de translatione non constabat, quam corpus sine testimonio, sed in propria ecclesia custoditum, et pro corpore *S. Firmini* habitum.

89. Itaque exigui ponderis esse videntur dicta hominis, contra virum sanctum, quacumque oblata occasione, declamantis, mira cum levitate iudicium de re non satis examinata ferentis, multa in Opere suo ex solo auditu sic enarrantis, ut fidem difficulter sint inventura apud prudentes. Si *Guiberto* omnia, quæ ferreo stylo leviter asserit, probanda fuissent, non pauca prætermisisset, opinor. Quapropter nemo, opinor, ægre ferre poterit, si *Guiberto* credendum non censeam in iis, quæ de *S. Firmino* *Ambianensi* episcopo et martyre asserit, cum diligenti inquisitione non potuerim invenire ullum scriptorem probæ notæ, aut ullum omnino hominem, qui seculis XII, XIII, et XIV. ad asserta illa *Guiberti* attendisse videatur, aut iis fidem habuisse. Fidem certe non habuerunt *Ambianenses*, qui sine ullo dubio perrexerunt colere corpus in sua ecclesia servatum, idque eodem seculo in thecam auream transtulerunt. Fidem non habuerunt *Pompeleonenses*, qui eodem seculo reliquias *S. Fir-*

*mini* ab episcopo *Ambianensi* petierunt. Fidem similiter *Guiberti* iudicio non habuit *Nicolaus Suessionensis*, qui nullum in Vita *S. Godefridi* insinuat dubium, quin corpus *S. Firmini* servetur in ecclesia *Ambianensi*. Scribebat autem *Nicolaus* eodem seculo, quo scripserat *Guibertus*; nec ignorare facile poterat persuasionem *Dionysianorum*, si hi eo tempore credebant, corpus *S. Firmini* in sua servari ecclesia. Cur igitur de corpore in dicta abbatia servato non meminit *Nicolaus*? an monachus ipse monachis opponere se voluit, et potius ecclesiæ *Ambianensi* favere? Neutrum est verisimile. Unica ratio silentii est, ut conijcere licet, quod ne ipsi quidem *Dionysiani* corpus *S. Firmini* *Ambianensis* sibi vindicarent. Etenim, quantumvis diligenter scriptores *Dionysianos*, adductaque ab illis documenta perlustrarim, nullum reperire potui vestigium servati ibidem seculo XII. corporis *S. Firmini* *Ambianensis*. Non inveni cultum Sancti in abbatia celebrem, qui simile quid innueret, non scriptorem illorum temporum, qui id indicaret, non documentum probum, in quo *S. Firmini* mentio fieret; nihil denique in gestis abbatum *S. Dionysii*, nihil in *Chronicis* seculi XII., aut XIII., nihil in descriptione ecclesiæ ac suppellectilis sacræ. Itaque difficulter credere potero, ipsos *Dionysianos* seculo XII., *Guiberti* iudicio adhæsisse, aut credidisse, corpus *S. Firmini* *Ambianensis* in sua ecclesia servari.

90. Frustra igitur comparisonem inter *Guibertum* et *Nicolaum* instituit *Acherius*, frustra *Guibertum* attollit supra meritum, ac *Nicolaum* infra meritum deprimit. Frustra suspicatur, *Nicolaum* sic de translatione scripsisse, uti fucum faceret, et obnubilaret veritatem. Nam bona fides et moderatio *Nicolai* in scribendo magis elucet, quam ut ejusmodi suspicio verisimilis sit aut tolerabilis, præsertim cum abbates *S. Dionysii*, qui illis temporibus fuerunt *Adamus* et celeberrimus *Sugerius*, nihil videantur movisse *Ambianensibus* controversiæ ad possessionem *S. Firmini* *Ambianensis* sibi vindicandam, et *Nicolaus* comunem opinionem solum videatur secutus. Recte quidem ait, *Guibertum* nil parcere, nil dissimulare potuisse; sed ea de causa *Nicolao* præferendum non existimo. Vellem magis parcere novisset iis, qui-

bus iratus erat. Vellem magis potuisset *dissimulare* ea, quæ testimoniis non satis certis, et forte levibus conjecturis sibi persuaserat; et sic majorem Guiberti dictis fidem haberem. Nunc vero, quia Guibertus majori libertate utitur, quam crisi et prudentia; Nicolao scriptori sobrio et modesto magis credendum censeo, quam Guiberto, non libero solum, sed etiam iracundo. Ait hic, apud Dionysianos inventam esse *in martyris naribus* membranulam, *in qua fuerit scriptum quod esset Firminus Ambianensis martyr*. At cum hoc asserto non satis congruunt allata a Doubleto in Historia abbatix S. Dionysii lib. 1. cap. 42. Asserit ille pag. 314. decimum ex sacellis superioribus dicatum esse *S. Firmino episcopo Ambianensi et martyri*. Cujus, inquit, corpus, excepto capite, ibi requiescit in theca lignea et inaurata. Non satis capio, quomodo membranula inventa fuerit *in naribus*, si caput non esset cum reliquo corpore. Ut igitur dictum illud Guiberti censeretur verum, debuisset caput deinde a reliquo corpore fuisse separatum: sed hanc separationem nullo documento probari posse existimo.

91. Magis contra Guibertum faciant, quæ deinde subjungit Doubletus. Ait dicta arca contineri scriptum, litterisque majusculis in eo hæc verba exarata: *Corpus sacratissimum beati Firmini martyris*. Addit, in sacello scriptos esse duos hos versiculos:

*Discat, qui nescit: Firminus ibi requiescit*

*Martyr, pro certo nobis datus a Dagoberto.*

Si ejusmodi scriptura in naribus aut inter reliquias martyris inventa fuerit, qualis datur a Doubleto, lapsus est precipiti crisi Guibertus, qui ex Firmino martyre statim fecerit *Firminum* Ambianensem. Non noverat parcere, non noverat dissimulare, simul atque credebat, se aliquid invenisse contra S. Godefridum, cui iratum se ubique ostendit, ac precipiti magis iracundia, opinor, quam mala fide, supplet, quod invento scripto deerat, dicens, *Ambianensem* in scripto dici, cum in eo solum vocaretur *Firminus martyr*. At Firmini martyres plures sunt; unus vero tantum eo nomine innotuit Ambianensis. Præterea *Firmi*, aut *Firmini* nomine donari possunt martyres, quorum ignotum est nomen, cum

animi firmitate opus fuerit, ut coronam consequerentur. Scriptura igitur non magis docet, etiamsi reliqua Guiberti dicta admittere velimus, Firminum illum esse Ambianensem, quam Græcum, aut Armenum. Accedit omissa vox *episcopus*, qua omissione potius innuitur, Ambianensem non esse, cum episcopatus *Firmini* Ambianensis certus esset et notus. Ceterum nemo contendat, in scheda inventa scriptum fuisse *Firmini Ambianensis*, licet vox *Ambianensis* omissa sit in lamina deinde apposita. Neque enim umquam verisimile fiet aut credibile, vocem deinde in lamina omittendam fuisse, si in priori scripto fuisset inventa. Hæc sufficere existimo contra objectam Guiberti auctoritatem.

92. Laudatus Doubletus, ut corpus *S. Firmini* martyris Ambianensis abbatix S. Dionysii vindicaret, ridiculam produxit translationis historiam *ex antiquo admodum*, ut ait, Ms. erutam. Eadem historiam recudit Acherius in Annotationis ad Guibertum pag. 567. ex veteri Ms. codice *bibliotheca S. Victoris Parisiensis*. Lestoquius vero pag. 198. advertit, Ms. illud S. Victoris esse in charta communi, et videri non vetustius seculo XVI. Jam monui, Mabillonium et Felibienum a fabulosa illa historia prorsus abstinere. Quinimo videtur Mabillonius minime dubitasse, quin corpus *S. Firmini* servetur in ecclesia Ambianensi. Certe tom. 5. Annalium pag. 482. observat, *sacras beati Firmini martyris aliorumque reliquias* humi fuisse depositas a S. Godefrido Ambianensi. Si dubitasset Mabillonius de veritate corporis *S. Firmini*, quod Ambiani servatur, potuisset generatim edicere, reliquias humi fuisse depositas. Quapropter, etiamsi tom. 1. pag. 370. Dionysianos aperte non oppugnet, clare tamen deinde sententiam suam pro Ambianensibus edixit. Felibienus abbatix suæ, cujus historiam scribebat, causam deserere noluit; sed eam defendit pag. 143. solius Guiberti auctoritate. Noluit tamen Guiberti verba ad litteram exprimere; sed ubi ille dixerat, *in naribus* inventam membranulam, Felibienus ait *inter ossa*. Poterat sic Guibertum corrigere, cum dicit, in membranula scriptum fuisse *Firminus martyr Ambianensis*, cum vox *Ambianensis* abfuerit a scripto per Doubletum recitato, ut jam monui; eademque fere sit ratio correctio-

ctionis utriusque. Verum, ea facta correctione, non poterat Felibienus aliquid afferre contra Ambianenses, cum nolit propugnare fabulosam Doubleti historiam, et sic deseruisset causam abbatiæ suæ, pro qua dum nil attulit ex ditissimo tabulario, vel silens inopiam hic suam satis manifestavit.

93. Quod jam spectat ad historiam fabulosam a Doubleto et Acherio editam, compendium illius hoc est. Hunni dicuntur tempore Dagoberti regis, id est, seculo VII. inter annum 622. et 638. Franciam subjugare voluisse, sibi que consentientes habuisse Flandros et Ambianenses. Mox ait, omnes simul movisse versus Franciam, iisque occurrisse Dagobertum cum exercitu *ad locum, qui Leo tunc temporis dicebatur*, cæsos autem a Francis fuisse Hunnos eorumque socios tanta cum strage, ut nullus evaderet, locusque ex strage fuerit vocatus, *Lyons ensantez, quod Latine Leo in stagno sanguinis dici potest*. Parta victoria, Dagobertus dicitur Ambianum duxisse, urbemque occupasse; cumque reliquiæ ad munitum castrum, *quod Pinguigniacum dicitur*, delatæ fuissent, eo similiter agmen ducit, castrum occupat, ac *S. Firmini* martyris corpus ad abbatiam S. Dionysii transfert. Miseram hanc indocti hominis fabellam, ut veram historiam, ediderunt Doubletus et Acherius. Thiersius vero huic aliam quoque jungit Gallicam, aut eandem potius Gallice cum nonnulla mutatione datam a Nicolao Gilles, qui Annales Franciæ conscripsit sub finem seculi XV., et fabulam etiam defendere conatur contra Cointium. Hic ad annum 638. num. 8. hæc observat: *Primo, Dagobertum nec Hunni bello laceraverunt, nec Ambianenses ad ultionem provocaverunt facta defectione... Secundo, Flandrenses Ambianensibus non erant contermini, regnante Dagoberto*. Addit, Flandrenses non diu ante innotescere cœpisse, et minus late fuisse extensos. Hæ observationes sufficere poterant, ut diceret, *opus illud esse auctoris nec valde antiqui nec multum eruditi*.

94. Attamen Thiersius pro sua crisi negat, adductas esse rationes a Cointio; additque, forte Hunnos fuisse pro Winidis sumptos, cum Winidæ non longe ab Hunnis sedes haberent in Dacia. Ad alteram observationem ait, nec a Cointio, nec a Bollando, quem ille laudaverat, probatam fuisse Flan-

dro

drorum ab Ambianensibus distantiam, aut limites angustiores. Tum vero in rem suam adducit hæc Baronii verba: *Quod a recentiore auctore de rebus adeo antiquis sine alicujus vetustioris auctoritate profertur, contemnitur*. Verum quam inepte illa adduxerit Thiersius, videbit lector, modo inspexerit Commentarium Bollandi de sancto Anshario ad III. Februarii, laudatum a Cointio, ubi §. 5. ostendit, exiguos fuisse seculo IX. limites Flandriæ. Si quis vero inspicere voluerit Notitiam Galliarum Valesii, magis perspiciet, quam puerili licentia negaverit, exiguam fuisse seculo VII. Flandriam, indeque multo minus vicinam Ambiano, quam fuit postea, quando potentia comitum Flandriæ multum invaluit, maxime seculo XV., quo Flandriæ comites simul erant duces Burgundiæ, omniaque Ambianum usque possidebant. Dagoberti enim tempore vix innotescere incipiebant Flandri, nec tale habebant nomen, ut Hunni aut Winidæ, ad invadendam Franciam, foedus cum iis inivissent, quemadmodum iidem Ambianensium societatem non requisivissent. Verum Anonymus ille Doubletianus, qui forte seculo XV. fabulam suam composuit, cum nosset, quanta fuisset Flandrorum aliquot seculis potentia, idoneos illos credidit, quos cum Ambianensibus Hunnorum foederatos faceret; neque considerans, quot terras ex Pannonia in Flandriam usque emitti deberent, etiam per ditiones Francorum, late ultra Rhenum eo tempore extensas, Hunnos confestim cum Flandris, et Ambianensibus ponit in Picardia, ac si hirundinum sedes mutantium more eo confestim advolassent.

95. Quare fabulam tam inepte consutam defendere, idem est ac se gratis risui eruditorum exponere. Ne actum agam, breviter solum exponam observationes Lestoquii, qui variis rationibus falsitates illius relationis assignavit. Primo, ait, falsum est, foedus fuisse inter Hunnos, Flandros et Ambianenses, cum de tali foedere nullus antiquorum meminerit. Secundo, ait, falsum est, Dagobertum in Picardia cum Hunnis, Winidis aut Sclavis bellum habuisse. Bellum quidem habuit cum Winidis, sed ultra Rhenum in hodierna Germania, notumque est, Winidas numquam Rhenum transivisse, nedum penetraverint in Picardiam. Tertio falsum est, inquit,

N N

Hun-

Hunnos ( aut etiam Winidas ) tanta strage casos fuisse a Dagoberto, ut nullus evaserit, cum scriptores antiqui et contemporanei, qui res gestas Dagoberti enarrarunt, de tanta victoria nusquam meminerint. Quarto falsum est, inquit, nomen *Lions ensantex* tali de causa loco datum esse, aut verum esse illud nomen, aut tam antiquum, cum solum post annum 1300. locus, qui ante *Libons* dicebatur, cognomen *en Sangters* accepisse noscatur. Quinto falsum est, inquit, corpus *S. Firmini* ad castrum *Picquigny* fuisse delatum. Nul- lum tempore Dagoberti ibi erat castrum, imo nec annis qua- dringentis post Dagobertum. Reliquæ igitur nullibi tutius servari poterant, quam in ipsa urbe. Hæc sane sufficiunt ad refutandum scriptum hominis ignoti, cui major ad fingendum fuit audacia, quam peritia. Noverat ille Hunnos aliquando in Galliam irruisse: noverat Flandros variis vicibus cum hos- tibus Galliarum foederatos fuisse, videbatque ditiones principum Flandriæ Ambianum usque extensas. Hunnos igitur cum Flan- dris foederandos credidit, iisque jungendos Ambianenses, ut- pote necessarios ad fabulæ catastrophæ, sive ad ablationem corporis *S. Firmini* confingendam. At non consideravit ineptus fabulator, quam inconcinne illa omnia confingeret sub Dagoberto. Hic igitur locum habent verba Baronii inepte a Thiersio allegata. *Quod a recentiore auctore de rebus adeo an- tiquis sine alicujus vetustioris auctoritate profertur, contem- nitur.* Neque id solum valet contra ipsum anonymum, sed contra omnes, qui ejus fabulas adoptarunt.

## §. X.

*Insignis cultus, et reliquia Sancti Pompelone, cujus (\*)  
uti et totius regni Navarra est patronus: cultus  
etiam in tota Hispania.*

96. **Q**uandoquidem satis pro instituto nostro egimus de cultu *S. Firmini* in urbe Ambianensi, et in aliis aliquot Galliarum locis; restat ut Sancti patriam Pompe-

(\*) Pompelon, ut singularis Urbs est, S. Saturnianum singularem Patronum habet.

pelonem, hodierni Navarræ regni metropolim, ubi insigni cultu honoratur, reliquamque Hispaniam invisamus. Notitias hunc in finem prolixas humaniter pro nobis anno 1754. transmisit vir eruditione præstantissimus, Firminus a Lubian, ecclesiarum cathedralis Pompelonensis Prior. Illas huc integras transferre possem: sed vereor, ne prolixior inquisitio singulorum lectori molesta esset, eaque de causa compendio præcipua recitabo, quantum sufficere videbitur ad propositum nostrum. Observat primo eruditissimus Lubianus, ecclesiam Pompelonensem diu desertam fuisse, postquam Saraceni seculo VIII. totam fere occupaverunt Hispaniam, ex eaque causa evenisse credit, ut nullum in tabulario Pompelonensi de cultu *S. Firmini* reperiat documentum, quod antiquius sit seculo XII. Primum igitur instrumentum, ex quo vetustus *S. Firmini* in ecclesia Pompelonensi cultus probetur, est anni 1186., sed ex eo simul evincitur, jam tum ibi fuisse Sancti reliquias, cultumque ipsum, cujus incrementum decernitur, esse vetustiore. Sandovallius in Opere de episcopis Pompelonensibus in Petro II. illud instrumentum laudavit, et ex eo narravit auctam solemnitatem *S. Firmini*. De ejus sinceritate dubitari non posse, ait Lubianus, qui totum ex tabulario ecclesiarum cathedralis descripsit, testaturque ejusdem esse characteris cum reliquis seculi XII.

97. **I**s autem litteris Petrus II. episcopus Pompelonensis præfecto valetudinarii Canonorum, qui regulares sunt, concedit possessionem horti alicujus. „ Quatenus, inquit, in „ festo *S. Firmini* procures conventum Canonorum ad honorem ejusdem *S. Firmini*, cujus festivitatem solemnius, „ quam prius agebatur, celebrari decrevimus, duplicatis sci- „ licet cantoribus in choro, ut in festis Apostolorum fieri „ solet. Hoc autem ideo decrevimus, quia prædictus Mar- „ tyr de Pampilonensibus parentibus astringitur natus, et etiam „ in episcopum ejusdem civitatis asseritur ordinatus. Rursus „ etiam ideo, quia ejusdem sancti Martyris reliquiarum, inter- „ venientibus precibus nostris, ab Ambianensium episcopo „ impetratæ, atque in cruce aurea nobis transmissæ, in no- „ stra continentur ecclesia. „ Mox enumerantur ea, quæ Ca- „ nonicis illo die in prandio, et in cœna erant danda, et se- „ quun-

quantur signa Petri episcopi, et Pontii Prioris pro toto conventu. Quæ hisce litteris statuta sunt, etiamnum servari testatur laudatus Prior Lubianus, cum aliqua tamen immutatione, quia possessio horti a præfecto valetudinarii deinde translata fuit ad Priorem; sed pro eo Prior illi singulis annis solvit censum viginti modiorum tritici.

98. De reliquiis vero memoratis, quæ ab Ambianensi episcopo, non a S. Dionysii abbate, Pompelonem aut ipso anno 1186., aut ante, sedente tamen Petro, transmissæ fuerant, rursum testatur Lubianus, eas etiamnum servari in ecclesia Pompelonensi, non quidem in cruce aurea, in pretiosis tamen thecis. Pars enim cranii, inquit, velut duorum junctorum digitorum amplitudinem, et longitudinem habens, extrahitur in pectore cum crystallo formosa statua argentea, Sanctum in pontificalibus infulis representantis. Addit, alias extare partes in theca argentea figuræ ovatæ magnifice elaborata: Cujus in pede, inquit, litteris Gothicis scriptum reperitur: Reliquia de Capite Sancti Firmini Episcopi et Martyris. Mox vero insinuat laudatus Prior capsam argenteam, quæ ovatæ thecæ inclusa est, clavisque confixa, ut aperiri non possit, demonstrare majorem antiquitatem. Characteribus enim majusculis, usitatis seculo XII., sic in superiore parte habet: De capite S. Firmini. Quæ autem pars ibi recondita existat, nullus tentavit scrutari. Mox vero ait, thecam formæ ovatæ, cui alteram inclusam diximus, in festis primæ classis processionaliter in cathedrali et solemniter circumferri, diacono uno gestante. Hæc laudatus Prior, ex cujus verbis utcumque videtur dubium, an reliquiæ modo enumeratæ illæ ipsæ sint, quas ab Ambianensi episcopo accepit Petrus II. Verisimile id tamen est, saltem de alterutra particula.

99. Ex alio donationis instrumento, quod laudat Lubianus, et datum testatur anno 1217. die 2. Decembris, colligitur, jam eo tempore altare fuisse in ecclesia cathedrali S. Firmino sacrum. Nam donatio fit præfecto valetudinarii, ut sustentet capellanum, qui ad auroram quotidie Missam celebret an altari dicti Sancti, et ut lampadem habeat ante altare die ac nocte ardentem. Adjungit laudatus Prior: In cathedrali adhuc permanere altare dicti Sancti in quadam valde honesta

nesta capella, ubi continue lampas ardet. In prima, quæ innotuit, synodo Pompelonensi diocesana, quam anno 1300. convocavit Michael Perez de Legaria episcopus Pompelonensis, ut etiam habet Sandovallius fol. 96. auctus rursus est cultus S. Firmini. Nam ex cathedrali tabulario hoc istius synodi decretum profert Lubianus: Item festum S. Firmini, quod ab olim fuit constitutum, colatur et fiat cum octavis solemnibus. Festivitatem autem hanc S. Firmini celebratam fuisse die X. Octobris cum octava colligo ex Breviariis Pompelonensibus: nam Lubianus ex pluribus Breviariis Mss. Officium integrum S. Firmini exscriptum nobis transmisit, observatque illud poni ad X. Octobris; eundemque diem servatum usque ad annum 1590., quo mutatum infra videbimus. Ex istis Breviariis ulterius disco, totum fere S. Firmini apud Pompelonenses Officium fuisse proprium, et pro majori parte ex Actis edendis satis fideliter concinnatum, adjunctis frequenter verbis ad Sanctum invocandum. Tediosum esset lectori eadem, quæ in Actis habentur conjuncta, rursum in plurimas partes distracta in lectionibus, antiphonis, et responsoriis legere, eaque de causa brevem solum dictorum Officiorum temporis ordine subjicio notitiam.

100. Primum ex dictis Breviariis eleganter in membrana exaratum est anno 1332. nam iste liber fuit perfectus anno Domini MCCCXXXII, IV. Kalend. Decembris, ut notatur in fine; compositum tamen videtur anno 1331., cum initio ponatur tabula Paschalis anni 1331. æra MCCCLXIX., Pascha XXXI. Martii, littera Dominicalis F. Ea enim omnia designant annum 1331. Hoc igitur anno compositum fortasse fuit proprium istud S. Firmini Officium, forte etiam jam ante fuit usitatum. Quare jam eo tempore nota Pompelonensibus erant vetusta S. Firmini Acta, qualia edemus, et cum eodem principio, Temporibus præcis; sic enim inchoatur prima lectio. Præterea in toto illo Officio nullum invenio verbum, quo insinuetur, S. Firminum fuisse episcopum Pompelonensem. Itaque, etiamsi id aliqui dudum dixissent, ut liquet ex verbis num. 97. datis; ea tamen opinio necdum erat admissa, ut certa aut satis probata. Solam orationem ex dicto Officio huc transfero: Deus, qui es omnium Sanctorum



tuorum splendor mirabilis, quique hodiernam diem B. Firmini martyris atque pontificis sanguine consecrasti; da Ecclesia tua de ejus semper natalitio letari, ut apud misericordiam tuam et exemplis ejus protegamur et meritis. Per &c. (\*)

101. Secundum Breviarium est anni incerti; sed inter annum 1349. et 1354. scriptum esse existimat Lubianus, et rationes allegat idoneas. In eo additi sunt duo hymni proprii, cum in priori solum assignentur hymni de communi unius martyris. Satis erit, si pro specimine recitemus hymnum ad Matutinum. Hic habet:

- „ Lætus dies dat gaudia,
- „ Læta plebs dat melodia:
- „ Unde mater Ecclesia
- „ Suis parat coelestia.
- „ O quam felix confinia,
- „ Felicior familia,
- „ Intra cujus solatia
- „ Est Firmini præsentia.
- „ Veneramur hunc laudibus,
- „ Flagitemus hunc fletibus,
- „ Ut a nostris excessibus
- „ Ejus muniamur precibus.
- „ Patri sit pax ingenito
- „ Sit virtus ejus Genito,
- „ Laus amborum Paraclito
- „ Regnanti more debito. Amen.

Plura ex hoc Officio non affero, licet alia nonnulla sint mutata, cum in eo etiam sint Actis conformia.

102. Tertium Breviarium est anni 1383., in quo Officium S. Firmini habet lectiones paulo proluxiores, quam in primo et secundo, sed similiter ex Actis depromptas. Novam ibi ad Sextam invenio orationem, hisce verbis conceptam: *Deus qui in diversas nationes populis præclarum vera fidei constituisti doctorem Beatum Firminum martyrem tuum atque pontificem, concede, quasumas, ut, qui ejus hodie solemnia celebra-*

(\*) Pompelonensium Breviariorum silentium de Episcopatu Pompelonensi S. Firmini nihil contra ipsum valere, deinceps videbimus.

bramus, presentis prosperitatis gaudium, et futura benedictionis gloriam consequamur. Per &c. Quartum Breviarium est anni 1440. in eoque rursum extat simile Officium S. Firmini. Exscripsit quoque Lubianus Missam de S. Firmino ex Missali Ms., quod quidem incerti est anni, sed saltem inter 1466. et 1499. compositum, ut ostendit laudatus Lubianus. Missa illa habet aliqua S. Firmino propria, quæ tamen pleraque de aliis etiam martyribus doctoribus dici possunt. Observat demum collector Lubianus, aliud rursum de S. Firmino Officium fuisse compositum anno 1680., sed illud approbatum non fuisse a Sacrorum Rituum Congregatione. De eo autem addit, compositum dici ex antiquis Breviariis Pompelonensi, Tolosano, Ambianensi, et Andegavensi. Quod adverto, ut ex his colligat lector, cultum S. Firmini etiam vetustum esse in Tolosana et Andegavensi ecclesiis. Hæc sufficiant de diversis Officiis, redeamus ad promotionem cultus apud Pompelonenses.

103. Nicolaus antistes Pompelonensis synodum habuit anno 1466., die XIX. Julii, ut scribit etiam Sandovallius fol. 118., ex qua Lubianus producit hoc decretum. „ Item, licet festivitates Epiphaniæ, et Ascensionis Domini, et Nativitatis gloriosæ Virginis Mariæ, et Firmini episcopi et martyris in nostra diocesi in quatuor cappis cum Octavis solemnibus a longo tempore celebrentur, tamen quia in constitutionibus antiquis non reperitur id fuisse ordinatum, nec statutum, idcirco statuimus, quod de cetero etiam sic celebrentur solemniter cum Octavis, prout est consuetum, et in Breviariis continetur. „ Ad hæc observat diligentissimus Lubianus, Octavam S. Firmini ab anno 1300. statutam fuisse pro ecclesia cathedrali verbis num. 99. datis, nunc vero extendi ad totam diocesim. Ex verbis ibi recitatis, *Quod ab olim fuit constitutum*, recte etiam infert, vetustam admodum esse S. Firmini apud Pompelonenses festivitatem, et forte celebratam jam ante Saracenorum in Hispaniam irruptionem. Fatetur tamen postremum illud nullis probari posse monumentis, ideoque incertum est. Demum observat, festivitatem in omnibus Breviariis notari die X. Octobris, quo Ingressus S. Firmini apud Ambianenses celebra-

bratur; eoque die festivitatem continuatam fuisse usque ad annum 1590.

104. Verum eodem anno 1590. Bernardus de Sandoval, episcopus Pompelonensis, decreto synodali statuit, ut *S. Firmini* festivitas deinceps celebraretur die VII. Julii, et non amplius die X. Octobris. Decretum illud, quod Hispanico sermone scriptum est, fecit episcopus *ad preces civitatis*, dicentis, *illud tempus esse magis commodum*. Verum observat prudenter Lubianus, non alia ratione illud tempus commodius visum esse civibus, quam ut celebrioribus taurorum agitationibus, et nudinis sub initium Julii haberi solitis, major populi multitudo ad festivitatem protraheretur, ideoque merito ait, *aquius futurum fuisse et justius, data immutatione antiqui diei, festum ad proprium diem martyrii reducere, et sacra a profanis omnino separare*. Adjungit tamen, illam ipsam mutationem conduxisse ad majorem *S. Firmini* cultum, sive ad multiplicationem festivitatum, ut inferius videbimus.

105. Jam vero cum Lubiano pauca dicamus de processione cleri cathedralis ecclesie ad ecclesiam parocialem *S. Laurentii* in solemnitate *S. Firmini*, et de reliquiis in parociali illa dudum servatis. Docet Lubianus *ex perantiquis regulis chori ecclesie Pompelonensis*, omnem clerum ecclesie cathedralis post dictas preces horarias tertiam et sextam, *exivisse processionaliter ad ecclesiam S. Laurentii, ubi est invocatio principalis beatissimi Martyris et episcopi*: in illa quoque *ecclesia*, cantata prius oratione de *S. Firmino*, peractum fuisse Missae officium; deinde clerum rediisse ad cathedralem. Hisce magis prolixè expositis, subjungit Lubianus: „Hæc „processionis forma, quæ potius stationis modum tenebat, „observata fuit toto seculo XVI., dum Regulæ chori, im- „pressæ anno MDXCVIII., solummodo immutato mense et „die, eandem exprimunt. Sed cum sequenti anno pestis in „in urbe Pampelonensi sancti Patroni intercessione extincta „fuerit, ab ipso solemnio rem amplitudinem recepit. In an- „tiqua forma capitulum cum clero et regularibus egrediebatur a cathedrali, et via recta ad ecclesiam parochialem *S. Laurentii* accedebat, ibique Sacro in altari *S. Firmini* celebrato, eodem itinere ad matricem erat regressio.

106. „At in posteriori directione processio incipit, ut „juris est, in cathedrali, ac ista cum clero seculari et regulari ad prædictam parochialem accedente, antiqua sacra imago *S. Firmini*, quæ ibidem veneratur, processionaliter magna cum solemnitate per fere totam civitatem circumferretur, eaque ad ecclesiam eandem *S. Laurentii* restituta, celebratur ibidem Missa cum cantu figurato, et postmodum relicta ibidem sacra imagine, capitulum ad cathedralem ad finiendam processionem revertitur. Hucusque Lubianus, qui deinde paulo pluribus exponit, quod dixit de peste anno 1599. apud Pompelonenses Sancti patrocínio extincta. Nam testatur, id anno 1599. contigisse, *implorata prius ipsius (S. Firmini) protectione cum voto civitatis, in die VI. Julii* (quod tunc erat pervigilium festivitatis) *in perpetuum abstinendi a carnibus. Quod semper viget: sed jejunium, fere a toto populo observatum, devotionis est: nam non continetur in promissione: neque extat Officium de Vigilia ipsius.*

107. Recenset quoque laudatus Lubianus reliquias, inclusas imagini *S. Firmini*, quam in supplicatione dixerat circumferri, Verba ipsius huc transfero. „In prædicta sacra imagine, quæ exstat in parochiali *S. Laurentii*, altera reliquia, quia ipsius sancti Martyris et Episcopi asservatur anno MDLXXII. a domino Cardinali Antonio (de Crequi) episcopo Ambianensi dono data, rege Galliarum interveniente, excellentissimo domino Francisco de Alava (Philippi II. apud regem Galliarum legato) quæ solemniter Pampilonæ fuit recepta die XII. Aprilis ab episcopo, capitulo, clero et populo, uti narrat illustrissimus Sandovallius in Catalogo episcoporum Pampilonensium sub præsule D. Didaco Ramirez fol. 130.; et est anterior pars considerabilis capitis ejusdem Martyris cum sinistro oculo. . . . Aliæ quoque sacra partes ejusdem corporis reconditæ servantur in eadem sacra imagine *S. Firmini* (ecclesie) parochialis *S. Laurentii*, una quæ fuit celeberrimi doctoris Martini Azpilqueta (vulgo Navarrus vocatur) et ea donata dicitur huic præclaro viro a rege Galliarum, ac postmodum anno MDXCV. ad manus civitatis Pampilonensis pervenisse. Altera vero, quæ ab episcopo et capitulo Ambianensi dona-

„ta fuit cuidam capitaneo Navarro, de Olague nominato,  
 „ob meritum custodiae et reverentiae ecclesiae matricis suae in  
 „ingressu militiae Hispanicae tempore bellorum civilium, fu-  
 „it demum subdonata populo Pampilonensi anno MDXCVII.,  
 „ac est alia portio ejusdem capitis Sancti. „

128. Hisce collector nonnulla subjungit de origine sa-  
 celli, quod S. Firmino sacrum est in ecclesia S. Laurentii.  
 Scribit autem, anno 1399. circa aram maximam constructum  
 fuisse *parvum altare cum veneranda S. Firmini imagine*. Pos-  
 tea circa annum 1550. *devotione crescente*, inquit, *beneficiis-*  
*que caelestibus repetitis*, ampliatum est locus, aliudque altare  
 exstructum, *in quo vita ipsius sculptis imaginibus representa-*  
*tur*. Demum anno 1696. primus ab episcopo positus est la-  
 pis, assistentibus capitulo, prorege, aliisque, *magnifica ca-*  
*pella, cujus constructio cum praecipue ex elemosynis penderet,*  
*perfectionem non accepit ante annum MDCCXVII.* Tum vero  
 die VII. Julii *imago Sancti cum custoditis in ipsa sacris reli-*  
*quiis in illam translata, et collocata fuit.*

109. Hinc diligentissimus collector transit ad Sancti Of-  
 ficiam. De antiquis antea egimus. At illorum usus abroga-  
 tus est, quando ecclesia Pompelonensis recepit Breviarium  
 Romanum a Pio Papa V. correctum. Novae tunc compositae  
 sunt pro secundo nocturno lectiones, quas anno 1587. a Six-  
 to VI. approbatas, testatur Lubianus. Hoc autem Officium  
 cum dictis lectionibus anno 1725. *ad omnia regna regis Ca-*  
*tholici extensa fuisse pro die VII. Julii*, testatur Lubianus. Ac-  
 cessit huic Officio pro toto Hispaniae regis dominio deinde  
 oratio propria, quam anno 1746. a Benedicto Papa XIV. fe-  
 liciter etiamnum regnante, compositam, ut Officio adjuge-  
 retur pro communi, observat laudatus collector. Est autem  
 his verbis concepta: *Deus, qui per fidei praconium et passio-*  
*nis agonem, B. Firminum episcopum et martyrem immortalita-*  
*tis laurea coronasti, concede propitius, ut cujus celebramus tri-*  
*umphum, assequamur et premium. Per. &c.* Restat agendum de  
 altera S. Firmini festivitate, quae tandem in toto Navarrae re-  
 gno celebrari coepit. Habetur Lubianus, de anno inchoatae is-  
 tius festivitatis certam sibi non esse notitiam, sed conijcit, in-  
 choatam post annum 1647., ortumque habuisse ex fervore li-

tigan-

tigantium de praecipuo regni Navarrae patrono. De hujus igitur  
 controversiae initio et fine primum breviter agemus.

110. Eruditissimus Prior Lubianus controversiae occasio-  
 nem sic enarrat. „Praedicto anno 1647. sub die XII. No-  
 „vembris, illustrissimus dominus episcopus Joannes Queipo  
 „de Llano, inter praesules Pampilonenses non immerito pe-  
 „renni memoria dignissimus, Officia Sanctorum suae dicece-  
 „sis reimprimi curavit, et ibi in die festo S. Firmini appo-  
 „suit, Sanctum hunc esse patronum principaliorum, non so-  
 „lam istius episcopatus, sed et totius regni Navarrae, et sub  
 „die III. Decembris in Officio S. Francisci Xaverii dixit, ip-  
 „sum esse patronum minus principalem. Uterque Sanctus a-  
 „qualiter ut patronus antea colebatur, non attentis decretis  
 „Sac. Rituum Congregationis ab Urbano VIII. approbatis.  
 „Et haec fuit causa discordiae; et vere civilis belli inter Na-  
 „varraenses populos ac familias ipsas fomitem ministravit. U-  
 „nusquisque namque regni incola illum ex istis duobus San-  
 „ctis principalitatem patronatus obtinere pugnabat juxta sui  
 „affectus erga ipsos majorem devotionem. Controversia ista  
 „in Romana curia multum invaluit, et exarsit apud nos va-  
 „lidissimus ignis.

111. Omnia haec ex Lubiano recitare volui de initio is-  
 tius controversiae, quia tom. 10. Galliae Christianae col. 1151.  
 in S. Firmino aliud litis initium exponitur his verbis: *Hanc*  
*quidem dignitatem ( Patroni ) ei ( nempe S. Firmino mar-*  
*tyri ) detrabere conatus est medio seculo XVII. Franciscus de*  
*Marlou episcopus Pompelonensis, ut eam transferret ad S. Fran-*  
*ciscum Xaverium. Qua de re magna lis agitata est coram Inno-*  
*centio Papa X. inter episcopum et canonicos, qui hac occasio-*  
*ne scripserunt ad Ambianenses IX. Calend. Februarii MDCLI.*  
 Hic quidem lis orta dicitur, quia Franciscus de Marlou vo-  
 luit S. Franciscum Xaverium substituere pro S. Firmino patro-  
 num. At jam orta lis erat, quia episcopus Pompelonensis ex  
 duobus patronis, qui antea aequaliter, ut patroni, coleban-  
 tur, elegerat S. Firminum ut principalem, et S. Franciscum  
 Xaverium declarabat minus principalem. Haec ita fecerat pro-  
 culdubio laudatus episcopus, quia noverat, unum solummo-  
 do eligi posse patronum principalem. Attamen non poterat

non oriri gravis controversia, quod ea declaratione S. Franciscus Xaverius deiceretur ex loco, in quo ipsum esse credebant, et summa devotione colebant Navarrenses. Et sane non erat solius episcopi cum capitulo et clero patronum civitatis aut regni eligere, ut liquet ex Decretis Sacrae Rituum Congregationis, anno 1630. factis, approbante Urbano VIII., quæ recitantur a Benedicto XIV. in Opere de Canonizatione Sanctorum lib. 4. part. 2. cap. 14. num. 4. Nam ibidem hæc leguntur. „ Quod de patrono civitatis electio fieri debeat per secreta suffragia a populo, mediante consilio generali illius civitatis vel loci, non autem ab officialibus solo, et quod accedere debeat consensus episcopi et cleri illius loci: idemque servari debeat in patrono regni, qui pariter eligi debeat per secreta suffragia a populo singularum civitatum provinciarum. „ Hæc certe servata non fuerant: nam nulla poterat oriri contentio, si ita electus fuisset S. Firminus, aut etiam S. Franciscus Xaverius.

112. Hac de causa iudicium pro neutra parte latum est Romæ, ut observat Lubianus, et laudatus Benedictus XIV. cap. 15. num. 4. ita scribens. „ Graves contentiones cum magno publicæ quietis et animarum salutis dispendio in regno Navarræ excitatæ sunt super patronatibus sanctorum Firmini martyris et Francisci Xaverii confessoris. Delata fuit controversia ad sacrorum Rituum congregationem, deinde ad Rotæ auditorium, eademque in medio remansit, cum iudicatum fuerit, probationes hinc et inde allatas, neutri partium suffragari, immo in pluribus deficere. „ Sunt fere ipsa verba Alexandri VII., qui litem pendentem, aut potius indecisam relictam a iudicibus, prudenti consilio terminavit, ut mox videbimus. Quare multum rursus fallitur laudatus auctor Galliarum Christianarum, dum scribit: *Decretorio tandem iudicio antiqui honoris possessio, asserta est S. Firmino.* Fallitur, inquam, quia insuat, iudicium fuisse latum, quod nunquam factum est. Secundo fallitur, dum innuit, S. Firminum fuisse declaratum principalem patronum præ S. Francisco Xaverio.

113. Rursum fallitur, dum ait, litem fuisse inter Episcopum et canonicos. Etenim ex litteris ad Bollandum de contro-

troversia vigente missis, satis perspicio, nobiles Navarros laborasse pro S. Francisco Xaverio, clerum pro S. Firmino; et pro eodem fuisse primum episcopum, liquet ex supra dictis, licet fortasse Franciscus de Marlou a decessoris sui sententia recesserit. Accepit Bollandus anno 1655. rationes allegatas pro S. Francisco Xaverio, iisque sua manu superius hæc adscripsit: *Cur potius S. Franciscus Xaverius, quam S. Firminus Ep. M., patronus regni Navarræ eligi debeat. Id cupiebat nobilitas, obsistente clero. Pater, qui has scripsit, missus erat Romam a nobilitate.* Erat ille P. Gaspar Lopez, diciturque in alia ad Bollandum epistola *procurator pro ista causa missus a regno Navarræ.* Elucidavit ea occasione, opinor, Bollandus Acta S. Firmini, nec aliud pro alterutra parte ipsum fecisse, vel minimo indicio deprehendere possum, nisi forte suaserit Alexandro VII., cui carus erat, et ad quem crebras dabat litteras, ut satisfaceret utriusque partis desiderio.

114. De fine istius controversiæ laudatus Benedictus XIV. recte hæc scribit: *Ad sedandam autem hanc controversiam, accedente consilio Congregationis sacrorum Rituum, Alexander VII. omnibus constitutionibus contrariis derogavit, jussitque, ut sancti Firminus martyr, et Franciscus Xaverius colerentur in regno Navarræ tamquam patroni aequè principales.* Tum nonnulla recitat verba Bullæ Alexandri VII., datæ die XIV. Aprilis anni 1657., quæ tota videri potest tom. 6. Bullarii pag. 54. „ Præterea considerantes, (ait Pontifex,) quod Congregatio venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium sacris ritibus præpositorum, necnon dilecti filii capellani nostri, et causarum palatii Apostolici auditores, re pluries mature perpensa acriterque discussa, probationes hinc inde allatas neutri partium satis suffragari, imo in pluribus eas deficere dignoscentes, rem ipsam, etiam cum ingenti partium earumdem dispendio, gravique incommodo, nunquam vel sero difficillime terminandam, indecisam demiserint, motu proprio, non ad alicujus personæ nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac ex speciali gratia, tum prædictis, tum aliis ex causis, nobis tantum notis, anim-

„mum nostrum moventibus, clero seculari et regulari, nec  
 „non universitatibus, et populo Pampilonensi, totiusque re-  
 „gni Navarræ, hujusmodi harum serie injungimus, ut quo-  
 „tannis tamquam de patronis æque principalibus dicti regni  
 „ex præcepto Ecclesiæ recolant festa sanctorum Firmini mar-  
 „tyris et Francisci Xaverii confessoris, eorundemque Offi-  
 „cia et Missas cum Octavis æque in posterum recitent, ac  
 „respective celebrant, &c.

115. Prudenti hoc suo consilio Alexander Papa pacem  
 concordiamque in regnum Navarræ reduxit sine ullo judicio,  
 sed singulari gratia; deditque duos Navarræ patronos æqua-  
 les, qui ambo ut patroni fuerant culti. Cum autem de pa-  
 trono principali quotidie in Vesperis et Laudibus fiat com-  
 memoratio, quando non obstat celebritas Officii, sacra Ritu-  
 um Congregatio die XVII. Novembris ejusdem anni antiphon-  
 as, et orationem de utroque concinnatas approbavit. Ad  
 Vesperas autem hæc est antiphona. „Hi sunt duo protecto-  
 „res regni, firmamentum populi, et oblatio nostra coram  
 „Domino in manibus ipsorum. V. Gloria et honore coro-  
 „nasti eos Domine. R. Et constituisti eos super opera ma-  
 „nuum tuarum. Ad Laudes Antiph. Hi sunt duo viri mise-  
 „ricordix, quorum pietates nobis non defuerunt, et gloria  
 „eorum non derelinquetur. V. Gloria et honore &c. ut su-  
 „pra. Oratio. Deus, qui nos geminata sanctorum tuorum  
 „Firmini martyris tui atque pontificis, et Francisci Xaverii  
 „confessoris protectione circundas, illorum intercessione fac  
 „nos constanti pace gaudere, et ab insidiis inimicorum om-  
 „nium perpetua defensione conserva. Per Dominum &c.

116. Porro ex relatâ modo controversia alteram S. Fir-  
 mini festivitatem XXV. Septembris exortam, suspicatur Lu-  
 brianus, qui de ea scribit sequentia. „Festivitas ista dumta-  
 „xat celebrabatur in parochiali ( ecclesia ) S. Laurentii cum  
 „Missa votiva, et concione assistentibus populi decurionibus,  
 „solemniter decantatis etiam primis Vesperis die XXIV. De  
 „anno vero MDCCXXXIII. Pampilonensis ecclesia cum suo  
 „præsule sacram Rituum Congregationem exoravit, ut dicta  
 „die XXV. Septembris liceret prædictum S. Firmini Offici-  
 „um in civitate et dioecesi secundo recitare. Hoc autem tan-  
 tum-

„tummodo sub ritu simplici cum titulo Commemorationis  
 „martyrii ex decreto diei IV. Decembris obtinuit: quod an-  
 „no MDCCXXXV., die XXV. Junii, ad semiduplicem ri-  
 „tum elevatum fuit: et postmodum a SS. Papa Benedicto  
 „XIV. anno MDCCXLVI. etiam ritu duplici donatum die  
 „III. Septembris, ac ad totum Navarræ regnum extensum,  
 „uti constat ex decretis servatis in cathedrali.

117. Ex prædicta lite aliam rursum festivitatem S. Fir-  
 mini exortam, insinuat Lubrianus, sed sine officio, prout in-  
 choata fuit illa, quæ modo 25. Septembris Officio celebratur.  
 Habetur, inquit; hæc qualiscumque solemnitas, *Idibus Janu-  
 arii, id est, die XIII. Januarii, si hæc sit Dominica; alias  
 vero Dominica secunda post Epiphaniam. Et hæc, inquit, est  
 festivitas, quæ reliquiarum S. Firmini appellatur, sed verius  
 Inventionis sacri corporis dicendâ esset.* Est autem ea festivitas  
 totius regni Navarræ potius dicenda, quam civitatis Pompe-  
 lonensis. Etenim dum regni comitia habentur generalia, ad-  
 sunt festivitati omnes in comitiis congregati; dum vero co-  
 mitia non sunt, pro ipsis assistunt deputati ad negotia regni.  
 Accedunt autem *solemniter ad ecclesiam Laurentianam, adsunt  
 Vesperarum celebrationi, et die sequenti ad Missam eam con-  
 cione se conferunt. Festum hoc, inquit Lubrianus, non altra  
 dictas Vesperas, et Missam votivam, in præfata ecclesia paro-  
 chiali pro re gravi celebrandam, extenditur: cum nullum sit  
 concessum officium de dicti Sancti inventione, sicuti habet eccle-  
 sia Ambianensis.*

118. Vidimus superius, officium S. Firmini a Benedicto  
 XIV. extensum fuisse ad totam Hispaniam. Hinc fieri po-  
 test, ut cultus ipsius pluribus locis promotus sit annis pos-  
 terioribus. At mihi sufficiet ea dare, quæ collegit Lubrianus,  
 et quæ partim antiquiora, partim posteriora sunt. „Cum  
 „jam dictum sit, inquit, de cultu S. Firmini apud Pampi-  
 „lonenses, ac cæteros Navarræ populos, exponendum nunc  
 „occurrit de urbe Madritensi. Ibidem extat nobilis et nu-  
 „merosa congregatio, in qua Catholici reges numerantur:  
 „quæ S. Firminum solemnissimo annuali cultu colit diebus  
 „VII. Julii, et XXV. Septembris. Congregantes hi admit-  
 „tuntur, qui sunt Navarræ naturales, vel originem ab ipso  
 regno

„regno deducunt. Et nuper ecclesia sub titulo Sancti ibidem  
 „a Congregatione fuit erecta: et huic sacra imago transla-  
 „ta ab ecclesia Patrum sanctissimæ Trinitatis, quæ ibi ab an-  
 „tiquo colebatur. Altera similis congregatio erecta fuit an-  
 „no MDCCLII. Cæsaraugustæ in parochiali S. Michaelis.  
 Præterea testatur auctor, in vetusto et pretioso libello pre-  
 cum, qui creditur fuisse S. Elisabethæ reginæ Lusitanæ, et  
 servatur Cæsaraugustæ in thesauro ecclesiæ beatissimæ Vir-  
 ginis Pilarenis, Vulgo *del Pilar* dictæ, invenisse se litanias  
 Sanctorum, et in ipsis *S. Firminum inter martyres ibidem invo-*  
*cari*, quemadmodum et S. Saturninum. Observat tamen, non  
 nominari *S. Firminum* in litaniis, Missali Cæsaraugustano anno  
 1552 insertis, licet in illis quoque habeatur S. Saturninus.

119. Franciscus Lanovius in Chronico Minimorum ad an-  
 num 1561. disserit de Conventu Minimorum Matritensi, ibi-  
 que pag. 257. ad propositum nostrum hæc scribit: *Gaudet*  
*certe illa ecclesia (Minimorum) sacris pignoribus maxime pre-*  
*tiosis, tum vero præcipue capite S. Firmini Pompelonensis epis-*  
*copi*. De hac persuasione Joannes Tamayus in Martyrologio  
 Hispanico ad XXV Septembris sic loquitur in Annotatis:  
*Lanovius . . . asserit, caput nostri Martyris extare in Mo-*  
*nasterio Matritensi Minimorum, quod dicitur La Victoria. At*  
*quis illud transtulerit non aperit*. Lubianus jam sæpissi-  
 me laudatus non acquiescit persuasioni Minimorum Matriten-  
 sium, sed eam refutare nititur ex variis partibus capitis *S. Fir-*  
*mini*, quas possidet ecclesia Pompelonensis.

120. Has enim ubi enumeraverat, ita ratiocinatur: „Ex  
 „quibus patet, caput ostensum apud Minimos Matritenses  
 „esse alterius S. Firmini, dum istud reperitur integrum, et  
 „Pompelonensis nostri Patroni fere totum habeamus, scis-  
 „sum in partes varias, depositas cathedrali et præfatæ eccle-  
 „siæ Laurentianæ. Quamvis enim dicti Fratres Paulenses pro  
 „astruenda suæ reliquæ veritate donationem factam a regi-  
 „na Catholica Maria Ludovisia Borbonica, prima Caroli  
 „II. regis Hispaniarum uxore, proponant, nihil aliud ibi  
 „asseritur, nisi esse S. Firmini: et sunt Divi plures hujus no-  
 „minis. Ita ille, enumerans aliquot Firminos, quibus plu-  
 „res addi possunt. Si autem omnia, quæ hic asserit Lubianus,  
 certo,

certo comperta habuerit; dubitari vix potest, quin alterius  
 Sancti, forte anonymi, cui *Firmini* nomen imponi potuit,  
 caput habeant Minimi Matritenses. Certe allegare nequeunt  
 donationem Mariæ Ludovisæ Borbonicæ, quæ Carolo II. fuit  
 nupta, nisi Lanovium suum mendacii arguant, aut duo ca-  
 pita habere velint. Nam impressum est Chronicon Lanovii  
 anno 1635., id est, diu ante natam Mariam Ludovisiam,  
 aut etiam Carolum II. Ignorant fortasse Patres Minimi, a  
 quo caput illud acceperint. At, si integrum est, longe ve-  
 rosimilius est, allatum esse ex catacumbis Romanis, quam a  
 reliquo *S. Firmini* martyris Ambianensis corpore separatum.

## V I T A

Ex duobus Mss. Ambianensi et Antuerpiensi, collatis cum  
 sex aliis, et editione Bosqueti.

## C A P U T I.

*Sancti patria, parentes bonumque conversio: pueritia,  
 juvenus, consecratio Episcopalis.*

1. „ **T**emporibus priscis, quibus fides Christiana, illustran-  
 „ te Spiritus sancti gratia, per diversa orbis climata  
 „ cœpit florere, unde perfidorum tyrannica rabies in Christia-  
 „ num populum sæviebat; erat in urbe Hyberiensis, (A)  
 „ nuncupata Pampolana (B), vir vitæ honestate venerabilis,  
 „ genere et ordine primus inter senatores, nomine et opere  
 „ Firmus (C): eratque ei uxor moribus et venustate similis,  
 „ Eugenia nomine. Erant enim ambo secundum seculi digni-  
 „ tatem inclyti, facultatibus et divitiis locupletes. Qui cum in  
 „ diebus illis secundum ritus Gentilium ad fanum Jovis ado-  
 „ randum procederent, quadam ibidem die supervenit quidam  
 „ sacerdos Christianorum, Honestus nomine. Cumque libera  
 „ prædicationis voce in populo execranda idola proclamaret;  
 „ accessit ad eum Firmus, vir clarissimus, et ait illi: Si nos-  
 „ tri dii, ut asseris, idola sunt, quos vetusta antiquitas, et  
 Roma-

„ Romani principes a seculo coluerunt, dicito ergo, quam  
 „ religionem, aut quem Deum colendum potius nobis indu-  
 „ cere velis.

2. „ Cui Honestus respondens, ait: Factorem coeli et  
 „ terræ, maris et omnium, quæ in eis sunt; hunc noveris  
 „ esse verum, unum et solum Deum, per quem omnia, in  
 „ quo sunt omnia, et sine ipso nulla creatura consistere po-  
 „ test. Ipse est enim dominator mortis et vitæ. Nam dii gen-  
 „ tium, quos profana religio vestra colit, et delusa gentilitas  
 „ exercet, (D) dæmonia plus credenda sunt, quam religio  
 „ Divinitatis. Sic enim Spiritus sanctus per prophetam loqui-  
 „ tur, dicens: Quoniam omnes dii gentium dæmonia sunt.  
 „ Dominus autem coelos fecit. Audiens autem hæc et talia  
 „ Firmus senator, et convertens se ad Faustinum et Fortuna-  
 „ tum, ait: Quid contra hæc dicendum est? (E) Ad quem  
 „ Fortunatus dixit: Audiamus adhuc rationem ejus, et disca-  
 „ mus rei causam, ut ex sua ipsa ratione eum convincere va-  
 „ leamus. Firmus vero convertens se ad Honestum dicit ei:  
 „ Vel tu cujus sectæ aut religionis es, ut tam nefandam sen-  
 „ tentiam contra deos deasque nostras proferre præsumas?

3. „ Cui Honestus respondens ait: Si de me scire velis,  
 „ quis sim, vel ex quo ortus fuerim, luculentam ex parte  
 „ rationem tibi ostendam: nam ego ex patre Emelio, (F)  
 „ et matre Honesta in urbe Nemusana (G) ortum me es-  
 „ se profiteor. De hoc vero, quod amplius est, sicut inter-  
 „ rogasti, cujus sectæ fuerim, aut doctrinæ, seu qualis esset  
 „ mea religio, libera voce constanter edocebo. Christianus  
 „ sum, instructus fide Catholica, dicatus in ordine presbyte-  
 „ ratus, Saturnini (H) episcopi discipulus, et in baptismo  
 „ filius, eruditus litteris liberalibus, et divinarum Scriptura-  
 „ rum a primævo tempore juventutis meæ instrumentis im-  
 „ butus; sicut ibidem per doctrinæ studium reperi, doceo.  
 „ Quoniam videlicet Deus unus est, qui omnium dominatur  
 „ visibilium et invisibilium, qui est, et erat, et erit; in quo  
 „ sunt omnes thesauri sapientiæ; qui in pugillo nutu suæ ma-  
 „ jestatis omnia concludit, Pater, et Filius, et Spiritus san-  
 „ ctus, unus Deus in tribus Personis, et tres Personæ in ve-  
 „ ro Patre, et Filio, et Spiritu sancto.

4. „ Quod mysterium si quis pleniter scire voluerit, ape-  
 „ rire, donante ipso, poterimus. Sed hoc, sicut insistit, (I)  
 „ sine Spiritus sancti gratia et inspiratione, nemo comprehen-  
 „ dere potest. Siquis vero ex vobis Deum verum scire et co-  
 „ gnoscere voluerit, primum confiteatur, non esse alium De-  
 „ um extra unum (K) omnipotentem, qui est Trinus et U-  
 „ nus, et abnegare illum fas non est. Quoniam scilicet dii,  
 „ quos prisca gentilitas excoluit, *al. excolit*, Simulachra mu-  
 „ ta et surda sunt; aut enim ex metallis aut ligno vel la-  
 „ pidibus ab artifice (L) instar humanæ imaginis efficiuntur,  
 „ seu etiam, quod amplius est, aurei, argentei, et ærei fa-  
 „ brorum artificio adornantur. Os habent, et non loquun-  
 „ tur; oculos habent, et non vident; aures, et non audiunt;  
 „ (M) nares, et non odorant; manus, et non palpant; pe-  
 „ des, et non ambulant, sicut divina Scriptura meminit, di-  
 „ cens: Similes illis fiant, qui faciunt ea; et omnes, qui con-  
 „ fidunt in eis. Deus autem noster omnipotens Jesus Chris-  
 „ tus, unigenitus Dei Patris Filius, ante secula ex arcano  
 „ Divinitatis genitus, in nostro seculo de Maria Virgine na-  
 „ tus est; cui data est potestas in coelo et in terra; qui hu-  
 „ manum genus de mortis vinculo per trophæum suæ passio-  
 „ nis absolvit: qui triumphans de diabolo, ab inferis genus  
 „ humanum eripuit de morte ad vitam, de tenebris ad lu-  
 „ cem, de servitio ad libertatem, omnes in se credentes edu-  
 „ xit, et pretio sanguinis sui de captivitate et potestate dia-  
 „ boli omnes redemit. Qui pedibus siccis abyssum perambu-  
 „ lando calcavit, qui Lazarum quatrduanum a mortuis su-  
 „ scitavit, qui sedet ad dexteram Dei Patris, qui venturus  
 „ est judicare vivos et mortuos et seculum per ignem: qui  
 „ tunc reddet unicuique, secundum quod in hac brevi vita  
 „ gessit et operatus est: cui assistunt angeli et archangeli,  
 „ qui sanctos et justos in regnum perpetuum constituet; pœ-  
 „ nas et tormenta infinita impiis et peccatoribus apponet.  
 „ Istam talem religionem et claram veritatis doctrinam nobis  
 „ Saturninus episcopus, Apostolorum discipulus, (N) osten-  
 „ dit, et jussit nobis prædicare Evangelium veritatis in om-  
 „ nibus gentilibus, et per hanc salutiferam doctrinam doce-  
 „ re et baptizare omnes homines in nomine Patris et Filii et

„ Spiritus sancti in remissionem peccatorum, et in vitam si-  
 „ ne fine perpetuam.

5. „ In hac animadversione Firmus (O) senator admi-  
 „ rans illius facundiam, et rei prolatæ sententiam intra se com-  
 „ pensans, dixit: Si Saturninus, quem præfers Apostolorum  
 „ discipulum, nobis tales sermones et sententias asseruisset,  
 „ huic forsitan mentis aciem vertissemus; audivimus enim  
 „ famam et virtutes ipsius emicantes in verbis et signis mul-  
 „ tis, quæ in nomine Jesu Christi Nazareni operatur. Ad  
 „ quem Honestus, ut erat intentus, dixit: Si vestra ani-  
 „ madversio est, ut veritatis lumen agnoscere valeatis, domi-  
 „ nus meus pater et magister Saturninus in promptu est, ut  
 „ vobis salutiferam perennis vitæ prædicationem inserat, et  
 „ de tenebris ad veram lucem perducatur. His peractis, ipse  
 „ præsul ac pontifex septima fere die (P) ad Pampolanen-  
 „ sem urbem pervenit, ibique residens sub terebintho, ubi  
 „ vetustissimum fanum Dianæ in luco cypressino (Q) cole-  
 „ batur, verbum prædicationis palam omnibus obtulit, exe-  
 „ crandisque superstitionibus et culturis idolorum Deum ve-  
 „ rum magis colendum instituit, ad quem concursus urbis  
 „ undique factus est. Et ibidem per triduum docens popu-  
 „ lum verbo salutis, et signis potentibus confirmans, utrius-  
 „ que sexus fere quadraginta (R) millia hominum ab erro-  
 „ re et profana idolorum cultura ad cognoscendum verum  
 „ Deum Jesum Christum unigenitum Dei Patris Filium revo-  
 „ cavit, eosque in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti,  
 „ abstersis vetustatis piaculis, baptizavit, vetustissimumque  
 „ Dianæ templum a fundamentis destruere jussit, et lucum  
 „ radicitus extirpavit.

6. „ His talibus gestis, hoc audito, (S) transacta una heb-  
 „ domada, Firmus, Fortunatus, et Faustinus, ut erant primi  
 „ et seniores in senatu, venerunt ibidem cum multitudine ple-  
 „ bis, et civibus urbis ad Saturninum episcopum, ut myste-  
 „ ria sanctæ doctrinæ ipsius præsentialiter perciperent. Nam  
 „ antea multorum relatione plurima de ipso audierant. Et ve-  
 „ ro ante conspectum ipsius tribus fere diebus perstiterunt,  
 „ haurientes ex ore ejus gratiæ divinæ existentiam, cognove-  
 „ runt veritatis tramitem et vias justitiæ, verique luminis fla-  
 „ gran-

„ grantiam in prædicatione et doctrina ipsius consistere. Tunc  
 „ inito salubri consilio, profanas idolorum culturas derelique-  
 „ runt; et Deum verum, quem Saturninus prædicavit, sequi  
 „ et credere decreverunt. Tunc prostratus Firmus, et Faus-  
 „ tinus, et Fortunatus ad pedes pontificis, abrenuntiaverunt  
 „ idolis, et Deum vivum Jesum Christum, unigenitum Dei  
 „ Filium, esse credendum et colendum professi sunt, statim-  
 „ que percepto sacri baptismatis mysterio, per confessionem  
 „ sanctæ Trinitatis Christiani non solum, sed etiam Christia-  
 „ norum doctores et magistri effecti sunt.

7. „ Erat itaque præfatus Firmus primatum tenens popu-  
 „ li et senatus, vir miræ mansuetudinis, honestate et religio-  
 „ ne præ cæteris civibus suis præclarus. Huic erat uxor no-  
 „ mine Eugenia, ex qua genuit Firminum, et Faustum, et  
 „ Eusebiam (T) sororem eorum. Succedente vero tempore  
 „ præfatus Firmus, cum esset fide et opere Catholicus, tradi-  
 „ dit filium suum primogenitum, nomine Firminum, Hones-  
 „ to presbytero, ut eum litteris liberalibus et Christiana dis-  
 „ ciplina imbueret, quia et antea iu baptismo filius ejus e-  
 „ rat. Firminus vero cum esset decem et septem fere anno-  
 „ rum, litteris et doctrina Catholica instructus, coepit religio-  
 „ nis studio proficere; nam ad ecclesias horis singulis inhi-  
 „ ando, laudes et honores Deo et sanctis ejus reddere assi-  
 „ due properabat.

8. „ Cumque proficeret annos fere septem in religionis  
 „ studio, et sapientiæ gradibus, ad virtutum culmina promi-  
 „ nebat. Honestus vero præfatus presbyter, dum in senectutis  
 „ tempore aggravatus esset, sæpe dirigebat eum per vicos  
 „ et suburbana civitatis, (U) ubi prædicationis verbo popu-  
 „ lum jam Deo devotum confirmaret; ipse vero quamvis in  
 „ juventutis floribus existeret, cum mira gravitate et constan-  
 „ tia populum ad Christianæ religionis studium provocabat.  
 „ Et cum hoc pater et magister ejus Honestus consideraret,  
 „ quod in ipsa spiritali gratia coram omnibus in verbo et  
 „ doctrina magis ac magis accrescebat, direxit eum ad Ho-  
 „ noratum (W) Tolosanae urbis episcopum, ut eum in epis-  
 „ copatus gradu et gratia, impositis manibus, constitueret.

9. „ Quem ut vidit Honoratus cognovit in eo, quia ad  
 „ hoc



„hoc prædestinatus et electus esset a Domino, ut verbum  
 „vitæ et salutis gratiam in gentibus prædicaret, et ordinavit  
 „eum episcopum, ut nomen Domini in Occidentis partibus  
 „prædicaret. Qui et his verbis eum coram omnibus allocu-  
 „tus est: Gaude, fili, quoniam vas electionis Domino esse  
 „meruisti. Perge itaque in dispersionem gentium; accepisti  
 „a Domino gratiam et apostolatus officium. Noli timere, quo-  
 „niam Dominus tecum est; in omnibus enim scias, quia o-  
 „portet te pro nomine ejus multa pati, quatenus ad coro-  
 „nam gloriæ pervenias. Valedicens itaque beatus Firminus  
 „episcopus Honorato episcopo, fratribus et consacerdotibus  
 „suis, reversus est, vita comite, ad Honestum presbyterum,  
 „magistrum et nutritorem suum. Qui (X) et retulit ei om-  
 „nia, quæ in via ei contigerant; vel quibus verbis imbuis-  
 „set eum Sanctus antistes ille Honoratus, et quomodo vel  
 „qualiter præceperat ei, ut verbum prædicationis et nomen  
 „Jesu Christi in dispersionem gentium annuntiaret.”

## A N N O T A T A.

(A) Id est, Hispanica: nam Hispania etiam dicta fuit  
*Iberia*.

(B) Ita Ms. Antuerpiense. Ambianense, huic in reli-  
 quis consentiens, habet *Pampelona*. Antiquum civitatis no-  
 men est *Pompelon*, et *Pompeiopolim* nonnulli vocarunt, quod  
 crederent a Pompeio conditam aut instauratam. Est modo  
 metropolis regni Navarræ, et ab Hispanis *Pamplona* dicitur.  
 Natum ibi fuisse *S. Firminum* scriptores omnes consentiunt.  
 Nomen civitatis ac regionis in aliis Mss. hic omittitur, pos-  
 tea tamen indicatur. Attamen illa nomina in suo exemplari  
 invenerunt Bellovacensis, et Petrus de Natalibus, sed apud  
 posteriorem mendose legitur *ex civitate Hibernia* pro *Iberia*,  
 quod forte vitium est editorum.

(C) Apud Bosquetum *Firminus* vocatur, non solum  
 hic, sed ubique inferius. At id vitiosum esse, liquet ex ip-  
 so sensu, et ex omnibus Mss. in quibus *Firmus* vocatur.  
 Pro dato Vitæ initio in plerisque Mss. ita legitur: *Tempori-  
 bus Maximiani et Diocletiani imperatorum: quo tempore tyran-  
 nica*

*nica rabies in Christiano populo sæviebat, erat vir vitæ ho-  
 nestate venerabilis, genere et ordine primus inter senatores,  
 nomine et opere Firmus.* Hoc certe initium non est primi  
 scriptoris; sed probabilius orsus est, prout edidi ex duobus  
 Mss., cum ita initio fiat mentio prædicationis Evangelicæ,  
 ortaque ex ea persecutionis: de utraque enim acturus erat  
 auctor. Si cui tamen videtur pluribus inhærendum esse co-  
 dicibus, dicendum est, scriptorem ita exorsum: *Quo tempo-  
 re tyrannica rabies &c.* præcedentia vero verba tituli esse, a  
 quo fuerint in Vitam translata. Titulus in duobus Mss. no-  
 stris, si illa adjungantur verba, hic erit: *Incipit Passio S.  
 Firmini episcopi et martyris temporibus Maximiani et Diocletia-  
 ni imperatorum.* Certe verba illa, si sint primi scriptoris,  
 non designant tempus, quo conversus est *Firmus* pater *S. Fir-  
 mini*; sed quo hic Martyr obiit.

(D) In plerisque Mss. *exercuit*. Verum ejusmodi mi-  
 nutias non observabo, cum perpetuæ fere sint, non tamen  
 in duobus Mss., quæ sequor. Nam hæc invicem passim con-  
 sonant, quemadmodum et reliqua inter se plerumque consen-  
 tiunt.

(E) Apud Bosquetum, et in Mss. ei consentientibus,  
 hæc adduntur: *Nunquid iste solus hospes, et advena culturam  
 sanctorum deorum per otiosa sua colloquia destruere potest?*

(F) Apud Bosquetum *Amilio*, in tribus Mss. *Emilio*,  
 in reliquis *Emelio* cum duobus, quæ sequor.

(G) *Nemusana* legitur in omnibus fere Mss. cum Bos-  
 queto. In uno tamen nostro *Venusana*, verisimiliter mendo-  
 se. Ambianense apographum habet *Nemansana*, pro *Nemausana*,  
 opinor. Certe Nemausi, quæ urbs est antiqua Galliæ  
 Narbonensis in Occitania Inferiori, vulgo *Nismes* dicta, na-  
 tus creditur S. Honestus, de quo actum est ad 16. Februa-  
 rii.

(H) Acta S. Saturnini episcopi Tolosani dabuntur ad  
 29. Novembris.

(I) Pro *sicut insistit*, ut habent duo Mss., quæ se-  
 quor, cum tribus aliis, unum e nostris habet, *quo ordine  
 fit*; Bosquetus cum Ms. Trevirensi: *Sed hoc, nisi qui consis-  
 tit in Spiritus sancti gratia, et inspiratione &c.* Quæ non

est correctio, sed depravatio textus, eaque inepta et falsa.

(K) In apographo Ambianensi pro *extra unum*, ut habent codices nostri cum omnibus apographis, mendose habetur *extraneum*. Apud Bosquetum additur, *nec aliam virtutem &c.*

(L) In aliquot Mss. mendose *vel artifice* pro *lab artifice*, quæ voces in codice nostro absunt: in codice S. Galli *artificis*.

(M) Hæ voces *aures &c.* in plerisque Mss. sunt omisæ. Leguntur in uno codice nostro, et apud Bosquetum.

(N) Non quia vidit Apostolos, sed quia eorum doctrinam docebat.

(O) *Firmus* legitur in utroque Mss., quod sequor, uti et in alio nostro. Reliqua cum Bosqueto habent, *Faustinus*. Pro *in hac animadversione* solus Bosquetus, *admiratione*, nonnulla Mss. *observationem*, uti Bollandus edidit.

(P) Sic in utroque Ms., quod sequor. In aliis *septimo decimo fere die*, ut edidit Bollandus. Bosquetus diem omisit, quem auctor verisimiliter ignoravit, et solum ex conjecturis posuit. Imo vix dubito, quin omnes relati discursus auctoris meditatione fuerint compositi.

(Q) Ita habent pleraque Mss. Bosquetus cum duobus, *in loco oppresso*, mendose, opinor. Verum non est satis verisimile, S. Saturninum in loco aperto prædicationem fuisse exorsum, si propter Firmum ejusque socios senatores Pompelonem venerat. Probabilior certe esset relatio, si senatores mox nominandi dicerentur primo conversi et instructi, prædicatioque deinde inchoata pro omni populo. At auctor videtur confusam solum habuisse cognitionem rerum gestarum S. Saturnini; ut vix aliud ex omnibus admittendum videatur, quam conversos ibidem fuisse Firmum aliosque aliquot senatores, et populum multum. Jam observavit Bollandus locum, ubi Pompelone S. Saturninus prædicasse creditur, modo vocari *burgum S. Serni*, sive *Saturnini*, et in Vita S. Papuli asserti, S. Saturninum *duobus annis et amplius apud Pampiloniam* moratum. Si vera est tanta mora, quam dicta Vita nequit certam reddere, poterit etiam vera esse conversio quadraginta fere hominum millium, quam noster

au-

auctor improbabiliter brevi tempore videtur includere.

(R) In uno Ms. *quingenta*, in alio, *viginti*. Auctor scripserit *quadraginta*, verisimiliter majori cum exaggeratione, quam exacta numeri conversorum cognitione.

(S) Alias, *His talibus auditis*, vel, *His talibus gestis ita auditis*.

(T) Apud Bosquetum et in uno Ms. *Sebiam*. In uno nostro de Fausto et Eusebia non fit mentio.

(U) In quatuor Mss. *suburbanas civitates*. Bosquetus mendose *per vices &c.*

(W) S. Honoratus Tolosanus episcopus annuntiatur a Castellano ad 25. Decembris, sed festum ejus celebrari ait die 16. dicti mensis, ut alterutro die de eo sit agendum.

(X) Nempe *Firminus* Honesto, ut paulo ante qui dicitur de Honorato.

## CAPUT II.

*Prædicatio S. Firmini: varia certamina et martyrium.*

10. „ **D**einde non post multum temporis (A) sanctus antistes ille, præfatus Firminus, revolvens et „ considerans Scripturarum divinarum præconium, et evangelicæ veritatis doctrinam in cordis sui gremio reponens, „ ubi dicit: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in „ nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Et iterum: Noli „ te cogitare, quomodo aut quid loquamini; non enim vos „ estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Et alio loco: Quam speciosi pedes evangelizantium bona virtutum: (B) et alia multa, quæ in divinis Scripturis reperiuntur de perfectione annuntiandi Filii Dei Evangelium. Igitur trigesimo primo fere anno ætatis suæ, relinquens patriam, genitorem, fratrem, et sororem, et dulcissimam suorum agnitionem, perrexit in partes Galliarum ad Agensem (C) civitatem; ibique aliquantisper diebus cum Eustagio (D) presbytero demoratus est, confir-

22

fir-

„firmans, (E) et docens plebem Catholicæ doctrinæ stu-  
„dio, et divinarum Scripturarum gratia instruebat.

11. „Deinde Arvernica (F) civitatis confinia pertransi-  
„ens, plurimam partem illius terræ ad Christi gratiam pro-  
„vocavit: ibique configens cum Arcadio et Romulo de  
„contemptu idolorum, illos tamen ad gratiam sancti bap-  
„tismatis post multa discrimina perduxit. Postmodum ergo  
„Ligerem transiens fluvium, ab Auxilio Andegavina (G)  
„urbis præsule (H) anno et tribus mensibus in verbo  
„prædicationis detentus est, ubi maximam partem illius pro-  
„vinciæ ad cognitionem veritatis evangelicæ perduxit. Au-  
„diens itaque beatissimus Firminus episcopus, quoniam Va-  
„lerius (I) præses in Galliis Belvacensi civitate, tyrannicam  
„impietatem erga Christianos exerceret, multosque illis in  
„finibus pro Christi nomine diversis poenarum cruciatibus  
„affligeret, ipse velut athleta Christi validissimus, ubi for-  
„tior belli impetus imminebat, Belvacensem civitatem per-  
„venit, ubi et plurimas persecutorum sustinuit insidias. Nam  
„in carcere trusus, vincula atque flagella nonnulla sustinuit,  
„die noctuque Evangelium prædicare non desinens. Postmo-  
„dum vero, Sergio (K) præside subitaneo ictu defuncto,  
„a Christiano populo beatus Firminus episcopus de carcere  
„exsolvitur, liberoque et soluto verbo Evangelium veritatis  
„cunctis annuntians; primumque (L) illum populum in  
„fidei soliditate confirmavit. Quo in loco ecclesiam beati  
„protomartyris Stephani (M) constituit, plurimos ibidem  
„populos ad cognoscendum lumen veritatis a cultura idolo-  
„rum perduxit.

12. „Deinde veniens ad oppidum Ambianensium, deci-  
„mo die mensis Octobris (N) hanc civitatem ingressus est,  
„receptusque a Faustini (O) senatore, domum ipsius ad  
„baptismi gratiam advocavit, ipsumque Faustinianum cate-  
„chumenum fecit; domumque Ausentii Hylarii cum ipso  
„Ausentio baptizavit: Attiliam, Agrippini quondam clari-  
„simam conjugem, cum liberis, famulis et famulabus eo-  
„dem die baptizavit: conversique sunt in illis tribus conti-  
„nuis diebus (P) per S. Firminum episcopum tria fere mil-  
„lia utriusque sexus. Prædictum vero Faustinianum cate-

„chu-

„chumenum ad perfectionem gloriæ baptismatis cum magno  
„gaudio Christianorum perduxit.

13. „Audientes itaque Longulus et Sebastianus (Q)  
„præsides, quæ per beatum Firminum episcopum in illo  
„tempore gerebantur, venerunt ab urbe Trevisis, ingressi-  
„que civitatem Ambianensium, ante tribunal præsidentes,  
„data jussione præceperunt, ut universi tertia die conveni-  
„rent ad prætorium Cimilianum, (R) ibique transactis tri-  
„bus diebus juxta præceptum præsidam, omnes tribuni mi-  
„litum, universaque militia ibidem convenit in unum. Tunc  
„præsides data jussione præceperunt, ut curiales et templo-  
„rum sacerdotes in eorum præsentiam convenirent, ipsisque  
„assistentibus, Sebastianus præses dixit: Sacratissimi impe-  
„ratores (S) decreverunt, ut honor et cultura deorum in  
„omnibus finibus orbis a populis et gentibus conservetur,  
„thure aræ et altaria secundum vetustas et antiquas princi-  
„pum consuetudines venerentur; et si quis contra decreta sa-  
„cratissimorum imperatorum venire tentaverit, aut conser-  
„vare minime voluerit, diversis tormentorum generibus af-  
„fligeretur; eumque capitalem subire sententiam ex decre-  
„to senatorum et principum reipublicæ Romanorum statu-  
„tum est.

14. „Ad quem Auxilius curialis, et venerabilis templo-  
„rum Jovis, et Mercurii sacerdos respondens, dixit: Est  
„hic unus Christianorum pontifex, qui non solum Ambia-  
„nensem urbem a deorum cultu et religione subvertit; sed  
„pene universum orbem, imperiique Romani integritatem,  
„ab immortalium deorum cultu separare videtur. Ad quem  
„Sebastianus dixit: Quis est ille, qui tantum nefas, et sce-  
„lus profanum perpetrare ausus est? Auxilius dixit: Firmi-  
„nus nomine, et Hispanus genere, arte et eloquentia facun-  
„dissimus, in omni sagacitate promptus. Hic prædicat et  
„docet populum, non esse alium Deum, nec aliam virtutem  
„in coelo et in terra, nisi Deum Christianorum Jesum Chri-  
„stum, quem nominat Nazarenum. Hunc dicit omnipotentem  
„super omnes deos; deos vero nostros dæmonia nuncupat,  
„idola et simulachra vana, muta, surda et insensibilia, libe-  
„ra protestatione omnibus esse denuntiat: ita subvertit po-

q q 2

„pu-

„pulum a cultura et religione deorum, ut ad templa vene-  
 „randa Jovis et Mercurii nullus jam ad thurificandum vel  
 „supplicandum veniat; sed ad Christianam sectam corda om-  
 „nium senatorum seducit. Hunc si non exterminaveris, et  
 „diversis pœnis ad aliorum exemplum affixeris, magnum  
 „periculum reipublicæ exinde accrescet, et ad ultimum funda-  
 „mentum et stabilitatem imperii Romani subvertere conabitur.  
 „Sed audi consilia nostra, præcellentissime præses, ut res-  
 „publica per te salvetur, et de imminente periculo deos de-  
 „asque exsolvas. Jube illum ante tribunal, præsentibus uni-  
 „versis, hoc præsentari.

15. „Tunc præcepit Sebastianus militibus suis, ut illum  
 „ad spectacula theatri, ad portam Clippianam post biduum  
 „præsentarent. Audiens ergo pretiosus martyr Christi Firmi-  
 „nus, quia rei causa agebatur; altera die procedens acces-  
 „sit ad prætorium, et constanter ante tribunal in conspectu  
 „principum stetit, et Deum omnipotentem Jesum Christum  
 „Nazarenum docuit adorandum, simulachra vero et profana  
 „idolorum delubra, ~~destruenda et exterminanda esse prædi-~~  
 „cabat. Ad quem Sebastianus conversus, ait: Tune es ille  
 „nefandus, qui templa deorum sanctorum destruis, et a re-  
 „ligione sancta sacratissimorum imperatorum plebem popu-  
 „lumque dividis? Unde es? vel quo nomine fungeris? cu-  
 „jus civis seu generis esse videris? Sanctus Firminus, pre-  
 „tiosus Domini episcopus, constanter ei respondens, ait:  
 „Si de nomine meo requiris, Firminus nuncupor, gente  
 „Hispanus, (T) ordine senator, civis Pampolanensis, fide  
 „et doctrina Christianus, gradu episcopus, missus ad præ-  
 „dicandum Evangelium Filii Dei, ut cognoscant gentes et  
 „populi, quia non est Deus alius in cœlo sursum, neque  
 „in terra deorsum; qui fecit omnia ex nihilo; in ipso uni-  
 „versa consistunt; qui vitæ et mortis potestatem habet; et  
 „de manu ejus quisquam eripere non potest; cui assistunt  
 „angeli et virtutes cœlorum; cui omne genu flectitur, cœ-  
 „lestium, terrestrium et infernorum; qui inclinat regna et  
 „baltea regum dissolvit; sub quo currunt tempora, et mu-  
 „tantur generationes, et ipse in æternum non mutabitur,  
 „quoniam idem ipse est, et anni ipsius non deficient. Dii

„ve-

„vero, quos gentes colitis, per illusiones et fantasias dæ-  
 „moniorum, simulachra muta, surda, et insensibilia sunt,  
 „qui decipiunt animas, et cultores suos in profundum in-  
 „ferni demergunt. Illa prædico, et libera voce denuntio es-  
 „se diabolicas fabricaturas; et omnibus populis et gentibus  
 „derelinquendas pronuntio, ut non cum ipsis in profunda  
 „tartari et gehennam perpetuam, ubi eorum pater est diabo-  
 „lus, demergantur.

16. „Audiens hæc Sebastianus præses, impio furore re-  
 „pletus, exclamavit voce magna. Et, facto silentio, talem  
 „protulit sententiam. Per deos deasque immortales, et invi-  
 „ctam eorum potentiam, contestor te, Firmine, ut ab hac  
 „stultitia tua resipiscas, et a sancta religione, quam excolu-  
 „erunt patres tui, ne recedas; sed modo diis deabusque di-  
 „cito (U) citius te sacrificaturum. Nam si non feceris, om-  
 „nia tormentorum genera te excipient, turpissimaque morte  
 „in conspectu omnium te faciam consummari. Ad quem San-  
 „ctus Firminus martyr Christi constanter nihil formidando  
 „respondens, ait: Cognitum tibi sit, præses Sebastiane, quia  
 „tormenta tua et pœnas, quas mihi promittis, non formido,  
 „sed de tua insipientia et vanitate magis doleo, ut me ser-  
 „vum Dei immortalis, qui omnium dominatur, impiis tor-  
 „mentorum generibus exagitari credas. Quantum amplius mi-  
 „hi pœnas promiseris accumulari, tantum amplius Deus meus  
 „omnipotens sustinentiæ dabit virtutem, ut ad coronam glo-  
 „riæ immarcescibilis per tot certamina dignus pervenire me-  
 „rear, qui propter temporales pœnas, quas promittis mihi,  
 „vitam perpetuam in regno Filii Dei, ubi sine fine cum ip-  
 „so regnabimus, dimittere nolo. Tu vero cruciatus et tor-  
 „menta perpetua tartari, et inextinguibiles flammæ sustine-  
 „bis; ibique ardore ignis inextinguibilis pro impietate, quam  
 „nunc in servos Dei exerces, sine fine ardebis.

17. „Sebastianus vero ac populi et plebis conventas mi-  
 „rabantur supra constantiam et prædicationem beati Firmi-  
 „ni martyris: et volebat eum populus de Sebastiani mani-  
 „bus eruere, quia per eum ostensæ sunt diversæ virtutes.  
 „Nam et paralyticos erigebat, obsessa a dæmonibus corpora  
 „expiabat: duos a lepræ morbo ad Clippianam portam munda-

da-

„davit; oculum excussum Casto Andreæ filio restituit, fe-  
 „bres et plurimas infirmitates, invocato nomine Patris et Fi-  
 „lii et Spiritus sancti, sanavit; multasque alias virtutes in-  
 „numerabiles per eum Dominus operatus est. Propterea Se-  
 „bastianus metuebat eum ad tormenta tradere, ne per eum  
 „tumultus inveniretur in populo. Præcepit itaque eum Se-  
 „bastianus militibus suis apprehendere, et custodibus carce-  
 „ris commendare; clamque eum in carcere in noctis silentio  
 „capite truncari, corpusque ejus abscondi jussit, ne a Chris-  
 „tianis, quos ad veram lucem perduxerat, honorifice cole-  
 „retur.

17. „Interea (W) dum pretiosa et acceptabilis hostia,  
 „beatissimus Firminus episcopus, Christi populum solita præ-  
 „dicatione in fide Catholica non desisteret solidare, milites  
 „nimia cum severitate, prout eis jussum fuerat, eum impro-  
 „vise comprehenderunt, et comprehensum ad carcerem us-  
 „que perduxerunt. Cumque inter eorundem manus divino  
 „insignitus auspicio, Christum Dei Filium pro eorum rabie  
 „viva voce non cessaret laudare, concite eum in ergastulo  
 „obscurissimi carceris retrudentes, signatoque ostio, adhibitis  
 „custodibus, abierunt. Nocte vero sequente, cum plebs So-  
 „monobrica sese sopori dedisset, ensiferi assunt milites, para-  
 „ti sui nequissimi præsidis jussa patrare. Quos conspicens  
 „sacrum et acceptabile Christo holocaustum, alacri exultatio-  
 „ne cordis repletus, magno præ gaudio lacrymas coepit fun-  
 „dere, et prece supplici exorando decantare: Gratias tibi a-  
 „go, Domine Jesu Christe, bonorum retributor omnium,  
 „pastor bone, qui me ad tuorum fidelium vocare dignatus  
 „es consortium. Dignare ergo Rex pie, Rex clementissime,  
 „hos misericorditer custodire, quos ministerio nostro tibi ac-  
 „quirere voluisti, cunctosque, qui tuum per me petierunt  
 „juvamen, clementer exaudire; quoniam tuum est regnum et  
 „celsa potestas per immortalia seculorum secula. His itaque  
 „dictis, unus militum impiissimo evaginato gladio, sanctam  
 „non timuit ferire cervicem. Sicque Martyr Domini est in  
 „confessione sanctæ Trinitatis effectus, et in coelis gloriose  
 „coronatus.

18. „Cumque præcelsi Martyris cadaver jaceret exani-  
 me;

„me; Faustinianus, (X) quem jam antea idem ipse pretio-  
 „sissimus testis Christi Firminus baptizaverat, tacite noctu  
 „corpus ejus a carcere sublatum eripuit, et in suo cimite-  
 „rio, quod Abladana dicitur, cum aromaribus et pretiosis  
 „lintheaminibus in monumento novo, (Y) in quo nondum  
 „quisquam positus fuisse videbatur, condidit. Quo (Z) in  
 „loco sanctus Firminus episcopus et confessor ecclesiam (AA)  
 „construxit, et ad caput ejusdem gloriosissimi martyris alta-  
 „re in honore sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Ma-  
 „rix beavit. In qua cum quadam die fungens ante altare Sa-  
 „crificium consecraret, cælis apertis, palmam Domini (BB)  
 „et Salvatoris nostri Jesu Christi meritis sui pretiosissimi præ-  
 „fati Martyris aspexit. Ibi denique, Domino Jesu Christo  
 „cooperante, ad honorem et laudem ejusdem clarissimi sui  
 „testis Firmini, crebra et salutifera fiunt miracula. Nam æ-  
 „gri venientes, antiquam recipiunt sanitatem, cæci illumina-  
 „tionem, claudi recuperationem, vexati a dæmonio libera-  
 „tionem.

19. „Digne igitur in laude manet æternâ, quoniam e-  
 „rogando verbi divini semina, ab ipso nostra refulget eccle-  
 „sia. O quam beatum Virum, qui mandata Dei prudenter  
 „adimplevit, et ad Christi regnum feliciter pervenit. Erat  
 „enim spiritu fervens, Domino serviens, spe gaudens, in  
 „tribulatione positus cum hilaritate subveniens; nam ut De-  
 „um sibi faceret propitium, resolvebat inopiam egentium.  
 „Propterea est exaltatus super astra, et a Christicolis digne  
 „glorificatus in terra. Veneranda itaque est illius præclara  
 „solemnitas, qui in confessione veræ fidei instanter perseve-  
 „rans, gladium suscepit, et post immanitatem tormentorum  
 „consortio est glomeratus Sanctorum, felix quoque et exul-  
 „tans triumphat cum Christo in regno coelorum, cui est ho-  
 „nor, laus et jubilatio indeficiens per infinita secula seculo-  
 „rum. Amen (CC)

## A N N O T A T A.

(A) Pro, Non post multum temporis, ut habent omnes  
 codices, in Breviario Burgensi, Deinde post multum temporis.

(B)

(B) Apud Bosquetum, *bona et pacem; et aliarum multarum &c.* Sic aliis quoque locis in vocibus nonnihil abit a plerisque Mss. sed non omnia observo, ut jam monui.

(C) Ita in Ambianensi, in nostro huic passim consono *Aggensem*; in aliis quatuor *Agnensem*, in Trevirensi *Aganensem*. Bosquetus habet *Agennensem*, qua voce civitas clarius exprimitur. Designatur *Agennum*, aut *Aginum*, urbs Aquitanix ad Garumnam fluvium, vulgo *Agen* dicta, et episcopalis sub archiepiscopo Burdegalensi.

(D) *Eustagio* habent Mss., quæ sequor, cum duobus aliis. In Trevirensi *Eustochio*, in reliquis *Eustachio cum Bosqueto*, forte rectius.

(E) Vox *confirmans* insinuat, jam ante fidem fuisse Aginni prædicatam. Hoc fieri potuit per episcopos Tolosanorum. Constat autem, Aginni jam sub Diocletiano fuisse martyres, interque hos S. Caprasium, quem recentiores etiam Aginnensem fecerunt episcopum. De eo agetur ad 20. Octobris.

(F) In uno Ms. nostro *Arvernica*. Arvernorum civitas, modo *Clarus-Mons* dicta, suum jam tum habebat episcopum. Ideo forte civitatem non intravit, sed confinia prædicando pertransiit, ut dici nequeat, quo loco cum Arcadio et Romulo certaverit, eosque converterit.

(G) Ab Arvernibus per Lemovices et Pictones ad Andes proficisci potuit, ibique Ligerim, flumen Gallix satis notum, et vulgo *la Loire* dictum, transire.

(H) Dictio hic varia est in codicibus; et ex varietate duplex oriri potest quæstio, nimirum an eo tempore *Auxilius* aliquis Andegavensis esset episcopus, et, si quis velit, non expressum esse nomen episcopi, an saltem de episcopo Andegavensi fiat mentio. Bosquetus locum ita expressit, ut nulla episcopi Andegavensis fiat mentio, habetque sequentia: *Postmodum ergo Ligerim transiens flumen ad auxilium Andegavina urbis, anno et tribus mensibus in verbo predicationis detentus est &c.* Verum ex octo Mss. nullum huic editioni consentit; nam in omnibus fit mentio præsulis Andegavensis; isque probabiliter vocabatur *Auxilius*, licet codices de eo nomine non omnino consentiant. Duo codices, quos sequor, quod

quod reliquis videantur correctiores, ad litteram habent, prout edidi. Reliqui codices sua diversitate ostendunt, librariorum sensum non intellexisse, et nonnihil mutationis induxisse. Noster olim Valcellensis pro nomine præsulis consentit, sed ita sensum exprimit: *Ligerem transiens fluvium ad Auxilium Andegavina urbis præsulis, anno et tribus mensibus &c.* Quatuor codices, nimirum unus e nostris, Audomarensis, Boni-Fontis, San-Gallensis habent, *ad auxilium Andegavina urbis præsulis &c.* Trevirensis demum: *ad auxilium Andegavina urbis apud præsulis &c.* Lectio ex duobus codicibus data reliquis probabilior est, cum quod optime cum antecedentibus et consequentibus cohzreat, tum quod exprimat, a quo fuerit in Andibus detentus: hoc vero in nulla alia lectione exprimitur. Præterea verisimile non est, librariorum ex voce appellativa *auxilium* formasse nomen proprium. At ex nomine proprio minus usitato a librariis appellativum esse factum, sensumque consequenter immutatum, omnino verisimile est. Quare probabiliter est, tunc *Auxilium* aliquem a dulto seculo 3. fuisse præsulis Andegavensem, ut notatur in aliquot catalogis; et certe episcopum ibi fuisse, omnium codicum consensus evincit.

(I) Ubique in Mss. *Valerius*, sed *Valerianus* vocatur a Louveto in Antiquitatibus Bellovacensibus lib. 2. Mox pro in Gallis aliquot codices mendose habent in Gallias, et pro *Belvacensi* plures *Belvacense*.

(K) Laudatus Louvetus lib. 2. cap. 6. Sergium facit successorem Valerii, quem *Valerianum*, ut dixi, nominat; et ante Sergium dicit defunctum. Verum, etsi quis hæc omnia satis certa crediderit, necesse non est, ut duo præsides Bellovacenses dicat defunctos, dum ibi erat *S. Firminus*: nam poterat Sergius civitati Bellovacensi præesse sub Valerio latius imperante.

(L) Apud Bosquetum *primus*, acsi primus Bellovacorum apostolus esset *S. Firminus*; sed in Mss. legitur *primum*, id est, antequam proficisceretur Ambianum. Bollandus ad hunc locum annotavit sequentia: *Lovetus cap. 5. S. Firminum prædicasse scribit XXX. aut XXXV. annis post necem S. Luciani, Bellovacorum primi episcopi, cujus Vitam, ab Odone epis-*

copo scriptam, dedimus VIII. Januarii. Si sub Domitiano occubisset S. Lucianus, quod in ea Vita dicitur, minime dubium foret, quin diu post eum S. Firminus extitisset. Sed cum SS. Quintini, Crispini &c., qui sub Diocletiano martyrium subierunt, socius fuisse S. Lucianus dicatur, nobis probabilius videtur, quod Antonius Loiselus scribit cap. 3. Commentariorum de rebus Bellovacensibus, ante Lucianum venisse ad Bellovacos Firminum, non tamen ejus urbis fuisse episcopum. Sed ante eum, ut hinc patet, aliqui jam illic erant Christiani.

(M) Ita in Mss. duobus quæ sequor; quibus accedit alterum nostrum. In aliis quinque Mss., quibus consonat editio Bosqueti, ecclesia dicitur constructa in honorem Sanctorum martyrum Stephani atque Laurentii. Louvetus cap. 6. solum quoque Stephanum nominat.

(N) Festum ingressus S. Firmini illo ipso die 10. Octobris notatur in Breviariis antiquis Ambianensibus. Loiselus cap. 3. credit, prius apud Ambianos fuisse S. Firminum, quam apud Bellovacos; sed hoc Actis contrarium est, æque ac Petto de Natalibus, quem pro sua opinione perperam allegat.

(O) De Faustiano senatore, apud Bosquetum *Faustino*, multa sunt dicta ad 1. Septembris in S. Firmino confessore, cujus pater fuisse creditur. De aliis conversis alibi nihil invenio.

(P) Non est verisimile, tribus diebus peracta esse omnia, quæ hic narrantur.

(Q) In hanc lectionem consentiunt septem codices Mss. Bosquetus, cui consonat codex Trevirensis, sic edidit: *Audiens itaque Valerius Sebastianus &c.* At mendosa videtur hæc lectio: nam Vincentius Bellovacensis, et compendium Ms. Ultrajectinum habent Longulum et Sebastianum, ut personas distinctas, uti Petrus de Natalibus, sed apud hunc pro Longulo legitur Longinus, sicut etiam habet Loiselus pag. 66. At Louvetus pag. 165. Longulum vocat, eique cum omnibus jam memoratis Sebastianum addit. Tillemontius et Bailletus vitiosam Bosqueti editionem secuti sunt, quia Acta Mss. vix ulla habuerunt. Paulo post pro *venerunt ab urbe Trevis* Bosquetus habet, *venit ad urbem*, Ms. Trevirensis, *ve-*  
nit

nit ad urbem Trevis, proculdubio mendose.

(R) Cimilianum habent tres codices nostri cum tribus aliis, Ambianense Cymilianum, Trevirensis *Emilianum*, Bosquetus *Æmilianum*.

(S) In duobus codicibus, Ambianensi nimirum, et uno e nostris, quos ut reliquis correctiores sequor, nomina imperatorum non exprimentur. At in aliis sex, et apud Bosquetum additur *Decius et Valerianus*. Vide dicta in Commentario num. 5. Verba reliqua Sebastiani diverso etiam utcumque modo in codicibus exprimentur, sed eadem ubique est sententia.

(T) Apud Bosquetum et in quinque Mss. *gente Romanus*: at in duobus, quæ sequor, et in altero nostro, *gente Hispanus*.

(U) In quibusdam codicibus pro *dicito*, legitur *dicte*, sensu imperfecto relicto, in uno *dic te &c.* in aliis *dicto citius sacrificia*. Bosquetus *dicto citius te diis sacrificaturum pronunties*.

(W) Quæ toto hoc articulo leguntur usque ad mortem Sancti, non habentur apud Bosquetum, nec in pluribus Mss. Ea tamen sunt in duobus codicibus, quos sequor, nempe Ambianensi et nostro, quibus accedit alius noster, olim Valcellensis. In reliquis vero hæc de Sancti martyrio breviter substituta sunt: *Confessus est igitur Christum in martyrio B. Firminus episcopus, et martyrizatus est in confessione sub die VII. Kalendarum Octobrium*. Bosquetus hæc ipsa dedit, sed magis etiam contracta.

(X) In hanc vocem *Faustianus* codices omnes de sepultura fere consentiunt, solus Bosquetus habet *Faustinus*.

(Y) Illud *de monumento novo &c.* rursus tantum legitur in tribus codicibus mox memoratis. Relata autem S. Firmini sepultura, duo codices, quos sequor, a reliquis omnibus usque ad finem plane dissentiunt, etiam in factis fere omnibus.

(Z) Quandoquidem omnes codices cum Bosqueto a duobus Mss., quorum textum edo, dissentiunt, juverit omnia ex illis hic recitare ex Ms. Audomarensi, cui codices plerique in omnibus fere consonant. *Sebastianus denique non post*

multos dies a militibus Belloaco (al. Belluaco) civitate interficitur. Fausticianus autem, quem antea memoravimus, qui et corpus B. Firmini condidit, in amore et memoria B. Firmini martyris et confessoris unicum filium suum nomine Firminum nuncupavit: eumque sacris litteris imbutum, viris religiosis ad instruendum tradidit. Qui postmodum sapientia et doctrina in Galliarum partibus, velut clarissimus solis radius, omnibus enituit. Nam dum erat vultu decorus, eloquio certissimus, moribus et castitate probus, omnibus fere Europa ecclesiis pater et magister effectus est. Et cum virtutum gradibus ad culmina ecclesiae conscendere videretur, ab Joanne Lugdunensis ecclesiae antistite ad episcopatus officium ordinatur. Per quem divina misericordia in sua Ecclesia multa miracula ostendere dignata est: nam et ipse paralyticos plurimos ad pristinam sanitatem restituit, et filium Callisti patricii de febribus orationis virtute liberavit, vexatos a demonibus multoties per singula loca expiavit; sicut usque hodie merita ipsius singulis eam invocantibus, et per eum sperantibus, longe lateque coruscant. Qui et ecclesiam in honore sanctae Mariae Virginis construxit, ubi Sanctus Firminus martyr et pontifex conditus esse traditur: ubi et Firminus episcopus suam sepulturam elegerat fieri. Sed quia dubium est propter persecutionis, qua tunc erat, extantiam, ubi S. Firminus martyr a Faustiano clam depositus est: dubium tamen non est, ubi S. Firminus confessor et episcopus post multas virtutes ostensas conditur. Ibi sine dubio et Martyr requiescere credendus est. Vixit autem annos sexaginta septem: sub die decima Kalendarum Septembrium feliciter a seculo migravit, regnante Domino Jesu Christo, qui cum Patre simul et Spiritu sancto vivit, et dominatur per immortalia secula seculorum. Amen. Hactenus apographum Audomarense, cui fere consentiunt alia quinque Mss., exceptis paucis mox annotandis. Apud Bosquetum sermo est expolitior, quam in ullo Ms. Cum autem praedicta omnia non legantur in duobus codicibus, vehementer suspicor, ea non esse primi scriptoris, sed postmodum adjecta; (\*) sicut et nonnulla in dictis duobus Mss.

(\*) Addi fortasse potuisset et confecta; nam scriptor vitae S. Firmini M. qui Faustianum et S. Firminum Conf. laudat, non tacuisset, opinor, hunc fuisse

Mss. adjecta existimo. Porro codices non consonant de aetate S. Firmini. De annis sexaginta septem Audomarensi consentiunt alii tres, nimirum unus e nostris, Ms. S. Galli et Bonifontis; ut haec vera videatur lectio, consentientibus quatuor Mss. Nam Bosquetus, qui edidit *quadraginta septem*, solum sibi consentientem habet codicem Trevirensem, qui passim editioni illi conformior est reliquis omnibus. In solo etiam codice nostro, olim Valcellensi, legitur *Septuaginta septem*. De obitus die rursus dissentiunt Codices. *Sub die decima Kalendarum Septembrium* obiisse, cum Audomarensi habet codex noster olim Valcellensis. *At sub die Kalendarum Septembrium* cum Bosqueto habent tres codices, nimirum Trevirensis, Bonifontis, et unus e nostris: atque haec est opinio Ambianensium, qui S. Firminum confessorem colunt die 1. Septembris: eaque et in Breviario Ambianensi, et in Vita S. Firmini confessoris asseritur. In codice S. Galli legitur: *Sub die VII. Kalend. Octobris feliciter a seculo migravit*. At illo die passus creditur S. Firminus martyr: locum vero allegatum omnes passim intellexerunt de S. Firmino confessore, de eoque intelligendum inveniunt data verba, *feliciter a seculo migravit*: imo et in uno codice nostro clare dicitur: *Sub die Kalend. Septembris ipse Firminus confessor feliciter migravit a seculo*. Ceterum Joannes Lugdunensis episcopus, qui ordinasse S. Firminum confessorem dicitur, plane ignotus est, ut jam observavi ad 1. Septembris in S. Firmino confessore num. 6. (\*) ubi etiam annotavi aetatem S. Firmini

filius illius. Ad haec prodit se hic affectata imitatio; ut enim S. Firminus M. Senatoris Firmi, a S. Saturnino baptizati, primogenitus filius erat, sic S. Firminus Conf. Senatoris Faustianij, a S. Firmino M. baptizati, filius unicus fit: ut ille S. Honesto instruendus traditus a parte est, ita hic erudiendus committitur viris religiosis a parte: ut denique ille apprimè jam doctus, et omnibus carus, a Tolosano Episcopo consecratus Episcopus fuit, sic is propter virtutem et doctrinam nemini non cognitus, a Lugdunensi antistite factus Episcopus, perhibetur. Vide annotationem sequentem.

(\*) Bollandianus Hagiographus, qui totam hanc narrationem adjectam esse postmodum vehementer suspicatur, quique Joannem Lugdunensem Episcopum, qui ordinasse S. Firminum Confessorem dicitur, plane ignotum esse ait, non difficulter tamen ipsam admittit tum supra numero 37. Commentarii praevii, tum in vita S. Firmini Conf. ad diem 1. Sept; et quia S. Firminum Mart. sub finem tertii seculi obiisse putabat, prudenti ratiocinio S. Firmini Conf. ordinationem statuit circa



mini confessoris in uno codice rectius *sexaginta septem* annorum statui, quam *quadraginta septem* apud Bosquetum, quod modo omnes perscrutando codices abunde confirmavi.

(AA) Ecclesiam hanc dicatam fuisse beatissimæ Virgini Mariæ, habent alii codices, quorum verba dedi; idemque hic innuit altare Virgini Mariæ consecratum. Plura de hac ecclesia observavi ad 1. Septembris in Gloria posthuma S. Firmini confessoris S. I.

(BB) Idem legitur in Vita S. Firmini confessoris num. 8. ubi ad litter. p. annotavi, illud miraculum in pluribus documentis referri de S. Honorato, qui præfuit Ambianensi ecclesiæ sub finem seculi 6., et de quo actum est ad 16. Maii.

Qua-

medium seculi quarti. Non ignorabat ille quidem, Eulogium Ambianensem Episcopum interfuisse anno 346. Coloniensi Concilio, et anno sequenti Sardicensi una cum Verissimo Lugdunensi Episcopo: noverat, S. Justum Lugdunensem Antistitem adfuisse anno 374. Valentino Concilio; quia tamen obiisse potuerunt Eulogius et Verissimus paulo post Sardicense Concilium, potuitque non valde diuturnus esse Episcopatus Joannis, aptum ipsi tempus pro ordinatione S. Firmini Conf. visum est medium seculi quarti. Sed nolim ego propter exiguam fidei narrationem in ejusmodi redigi angustias, maxime cum Bollandiani Hagiographi discursus unice innixus sit falso supposito de ætate S. Firmini Mart. ut toto libro primo probavi. Ad hæc ut Ambianensem Episcopum ordinatum fuisse circa medium seculi quarti a Lugdunensi credamus, opus est omni exceptione majori testimonio. Nam quo jure id attentasset Lugdunensis Episcopus? Non certe quod Episcoporum provinciæ antiquissimus esset, qui Verissimo anno 347. viventis successerat. Nec item Ecclesiæ suæ jure, nam Lugdunensis provincia multo ante a Belgica distincta fuerant, imo utraque jam tum in primam et secundam subdivisa erat, ut ex titulo libri S. Hilarii de *Synodis* per ea tempora scripti apparet. Quare S. Firmini Conf. ordinatio ad Remensem Belgicæ secundæ, in qua erat Ambianum, pertinuisset Metropolitanam, vel certe ad Trevirensis, qui non Belgii tantum, sed Galliarum etiam Metropolitanus appellatur ab Athanasio tunc scribente apologiam de fuga: neque Lugdunum quarto seculo comparari, nedum præferri, poterat Treviri, Præfectorum Galliarum Prætorio, imo Imperatorum sedi. Siquis vero putat, sine monumento traditioneve antiquiori conflagendam non videri ordinationem, quæ illegitima certo fuisset, quando narrationis hujus auctor vivebat; non obstantem contentiosius, modo ea conjiciatur in tempus, quo Gallicana Ecclesia in provincias nondum distincta erat. Si S. Firminus Conf. Faustini a S. Firmido M. baptizati, filius esset, statuenda ejus ordinatio foret post medium secundi seculi in nostra sententia. Verum eo tempore nullus Lugduni Episcopus Joannes; esto enim non satis constet, primum ejus Episcopum fuisse S. Pothinum, anno 177. nonagenatio majorem passum martyrium; attractum Episcopatus ejus initium sine gravissima causa diu post medium secundi seculi statuendum non est. S. Pothino S. Irenæus ineunte tertio seculo pro Christo occisus, successit, et huic Zacharias. Quare alterutrum saltem negandum est, fuisse scilicet S. Firminum Conf. Faustini filium, vel a Joanne Lugdunensi Episcopo consecratum.

Quapropter, cum idem favor verisimiliter utrique non contigerit, ab uno per errorem ad alterum translatus videtur. Certe dubium est, an obvenerit S. Firmino confessori, præsertim cum posteriora hæc solum legantur in duobus codicibus, et in sex aliis Mss. nostris sint omissa, ut vehemens possit esse suspicio, totam hanc partem posteriorem Actis diu post adjectam esse, neque esse Auctoris Vitæ S. Firmini. Quare, ut insinuavi loco allegato, gratia illa visæ manus Domini probabilius saltem attribuetur S. Honorato, quam S. Firmino confessori, etiamsi legatur in additamentis duorum codicum.

(CC) Hic Acta finiuntur in codice nostro. In apographo Ambianensi pauca hæc sequuntur: *Sebastianus denique non post multos dies a militibus Belloaco civitate interficitur.*

HACTENUS COMMENTARIUS BOLLANDIANUS.

RETRACTATIO  
 BOLLANDIANORUM SENTENTIÆ  
 DE EPISCOPATU  
 SANCTI FIRMINI MARTYRIS:  
 EPILOGUSQUE OPERIS.

S. I.

*Asseritur S. Firmino Pompelonensis Episcopatus ex iisdem  
 causis, quas pro denegando allegant Bollandiani.*

1. **S**anctum Firminum primum Pompelonis Episcopum fuisse, Navarri omnes ab infantia didicimus: hanc tamen præcocem æque, atque Patriæ meæ honorificam opinionem alias ipse deposui, cogente, si minus veritate, hujus certe studio et amore: etenim contrariorum argumentorum hallucinatus specie, ac multo fortasse magis præclara mea de iis, qui contra sentiebant, existimatione, tenendum mihi censui, S. Firminum ex illa fuisse Episcoporum classe, qui *Apostolici* vocantur, propterea quod Ecclesiæ nulli affixi, quoquo versus discurrebant inter fideles, infidelesque Apostolorum more. Neque vero erroneam istam opinionem unquam deposuissem, opinor, si non attentius ipsam considerassem post Riccardiana Acta detecta, quæ, ut facile agnoscuntur æstimabiliora exemplis omnibus Actorum sincerorum S. Saturnini hactenus detectorum, sic eadem lectori persuadent, suam de S. Firmino narrationem longe esse fidedigniores altera, quam Bosqueti, Bollandianorumque Acta exhibent, unde Pompelonensis S. Firmini Episcopatus maxime impugnatur. Probe quidem jam nunc intelligo, hæc etiam ipsa, ut ad speciem contraria, si maturius examinentur, ejusmodi non esse: verumtamen tam expressis verbis determinatæ Ecclesiæ, ac Pompe-

lonen-

lonensis præsertim, cathedram S. Firmino denegare ea videntur, ut in errorem traxerint oculatissimos ipsos Bollandianos, quamvis in Pompelonenses optime animatos, ut ex iis, quæ de eodem Sancto disputant, satis constat. Propterea facile mihi persuadeo, visuros eos libenter comprobatum S. Firmini Pompelonensem Episcopatum non modo ex fidedigno monumento, cujus notitiam non habuerunt, sed etiam ex illo ipso, unde sua in eum argumenta depromunt. Neque superfluum hujusmodi examen videri debet post luculentam sententiæ nostræ probationem, quam in Riccardianis Actis jam nunc habemus; nam proderit illud non solum pro majori rei confirmatione, sed etiam pro vindicandis studiosissimis S. Firmini Navarris, qui recentium criticorum rationibus minime acquiescentes, persistendum sibi esse in Ecclesiæ suæ traditione (prudenter enimvero) existimaverunt. Et quia ejusdem Ecclesiæ traditionem alteram de ætate SS. Saturnini, et Firmini sartam tectamque feci sub initium libri primi, priusquam ad allegandum pro ea Riccardiana Acta deveni, juvat hic etiam institutum idem tenere, atque exordiri demonstrationem Episcopatus Pompelonensis S. Firmini ab Actis Bosqueti, et a solutione argumentorum, quibus opinionem suam Bollandiani fulciunt: hinc autem ad Riccardiana Acta veniemus.

2. Inter alios, qui Pompelonensem Episcopatum S. Firmino adjudicant, nominandi præsertim sunt Joannes de Ferreras in *Historia Hispania* Martiti anno 1700. edita, et Bollandiani, ille enim Hispanus erat, et hispanice scribebat, hi autem a num. 25. ad 34. *Commentarii de S. Firmino* supra exscripti copiose de hoc argumento agunt, atque insignem *Antiquitatum Navarre* Investigatorem P. Josephum Moretum, qui Pompelonensem Episcopatum asserere S. Firmino omnibus viribus nisus fuerat, prolixè impugnant. Moreti Libros non habeo, neque vero illis admodum egeo, quippe qui non ipsius, sed eandem, quam ipse, causam defendo: itaque ut in quæstione de ætate SS. Saturnini, et Firmini prætereunda mihi esse silentio credidi Bollandianorum argumenta, quæ Moretum magis, quam Moreti causam, petebant, sic nunc facile patiar, videri cuipiam non mala illorum ad objecta hujus responsa, modo cetera, quæ ad causam ipsam proprie per-

pertinent, ex iis, quæ jam nunc afferemus, dijudicentur. Ergo potissimum contra Episcopatum Pompelonensem S. Firmini argumentum cubat, ut Bollandiani ajunt, in Actis Bosqueti, quæ ejus in Episcopum consecrationem ita referunt numero IX. et X.

3. „Quem (*Firminum*) ut vidit Honoratus Episcopus, cognovit in eo, quia ad hoc prædestinatus, et electus esset a Domino, ut verbum vitæ, et salutis gratiam in gentibus prædicaret, et ordinavit eum Episcopum, ut nomen Domini in Occidentis partibus prædicaret. Qui et his verbis eum coram omnibus allocutus est: Gaude Fili, quoniam vas electionis Domino esse meruisti. Perge itaque in dispersionem gentium, accepisti a Domino gratiam, et apostolatus officium. Noli timere, quoniam Dominus tecum est; in omnibus enim scias, quia oportet te pro nomine ejus multa pati, quatenus ad coronam gloriæ pervenias. Valedicens itaque beatus Firminus Episcopus Honorato Episcopo, fratribus, et sacerdotibus suis, reversus est vitam comite ad Honestum presbyterum, magistrum, et nutritorem suam. Qui et retulit ei omnia, quæ in via illi contigerant, vel quibus verbis imbuisset eum sanctus Antistes ille Honoratus, et quomodo, vel qualiter præceperat ei, ut verbum prædicationis, et nomen Jesu Christi in dispersionem gentium annuntiaret. Deinde non post multum temporis sanctus Antistes ille præfatus Firminus . . . perrexit in Gallias.

4. Ex his verbis sic argumentantur Bollandiani num. 28. et seqq. „S. Firminus ordinatus Episcopus fuit, ut nomen Domini in Occidentis partibus prædicaret. Atqui prædicare in Occidentis partibus non est prædicare in urbe sola Pompelonensi: non est igitur urbi Pompelonensi ordinatus Episcopus, sed partibus Occidentis, quibus prædicationis ejus videretur necessaria. Secundo Acta asserunt, Episcopum ordinatum esse, quia ad hoc prædestinatus, et electus esset a Domino, ut verbum vitæ, et salutis gratiam in gentibus annuntiaret. Atqui ad prædicandum in gentibus non erat necessarius Episcopatus Pompelonensis, sed magis Episcopatus Apostolicus nulli loco affixus. Tertio S. Honoratus

„Fir-

„Firmino ordinato dixit: Perge itaque in dispersionem gentium. Atqui pergere in dispersionem gentium, non est ire Pompelonem, ejusque Ecclesiæ curam habere. Quarto: Firminus Pompelonem ad S. Honestum reversus, non dixit, curam Pompelonensis Ecclesiæ sibi mandatam ab Honorato, sed ab eo sibi præceptum, ut verbum prædicationis, et nomen Jesu Christi in dispersionem gentium annuntiaret. Adde ipsam mandati executionem, ad quam S. Firminus, relicta patria, perrexit in Galliam, idque non post multum temporis a sua consecratione. Hæc argumenta, (inquit,) sola sufficiunt ad Episcopatum Pompelonensem Firmino abjudicandum, præsertim cum nulla in Actis fiat mentio de prædicato ibidem Evangelio post susceptam consecrationem, ut solum eo videatur reversus ad parentibus valedicendum, et de necessariis ad peregrinationem sibi providendum. Post hæc (petunt) quo jure licuerit S. Firmino sedem suam relinquere, si pro ea erat ordinatus? Etenim si Honoratus illum Pompelone judicasset necessarium, non permisisset, ut post non multum temporis inde recederet. . . . Demus tamen, licuisse S. Firmino Ecclesiam suam relinquere, facultate a Romano Pontifice, hujusve legato Honorato obtenta; cur non illi Ecclesiæ, si jam in ea erat sedes pontificia creata, alius præpositus est Antistes, saltem post Firmini martyrium? Primus enim, cujus mentio uspiam extet, Pompelonensis Episcopus Lilius est, qui Concilio Toletano III. Æra 627. sive 589. Christi anno subscripsit. Postremo habere se ajunt num. 33. Officia S. Firmini ex quatuor vetustioribus Breviaris Mss. fideliter sibi transmissa, nimirum ex Breviario 1231. ex secundo anni incerti inter 1349. et 1354. ex tertio anni 1383. et ex quarto 1440. In nullo autem ex his Officiis, etiamsi omnia fere sint propria S. Firmino, ullum reperitur verbum, quo vel obscure insinuetur, Episcopum fuisse Pompelonensem. . . . Unica igitur expendenda est auctoritas alicujus ponderis. Nam Petrus Episcopus Pompelonensis, qui anno 1186. decrevit, ut festum S. Firmini solemnius quam antea celebraretur. . . . inter rationes hanc allegat: Quia prædictus Martyr. . . . etiam in Episcopum ejusdem civitatis asse-

ritur ordinatus. Verum timida hæc senescentis seculi XII. mentio de Episcopatu Pompelonensi causam Moreti parum juvat; nam silentium Breviariorum, quæ recensui, omniumque scriptorum forte usque ad seculum XVI. magis ostendit, ne ipsis quidem Pompelonensibus persuasum fuisse, S. Firminum suæ Ecclesiæ fuisse Episcopum.

5. Speciosa quidem hæc sunt; verum attentius considerata, parum valent, utpote innixa præcipue tum allocutioni, quam scriptor Actorum Bosqueti S. Honorato attribuit, tum brevi moræ, quam, eodem teste, Firminus post acceptam consecrationem Pompelone egit. Etenim ipsissima hæc duo sunt, in quibus scriptoris Actorum auctoritas vacillat, vel jacet potius ex criticorum Bollandianorum sententia, qui num. 16. *Commentarii sic censent de eo: Noster hic scriptor videtur libenter magna exiguo tempore innexuisse, si non ipse rebus gestis, quas acceperat, tempora etiam affinxerit pro suo ingenio. Et nota p. in caput I. Actorum de discursibus, quos numero 5. S. Honesto idem tribuit, ajunt, vix se dubitare, quin omnes relati discursus auctoris meditatione fuerint compositi.* Hujusmodi Bollandianorum censura de Actis a Bosqueto editis non videbitur, puto, nimis severa iis, qui præfata Acta vacuo animo legant; quapropter non satis intelligo, cur potius standum sit illis, quam Ecclesiæ Pompelonensis traditioni, ut ut desitutæ confirmatione ante Petrum Pompelonensem seculo duodecimo Episcopum.

6. Cave vero existimes, me velle concedere, Bosqueti Acta denegare S. Firmino Episcopatum Pompelonis: etenim aliud est obscurari rem quampiam, aliud ipsam negari; primum quidem in Actis fit, cum auctor ex meditatione sua discursus componens, libenter magna exiguo tempore innectit, et pro suo ingenio tempora rebus gestis affingit: alterum ab eo non fieri, dum historici partes melius exequitur, jam nunc videbimus. Exponens nimirum ipse occasionem consecrationis S. Firmini in Episcopum, ait num. VIII. *Honestum senectutis tempore aggravatum, prædicandi per vicus et suburbanæ onus commisisse Firmino nondum clerico; et hunc, quamvis in juvenutis floribus existentem, cum multa gravitate, et constantia populum ad Christiana religionis studium provocas-*

se.

se. Tum addit: *Et dum hoc pater, et magister ejus Honestus consideraret.... direxit eum ad Honoratum Tolosana urbis Episcopum, ut eum in Episcopatus gradu, et gratia, impositis manibus, constitueret. Quem ut vidit Honoratus Episcopus, cognovit in eo, quia ad hoc prædestinatus, et electus esset a Domino, ut verbum vitæ, et salutis gratiam in gentibus prædicaret, et ordinavit eum Episcopum, ut nomen Domini in Occidentis partibus prædicaret.* Nemo, puto, negabit, sanctum senem Honestum voluisse, Firminum Episcopum consecrari, ut Pompelonensis Ecclesiæ onus, quod ferre ipse diutius præsenio jam non valebat, in robustos discipuli sui humeros rejiceret vel ex parte, vel potius omnino, quandoquidem ex parte ante aliquot annos jam illud rejecerat. Nec item credendum est, tam inhumane S. Honoratum cum S. Honesto egisse, ut non modo æquissimum desiderium ejus fraudaverit, sed privare etiam ipsum voluerit strenuissimo adjutore, quem in Firmino, tametsi nondum sacræ militiæ adscripto, optimus senex ad illud tempus habuerat. Et vero S. Honoratus Firminum Episcopum consecravit, ut nomen Domini in Occidentis partibus prædicaret, utique Pompelone, et in circumposita regione, quæ, ad Tolosam comparata, longe recedit in Occidentem: nam si de prædicatione S. Firmini in Galliis intelligenda hæc essent, dicendum potius fuisset in *Orientis, vel Aquilonis partibus*; etenim Galliarum urbes, in quibus Firminus prædicasse fertur, omnes ad Aquilonem Tolosæ sunt; et e quinque, quarum nomina indicantur, tres præcipuæ, id est, Arvernium, Bellovacum, atque Ambiani ad Orientem vergunt. Aginnum quidem paululum, plusculumque Andegavum ad Occidentem declinant; sed utraque septentrionalis potius quam occidentalis Tolosæ vulgo meritoque habentur.

7. At vero, ajunt Bollandiani, *prædicare in Occidentis partibus non est prædicare in urbe sola Pompelonensi.* Sit ita sane; sed quis nostrum unquam dixit, Firminum non extulisse pedem e Pompelone pro trahenda ad Christum late diffusa Vasconum gente? Certe Honestus, tametsi merus Presbyter, seu Parochus Pompelonensis Ecclesiæ, sollicitus erat de suburbanis, et vicis, quo Firminum adhuc laicum prædicatum mittebat. Quin hodieque, esto operariorum copia sit,

cir.

circiter centum millia passuum ab Oriente in Occidentem, et ab Austro in Aquilonem Pompelonensis Diocesis excurrit; habetque mille centum quinquaginta sex baptisteria, teste ipsius Episcopo D. Prudentio de Sandoval in *Catalogo Pompelonensium Episcoporum*. Instant tamen Bollandiani, dicentes, non fuisse ad prædicandum *in gentibus* necessarium Episcopatum Pompelonensem, sed magis Episcopatum Apostolicum, nulli loco affixum. Respondeo, non fuisse quidem illum ea de causa necessarium; fuisse tamen propter multitudinem Christianorum, quos SS. Saturninus et Honestus congregaverant, quosque grandi senio jam aggravatus Honestus regere diutius nequibat: nec vero impedimento futurum fuisse Firmino Pompelonensem Episcopatum, quominus *in gentibus*, Christianæ plebi admixtis, vel in vicinis provinciis degentibus, prædicaret, pergeretque *in dispersionem gentium*, quemadmodum S. Saturninus, tametsi Tolosæ Episcopus, Pompelonem venit. Sed cur Firminus, Pompelonem ad Honestum reversus, non dixit, curam Pompelonensis Ecclesiæ sibi mandatam ab Honorato; indicavit vero præceptum annuntiandi Christum *in dispersionem gentium*? Existimo, quia Sancti ab otiosis verbis abstinere; itaque Firminus tacuit, quod vel pueri Pompelone noverant, dixitque id solum, de quo docendus Honestus erat. Et hæc etiam causa esse potuit, cur Pompelonensis prædicationis Firmini nulla mentio fiat in Actis: etenim quis dubitet, an Sanctus quivis prædicaverit in Ecclesia sibi commissa? Verum Firminus perrexit in Gallias, idque *non post multum temporis* a sua consecratione. Jam dixi, eos ipsos, qui hæc urgent, credere, scriptorem Actorum *libenter magna exiguo tempore innexuisse, et rebus gestis tempora affinxisse pro suo ingenio*. Quare nihil attinebat exigere eosdem a nobis, ut fidem habeamus homini, quem fide indignum ipsi censent. Non quidem negamus, perrexisse post Firminum in Gallias, deserta sua Ecclesia: sed tantumdem fecerat Saturninus Pompelonem veniens, tantumdemque fecere, in initio præsertim Ecclesiæ, innumeri Episcopi sanctissimi. Parum vero refert, quod indicare minus possumus modum, quo Ecclesiis suis interim iidem consuluerunt; nam huc etiam trahi potest illud apud Jureconsultos vulgatum:

tum: *Non omnium, quæ a majoribus constituta sunt, ratio reddi potest*: id modo sufficit, quod, rite sancteque ipsos fecisse, non dubitemus. Ad reliqua argumenta, quæ minus præcipua sunt, mox respondebimus, nunc ad Acta revertendum est, ut Pompelonensem S. Firmini Episcopatum in ipsis latentem detegamus.

8. Nulli magis idonei testes pro causa de qua agimus, quam tres SS. Honestus, Honoratus, ac Firminus: et quidem pro nobis stare duos primos, alterum satagentem rejicere in Firminum Pompelonensis Ecclesiæ procuracionem, alterum injungentem huic ipsi, ut *in Occidentis partibus*, id est, *in Hispania* prædicaret, vidimus paulo ante; restat jam, ut ex ipsorum Bosqueti Actorum fide faventem etiam Firminum sistamus. Audiamus iterum Acta de Firmino, post consecrationem Pompelonem reverso, disserentia. Sic itaque ajunt num. X. „ Deinde non post multum temporis, sanctus antistes ille præfatus Firminus revolvens, et considerans Scripturarum divinarum præconium, et evangelicæ veritatis doctrinam in cordis sui gremio reponens, ubi dicit: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Et iterum, Nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini, non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Et alio loco, quam speciosi pedes evangelizantium bona virtutum, et alia multa, quæ in divinis Scripturis reperiuntur de perfectione annuntiandi Filii Dei Evangelium. Igitur trigesimo primo fere anno ætatis suæ, relinquens patriam, genitorem, fratrem, et sororem, et dulcissimam suorum agnitionem, perrexit in partes Galliarum etc.* „ Quæ hic Acta dicunt de relicta Pompelone a Firmino *non post multum temporis* a consecratione sua, et *trigesimo primo fere anno ætatis suæ*, tamquam nullius auctoritatis propter scriptoris indolem *magna exiguo tempore innectentis, et rebus gestis tempora pro ingenio suo affingentis*, ut Bollandiani recte censent, negligenda omnino sunt. Quod autem de arrepta a Firmino dicunt Apostolica prædicatione ex divinarum Scripturarum meditatione, ut admodum verisimile, et sine testimonio ullo credibile, admitti potest, ac debet.

9. At vero hæc ratio, qua permotus Firminus dicitur ad prædicandum, relicta Pompelone, gentibus Evangelium, non bene cohæret cum ejuscemodi præcepto ipsi, ut adversarii nostri volunt, a S. Honorato imposito. Etenim si hac de causa, et sub hac conditione Episcopus consecratus fuit, tenebatur omnino id facere; neque poterat jam tamquam quid indifferens, et ad majorem dumtaxat perfectionem pertinens, reputare munus Apostolicum annuntiandi gentibus Evangelium. Itaque non erat opus Firmino deliberatione super re, qua obstringebatur graviter; neque, quasi oblitus præcepti, indigebat proluxa meditatione super perfectione annuntiandi gentibus Evangelium; sed parare sese quamprimum debebat ad exequendum munus suum. Hæc probant, ni fallor, Firminum de arripiendo Apostolico munere prolixè deliberantem, intellexisse melius S. Honorati monita, quam eos, qui, incubuisse ipsi gravem de ea re obligationem, nunc putant. Est etiam in relatis Actorum verbis animadversione dignum, perhumaniter ante profectionem suam valedicere Firminum *patri, fratri, sorori, et dulcissima suorum agnitioni, oblivi- sci vero Patri sui in Christo, dilectissimique magistri Honesti, cui soli paulo ante retulerat, quæ in itinere, et Tolosæ apud Honoratum sibi evenerant. Subiratusne optimus senex erat, quod, levamen quærens, gravius onus invenerit, et Firmino posthac privandus omnino esset, quasi servus malus et piger, cui aufertur, quod habet? Æqua quidem lamentatio senis videri posset; at non puto, sanctissimos viros ad inimicitias prosiluisse. Itaque reversus in Gallias Honestus fuerit, aut mortem oppetierit, cum Firminus Pompelonem reliquit. Sed quorsum Honestus gregem suum desereret, quando ob Firmini discessum necessaria magis ejus præsentia foret? Quomodo etiam Firminus tam cito recederet a Christiana plebe, quæ morte, discessuve Honesti orbata pastore fuisset? In hujusmodi angustias lectores conjicit Bosqueti Actorum scriptor, cum *discursus pro ingenio suo fingit, et intra breve tempus omnia vult concludere. Verumtamen fatendum est, non sic obscurasse ipsum veritatem, ut internosci hæc nequeat a perspicaci lectore. Unde infero, Apostolicum S. Firmini Episcopatum ea solum Actorum parte inniti, quæ**

ex

ex adversariorum nostrorum sententia nullam vel exiguam fidem meretur; Pompelonensem contra non obscure translucere ex locis nulli exceptioni obnoxiiis.

10. Sed quid est, Bollandiani ajunt, quod Pompelonis nullus Episcopus apparet ante Concilium tertium Toletanum, si jam inde a S. Firmino Episcopum ipsa habuit? Ejusmodi quæsitis sæpissime responderunt, qui Episcoporum catalogos scripserunt; frequentia enim, et immania interregna occurrunt non modo in antiquioris temporis historia, sed in altera etiam mediæ ævi. Quamvis autem trivialia exempla sint, et eruditis probe nota, propter homines tamen eruditionis minime trivialis, qui illorum obliti videri queunt, nonnulla indicabo, non tam sollicitius quæsitæ, quam ultro se se offerentia ex Hispania, Gallia, Africa, et Italia. Legionensis Ecclesia ex S. Cypriani epistola 68. nota est: notus etiam est Episcopus ejus Decentius ex Illiberitano, cui circa annum 300. interfuit, Concilio. Attamen ab hoc tempore ad usque Alfonso Castum seculo octavo et nono regnantem nullus innotescit Legionensis Episcopus; esto interim habita sint tot Concilia Toleti præsertim, ex quibus quamplurimarum Ecclesiarum Episcopos discimus. Accitanæ Ecclesiæ antiquiores tres Episcopi, quos novimus, sunt S. Torquatus Apostolorum Discipulus, Felix Illiberitani Concilii præses, et Liliolus, qui anno 589. Toletano III. Concilio interfuit. Duos vero solum Abulenses novimus usque ad annum 610., scilicet S. Secundum septemvirum Apostolicum Hispaniarum, et Justinianum, qui Gundemari decreto anno 610. subscripsit. Nec vero defuisse interim Abulæ Episcopos, Priscillianus pseudoepiscopus ejus satis probat. Si totum primum Gallia Christiana novissimæ editionis, in quo vicini Pompelonensi Episcopatus recensentur, consulamus, inveniemus Episcopis vacuas Ecclesias, Ausciensem ab anno 525. ad 879. Aquensem a 584. ad 898. et Lactorensem a 549. ad 990. Tametsi ex S. Augustino, aliisque auctoribus, sed præsertim ex Carthaginensi collatione anno 411. inter Catholicos et Donatistas habita, innumeros Africanos Episcopos novimus, Gazaulanum tamen nullum a Salviano, qui in Concilio Carthaginensi sub S. Cypriano num. 76. sententiam protulit, ad Augentinum,

T T

tium, qui anno 484. Carthaginensi conventui ab Hunerico indicto interfuit, invenio apud Ruinartium *Notitiam Ecclesie Africanae* in historia persecutionis Vandalicæ illustrantem. Ughellus tom. IX. *Italia sacra* Bovensem Episcopum primum nominat Luminosum, qui Concilio Lateranensi sub Martino Papa F. anno 649. affuit; secundum Blasium, qui anno 1341. obiit. Inter Gallipolitanos quintum dicit Melchisedechum Nicæno II. Concilio anno 787. subscribentem; sextum Gregorium anno 1325. mortuum. Hieracensem primum appellat Basilium ex Coelestini Papæ et Chalcedonensis historia notum, a quo ad Leontium per septingentos annos Episcoporum nomina interiisse queritur. Inter Scyllacenses vero quarto loco numerat Paulum, qui Concilio sub Agathone Papa anno 680. habito præsens fuit, post quem Episcoporum nomina per quadringentos annos desiderari dicit.

11. Verum exemplorum satis superque est: neque immorabor in colligendis aliorum responsis ad argumentum, quod, utpote negativum, nihil probat; sed magis quæram ipse etiam: Unde fit, ut cum jam ab usque seculo tertio Hispania repleta fuerit Episcopis (quod quidem lib. III. cap. V. ex S. Cypriano, et Concilio Elliberitano luculenter probatum est) pauci tamen in Historia nostra ante laudatum Toletanum III. Concilium apparent? Quomodo in hoc ipso Concilio derepente tot Episcopi erumpunt? Gothosne, qui ad usque præfati Concilii tempus Arianam hæresim professi fuerant, de creandis quinto et sexto seculo Episcopis Catholicis in Hispania sollicitos fuisse dicemus? Si autem Episcoporum illius Concilii series ex quarto seculo certe quidem veniebat, cur non veniret ex tertio, quando plurimos in Hispania fuisse Episcopos novimus? Quidni etiam antiquior esset, cum sub Tertulliani tempus *Hispaniarum omnes termini* Jesu Christi nomen venerentur; cumque adeo antiqua Hispana Ecclesia videretur S. Irenæo, ut præ ipsa novitiam Valentiniarum Synagogam, ante seculi secundi medium exortam, putaret? Non hæc ajo, quod Episcopatus omnes, in Toletano Concilio tertio indicatos, originem traxisse velim ex primo, secundo, tertiove seculo: credibile valde est, nonnullos ex illis ortos fuisse pacato eo centum circiter annorum intervallo,

10, quod inter Constantinum M. et Gothorum ingressum in Hispaniam fuit. Id solum contendo, atque confirmo, præfatos Episcopatus, tametsi aliunde ignotos, antiquitatis præjudicio gaudere; etenim si mirabilis est ipsorum ad usque illud tempus oblivio in Historia nostra, multo mirabilior videri posset eorundem creatio quinto, vel sexto seculo sub Arianis Principibus: nisi si forte quis velit, Hispanicarum Ecclesiarum maximam partem origine Arianam dicere. Ceterum Pompelonensis Ecclesie antiquitas in tuto est, neque conjecturalibus argumentis eget, habens pro se non modo traditionem antiquam, sed Riccardiana etiam Acta S. Firmini, quæ inter sincera, et legitima accensenda esse, supra probatum fuit.

12. Non equidem nego, Pompelonensem Ecclesiam in Breviariis seculi XIV. et XV. traditionis de S. Firmino Episcopo suo primo oblitam videri posse. Sed hujusmodi argumentum, tametsi ad speciem grave, infirmissimum mihi est; esto enim allegata Breviaria non viderim, perpendens tamen illorum temporum consuetudinem in disponendis Sanctorum Officiis, facile mihi persuadeo, Ambianensia S. Firmini Acta, a Bosqueto deinde edita, vel de verbo ad verbum in præfatis Breviariis exscribi, vel ipsorum quaecumque compendium in eis representari; itaque quod illic deerat, hic quoque deesse necesse fuit. Et quidem vanam non esse conjecturam meam, in Bollandiano Commentario num. 99. et seqq. lego. Tantumdem fortasse in Ambianorum antiquis Breviariis videre Bollandianis licuit, quin propterea Ambianorum Episcopum S. Firminum fuisse ipsi negent. Videsis, quæ de Breviariis Ambianensibus idem ajunt numero 7. *Commentarii prævisi*. Sed quænam negativi argumenti vis esse potest contra positivum antiquius, quod in Petri Pompelonensis Episcopi Decreto supra relato, habemus? Admonent quidem nos Bollandiani, timide mentionem in eo fieri de Pompelonensi S. Firmini Episcopatu: sed vereor, ne timide magis de hoc eruditi viri nos moneant; non enim ignorant, eodem modo loqui ibi Petrum Episcopum de patria Parentum S. Firmini, quam Pompelonem fuisse, haud ille, arbitror, dubitabat. Decreti verba hæc sunt: *Hoc autem ideo decrevimus* (ait Petrus,

trus, jubens, solemnus in posterum celebrari festum S. Firmini) quod prædictus Martyr de Pompelonensibus parentibus adstruitur natus, et etiam in Episcopum ejusdem civitatis asseritur ordinatus. Hic nimirum scribendi modus placebat antiquis, qui in rebus sibi exploratissimis utebantur verbis adstruitur, asseritur, videtur, et ejusmodi aliis, nec vero res nimis obvia exemplis confirmanda est; vel si exempla omnino vis, habes unum, ut modo dicebam, in ipso Decreto Petri, alterum num. XII. Actorum Riccardianorum, tertium denique num. XIX. Actorum S. Firmini, quæ post Commentarium Bollandianorum leguntur.

## §. I I.

*Acta Riccardiana luculenter probant, S. Firminum Pompelonis Episcopum fuisse.*

13. Satis me demonstrasse puto eruditorum criticorum argumenta contra S. Firmini Episcopatum Pompelonensem, ut ut ad speciem gravia, si attentius considerentur, prorsus infirma esse: ac bene illos fecisse, qui acceptam a Majoribus traditionem deserendam sibi non esse crediderunt, vel cum nihil omnino noverant de manifesto testimonio, quod nunc exponemus. Ex Riccardianis Actis id petitur, quorum auctoritas omni est, ut alibi diximus, exceptione major; ideoque tametsi certissimum foret, Bosqueti Acta denegare S. Firmino Episcopatum Pompelonensem, contemnenda tamen ipsa essent, stantibus contra Riccardianis. Quamvis autem integra hæc legantur lib. I. cap. VI.; hic tamen quasi in sede propria repetenda sunt quæ ad pervestigandum S. Firmini Episcopatum pertinent. Sic itaque ajunt num. XI. et XII.

14. „Ut in omnibus Deo fructus sui primitiva redderet (Firmus) primogenitum, Firminum nomine, fidei Christianæ documentis erudiendum Honesto tradidit, qui prius de sacri baptismatis fonte suscipiens, eum Christo progeniuit. Hic itaque morum honestate magis magisque succrescens, atque in divinæ professionis amore fervescens,

„Ma-

„Magistri factus est auditor egregius. Nam ut postea manifeste et evidenter enituit, ea, quæ de puro fonte hauserat, sincero vase fideliter recondidit. Erat enim ei circa Ecclesiastica limina frequens et assidua commoratio, et in præceptis divinæ legis insatiabilis, et infatigata meditatio, atque in persolvendis Deo laudibus devotus semper existens, se ipsum omnibus bonorum operum exhibebat exemplum. Quem utique Honestus, multo jam gravatus senio, cum omni cerneret vitæ, ac morum honestate perspicuum, paterno gratulabatur gaudio, et per loca, quæ longo interjacente spatio, visere non poterat, ei exhortationis officia commiserat; ipse autem Magistri vices exequabatur cum summa diligentia, infirmantium imbecillitates consolidans, consolidatos ad meliora provocans, incredulos quosque conclusionibus rationum necessariis revincendo confutabat, et blandis prædicationis suæ stimulis ad fidem convertendos incitabat. Talium siquidem Firminus virtutum ornatus munibus, cum Deo gratificaretur, et populis, et Honestus annorum diuturnitate confectus, tanti laboris oneris succumberet, eum, cui jam divini verbi vices tradiderat, ad Sacerdotii culmen sublimandum instituit. Honorato igitur, Tolosanz Ecclesiaz jam administranti sacerdotium, Firminum ordinandum transmisit, et (quod) fideliter poposcerat, efficaciter obtinuit. Ubi enim rei notitia ad Honoratum delata pervenit, Ecclesiaz in proliis foecunditate congaudens, Firminum veneranter exceptum, Magistri dictante sententia, ad Episcopatus gradum sublimando provexit. Quibus omnibus rite completis, in his, quæ agenda erant, diligenter erudiens, messem monstrabat esse quammaximam, sed nullam operariorum esse copiam. Unde ut divinæ traditionis regula stabilita firmaretur, oporteret eum multa pati pro Christi nomine. Cujus enim militantis virtus inexperta coronatur, nisi legitime certaverit? Ad hæc suscepta Firminus benedictionis gratia, Honesti præceptoris sui præsentiam expetiit, et talenti dona, quæ perceperat, non reponens in sudario, ad usuram fideliter exposuit.

15. „Verum ubi regionis illius populos Christianæ fidei jugo colla subdidisse, et structuram alienam super funda-

„men-



menta, quæ jecerat, intellexit, non posse supercrescere, in re fore arbitrans reliquum vitæ tempus non commodare otio, plebem jam Deo dicatam deseruit, et Aginnum, ubi atrocius gentilium fervebat impietas, Dei athleta Firminus adiit etc. Hactenus Riccardiana Acta de causis consecrationis Firmini in Episcopum, de navata ab ipso opera in officio suscepto, et de occasione, ob quam ivit in Gallias, disserentia. Nec vero commentario egent nitidissima verba; hujus itaque loco pauca ex ipsis repeto. *Honestus, multo jam gravatus senio, ... per loca, quæ longo interjacente spatio, visere non poterat, Firmino nondum clerico, exhortationis officia commiserat.* Is autem virtutum ornatus muneribus, cum Deo gratificaretur, et populis, et Honestus annorum diuturnitate confectus, tanti laboris oneri succumberet, eum, cui jam divini verbi vices tradiderat, ad Sacerdotii culmen sublimandum instituit. Honorato igitur, Tolosana Ecclesia jam administranti Sacerdotium, Firminum ordinandum transmisit. Habes causas ordinationis Firmini in Episcopum; neque negabis, procuratam hanc ab Honesto in gratiam Ecclesiæ Pompelonensis; nam qui ~~annorum diuturnitate confectus~~ tanti laboris oneri succumbebat, retenturus potius esset Firminum, cujus, tametsi laici, utilissima ei opera erat, quam eundem missurus, ut, Episcopali caractere insignitus, longinquis populis prædicaret. Ergo misit Tolosam Honestus Firminum, ut in Pompelonis Episcopum ordinaretur ab Honorato; ab hoc autem, quod fideliter poposcerat, efficaciter obtinuit; nam Ecclesia in prolis fecunditate congaudens Honoratus, Firminum veneranter exceptum, Magistri Honesti dictante sententia, ad Episcopatus gradum sublimando promovit. Tum eundem instruas opportunis quidem pro quolibet Episcopo monitis, sed pro illis maxime, qui, servientibus gentilium Imperatorum persecutionibus, prædicaturi erant, Pompelonem ad Honestum transmisit.

16. Audi vero nunc, quam strenue operam Pompelone, atque in universa Vasconia, Firminus Episcopus navavit; et quamobrem, deserta Pompelonensi sua Ecclesia, in Gallias abiit. *Suscepta Firminus benedictionis gratia ab Honorato, Honesti præceptoris sui præsentiam, expetit, et talenti dona, quæ*

*perceperat, non reponens in sudario, ad usuram fideliter exposuit. Verum ubi regionis illius populos Christiana fidei jago colla subdidisse, et structuram alienam super fundamenta, quæ jecerat, intellexit, non posse supercrescere, in re fore arbitrans, reliquum vita tempus non commodare otio, plebem jam Deo dicatam deseruit, et Aginnum, ubi atrocias gentilium fervebat impietas, Dei athleta Firminus adiit.* Non poterat vel navatæ ab Episcopo operæ testimonium illustrius, vel deserti gregis probabilius causa afferri. Et vero in exposita narratione omnia sibi constant, atque apte respondent. Quippe senex Honestus sollicitus est pro Ecclesia, quam excoluerat triginta annis, ipsamque committi Firmino desiderat; votis ejus Honoratus libenter annuit; moxque Firminus curam illius suscipit. Cessat hic difficultas, quæ ex deserta ab Episcopo Ecclesia sua moveri possset; nam tum demum deseritur, cum propter altas radices, quas ipsa in Christiana religione egerat, Episcopi præsentia necessaria non erat. Honorati alloquutio, quæ in Bosqueti Actis ad Episcopum Apostolicum directa videtur, plana hic est, et pro novello quovis Episcopo opportuna. Ad hæc comprobatur Firmini prædicatio in Occidentis partibus, siquidem id ipsi Honoratus injunxerat, ut Acta Bosqueti narrant. Apparet postremo causa, cur Firminus iturus in Gallias, Honestum, quem unice diligebat, valere non jusserit, ut ex iisdem Actis præcedenti sectione colligebamus; etenim diu Pompelone mansisse Firminus dicendus est, qui tot, tanta, tamque difficilia ibidem fecit: quare senex Honestus, si mortem interim non oppetiit, regredi eo, unde venerat, facile potuit, utpote minus jam necessarius Ecclesiæ, quæ Firminum Episcopum habebat.

17. Cum igitur Riccardiana Acta sincera esse, atque antiquiora translatione S. Saturnini, anno circiter quadringentesimo facta, affatim libro primo probaverimus; quin ipsis, Pompelonensem S. Firmini Episcopatum luculenter testantibus, fides habenda sit, nemo posthac dubitabit, opinor. Quamdiu vero ipsum tenuerit; quomodo ab Ecclesia sua discedens, eidem caverit; an denique ad extremum Ambianorum Episcopus fuerit, res sunt, quas ignorare expedit magis, quam hariolando vestigare. Nobis satis est ostendisse, verum ac pro-

proprium Pompelonis Episcopum fuisse S. Firminum; qui quidem discessurus ab ea numquam fuisset, si aut minori zelo commissam sibi provinciam administrasset; aut minus docilis ipsa, Christi se iugo subdere renuisset. Quapropter, quod Episcoporum, Ecclesiarumque gloriam obscurare alias solet, id enimvero S. Firmini Episcopi, ac Sanctæ Pompelonensis Ecclesiæ eximia prorsus, et cum paucis communis laus est.

### CONCLUSIO TOTIUS OPERIS.

18. **E**xpedita causa Episcopatus S. Firmini, ad expediendam alteram de ipsius ætate veniendum esset, nisi libro id primo jam fecissemus, ubi S. Saturninum secundum Apostolos floruisse multis ostendimus. Si enim vergente in finem primo æræ Christianæ seculo statuendus est Saturninus, exoriente secundo statuatur oportet Firminus, Firmi a Saturnino baptizati filius. Nec vero contrarios Bollandianos hic haberemus, qui sub Firmi baptismi tempus natum Firminum putant, si non ipsi pro certo ponerent num. II. *Commentarii de S. Firmino*, amoveri multum non posse S. Saturninum a medio seculi tertii, neque transferri ad aliud seculum, ut ex *Gregorio Turonensi*, et *probatas S. Saturnini Actis facile*, ajunt, *probari poterit*. Sed unde suam facile probari posse sententiam, Bollandiani putabant, inde nos manifestam, ni fallor, nostram fecimus; neque solum ex *S. Gregorio Turonensi*, et *probatas S. Saturnini Actis*, sed etiam ex anonymo Cassanatensi, et S. Firmini Actis, quæ ipsimet edunt. Ad hæc argumenta dissolvimus, quæ in *Commentario ad vitam S. Dionysii Parisiensis Episcopi* ex Sulpicio Severo, et epistola Septem Episcoporum ad S. Radegundem Reginam pro sua opinione iidem afferunt. Decepit nimirum eruditissimos Joannem Stillingum, et Cornelium Byeum, auctores *Commentariorum de SS. Firmino, et Dionysio*, epocha Decii et Grati Coss. qua in Actis Ruinartianis S. Saturnini, ceteroqui probandis, adventus ejus signatur; at vero peccatum

tam hic fuisse non quidem ab Auctore primo Actorum, sed a nonnullis exscriptoribus ipsorum, tum indicatis modo rationibus, tum maxime Riccardianis omnium antiquissimis Actis, et Compendio Stroziano-mediceo in lucem nunc primum emissis, satis, opinor, certum fecimus.

19. Erit fortasse, qui chronologicam quæstionem superflua cum diligentia tractatam putet; sed meminisse hunc oportet, quod et alibi dixi, gravissimam alteram de celeri propagatione Evangelii in universo terrarum orbe, quam pertractandam suscipiebamus, minus commode, nisi explicata plene illa, definitum iri; quandoquidem recentiores critici pro certo ponentes, advenisse S. Saturninum Tolosam Decio et Grato Coss., seu anno 250., lentius opinione disseminatam Evangelium fuisse contendunt, eo quod in probatis Sancti ejusdem Actis pauci tunc fuisse Christiani dicantur in Galliis, quæ tamen ab scaturigine Evangelicæ prædicationis minus, quam Occidentis pleræque regiones, distabant. Detegenda itaque fuit præposteræ consequentiæ occasio, ut S. Saturnino in primum seculum postliminio recepto, gravissima multiplicaque testimonia de mirabili divulgatione Evangelii, quæ sequentibus libris exponenda erant, iniquo præjudicio ne gravarentur. Hæc causa fuit, cur librum integrum tribuerimus quæstioni, ex cujus prava definitione recentiores critici passim obscurant Occidentalium præsertim Ecclesiarum origines.

20. Amoto igitur maximo, ac fere unico impedimento, quo retineri lector posset, ne nostram de celeri divulgatione Evangelii in universo mundo sententiam omnino probaret, facile, ut spero, jam nunc ipsam sibi persuaserit, quam et Spiritus Sancti oraculis maxime consentaneam, et unanimi Sanctorum Patrum testimonio videt innixam. Ajunt quidem eruditi critici, Scripturæ sacræ, Patrumque verba, utpote generalia et indefinita, parum vel nihil probare. Sed neque generalia esse pleraque omnia jam vidimus, neque si ejusmodi essent, liceret propterea nobis inusitatam, atque affinem mendacio hyperbolem ipsis tribuere. Et vero quidni, Actorum S. Saturnini scriptorem, generalibus ipsam etiam verbis utentem, hyperbolice locutum fuisse, magis ajunt?

Cur anonymus quarti vel quinti seculi auctor, *ex fidei*, si superis placet, *relatione* scribens, præferatur Sanctis Clementi Papæ, Hermæ, Ignatio, Justino, Polycarpo, Jrenzo, Clementi Alexandrino, Cypriano, Serapioni Antiocheno, necnon doctissimis viris Bardesanæ, Tertulliano, Minutio Felici, Origeni, atque aliis multis, quorum exscripsi verba a capite secundo ad quintum? Neque solum numero, sanctitate, et doctrina, sed etiam loco, atateque testium vincimus; etenim laudati modo Patres non uno eodemque loco, sed Romæ, in Gallia, in Africa, in Asia, et in Ægypto scribentes, oculatum omnes testimonium tulerunt de ingenti multitudine Christianorum, qui ubique terrarum erant tum primo secundove seculo, tum ante Decii imperium, seu tertii medium. Esto igitur sub hoc tempus collocasset S. Saturninum Actorum ejus scriptor, errasse tamen ipse credendus esset vel in designatione temporis, vel in iis, quæ de exiguo Christianorum in Gallis numero sub S. Saturnini adventum dicit. Verum non ipsum ego insimulabo erroris, sed illos potius, qui reconditi ac peregrini aliquid afferre volentes, epocham Decii et Grati Coss. affinxerunt Actis.

21. Et hæc quidem toto libro secundo late persequimur: tertio vero difficiliorem viam ingredimur, unde propter penuriam monumentorum exitum sperare vix licuit. At nihil tentandum non fuerat, quo celeris propagatio Evangelii in universo mundo, ex qua Sancti Patres veritatem Christianæ Religionis libentissime probant, in tuto collocaretur. Perlustramus itaque libro tertio præcipuas orbis terræ provincias; et si minus licet in omnibus frequentes invenire Christianos, at ipsarum tamen antiquissimas Christianas origines ubique detegimus: Præmissis igitur Syria, Asia minori, Græcia, et Italia, in quibus Jesum Christum, Apostolosve prædicasse; Scriptura Sacra docet, primum de Ægypto, Lybia, et Æthiopia; tum de Arabia, Armenia, Osdroene, Mesopotamia, et Chaldæa; post de Transtigritanis regionibus, Persarum, Medorum, et Parthorum dominatione nobilibus; denique ad extremum de India, Serica, atque Scythia agimus, et in omnibus, quas uno Orientis nomine comprehendimus, annuntiatum fuisse ab Apostolis, horumve Discipulis, et

Suc-

Successoribus Evangelium, ex antiquis, ac fide dignis testimoniis probamus; imo in earum plurimis ingentem Christianorum numerum jam inde a primo vel secundo seculo fuisse ostendimus.

22. Ab Oriente ad Occidentem revertimur, et Illyrici latissime sumpti, Germaniæ, Galliæ, Britannia, Africa, Hispaniæ, utque uno verbo dicam, Occidentis æque, atque Orientis, antiquam probamus Christianam originem. In Gallia, Hispaniaque diutius immoramur, etenim in utraque prædicavit S. Saturninus, cujus Actis eruditi critici obruere nos velle videntur. Demonstrandum itaque fuit, retrahendum omnino esse in primum seculum Saturninum, si quæ de parvo Gallorum, Hispanorumque Christianorum numero sub ejus adventum Ruinartiana, Riccardianaque Acta referunt, salva esse velimus. Altera longioris nostræ utrobique moræ causa fuit, quod, quæ alibi inter eruditos dumtaxat de propagati Evangelii modo controversia viget, ea quasi jam pridem judicata habetur in Gallia, criticorum feracissima scilicet terra, in cujus novis Breviariis SS. Saturninus, Dionysius, et ceteri fere Ecclesiarum ejus parentes in finem tertii seculi amandantur. Contraria omnia nostris hominibus, et Ecclesiis placuerunt, qui de accepta per Jacobum, et Paulum Apostolos, perque plures Apostolorum Discipulos institutione Christiana meritissime gloriantur; neque vero illorum censuras, atque argumenta valde curant, qui consultius, ut certe quidem poterant, asserturi fuissent suæ genti non absimilem gloriam.

23. Habes, Lector, summam operis nostri, in quo id maxime cavi, ne commenticiis, incertisve testimoniis optimam causam corrumperem. Laudo equidem libro tertio nonnulla, quæ pro re, de qua disceptatur, paululum recentiora videri possunt; sed in antiquiorum monumentorum tanta penuria hæc ipsa prudentes homines passim probant, quando neque prorsus recentia sunt, neque auctores non bonos habent. Tametsi in causa nostra confidentius id licuit fieri, etenim tum denum afferimus ista, posteaquam libro secundo ex coævis innumeris testibus ipsam in tuto posuimus; imo a recentioribus fere abstinemus, cum antiquius quodpiam

v v 2

præ-

præmittere non valemus. Faxit ille, qui pro salute humani generis de cœlo descendens, in omnem terram apostolicæ vocis sonum exire mox voluit, ut eadem resonet inter illas gentes, quæ, quia mala earum opera erant, dilexerunt magis tenebras, quam lucem.



## INDEX.

## NOMINUM ET RERUM NOTABILIUM.

- A**bgarus Rex Edessæ baptizatur a Thaddæo discipulo Christi. pag. 123.
- Achaia Apostolorum prædicatione illustrata. 132.
- Acherius (Lucas) rejectus 172. et seqq.
- Ado Vienn. Ep. S. Trophimum Pauli discipulum Arelatensem Ep. agnoscit. 146.
- Æthiopia Candacis Regina Eunucho Apostolum habuit. 120.
- Africa; non constat Apostolos in ea prædicasse. 166. cito annuntiatum ibi Christum, probat prodigiosus numerus Episcoporum, qui tertio sec. in ipsa erant. Ibid. Christiani in interiori Africa erant secundo sec. 169. gentiles quoque erant quinto sec. 71.
- Agannum alias extra, alias intra Galliam posita. 44. Magno cum operæ pretio laboravit in ea S. Firminus. 36.
- Alava (Franciscus de) insignem S. Firmini Reliquiam obtinuit ab Ambian. Ep. 189.
- Alexander VII. Navarra Patronos constituens SS. Firminum et Franciscum Xaverium ingratiam litem de patronatu dirimit. 193.
- Ambiani Belgicæ urbs, ubi Martyr occubuit S. Firminus. 36. Quo jure hunc Sanctum Episcopum suum dicat 45. Magna in ipsum devotione fertur 242. et seqq. possidet Corpus ejus 272. et seqq.
- America, incertum, an antiquitus Evangelicam lucem acceperit. 70., et 197.
- Amrus mira narrat de Christianis MM. Persiæ. 127.
- Anasgi olim Christiani. 130.
- Andegavum Gallicæ urbs. 45. Quindecim menses prædicavit in ea S. Firminus. 43. Jam tum Episcopum habebat. 306.
- Anonymus Cassanatensis Apostolorum discipulum S. Saturninum vocat. 14.
- Anonymus Ambianensis impugnat. 226.
- Anonymus Eusebii Ecclesiam ubique diffusam dicit. 87.
- Antichristum appropinquare credebant multi PP., etsi non ignorabant, prius esse prædicandum ubique Evangelium. 92.
- Aquitania Gallicæ provincia S. Firmini, ac fortasse S. Saturnini prædicatione illustrata. 36. et 155.
- Arabia, unde Magi adoratum Christum venisse dicuntur, cito in ipsum credidit. 121.
- Ararath mons in Armenia Martyrum numero illustris. 125.
- Arelatum Christianæ fidei in Galliis scaturigo. 137. De primatu cum aliis urbibus contendit. Ibid. et seqq.
- Armenia, in qua S. Bartholomæus Ap. occubuit, et plures olim Martyres fuerunt. 121. Cur seculo quarto accepisse fidem dicatur. 122. Bellum religiosum sustinet. Ibid.
- Archelaus (S.) Ep. Cascaris in Mesopot. disputat cum Manete. 124.
- Arnobius de converso ad Christum mundo testimonium fert. 92.
- Arrii Antonini ad Christ. verba. 100.
- Arvernorum primus Ep. S. Austremontius. 7. Jisdem prædicat S. Firminus. 36-306.
- Asia minor ab Apostolis exulta. 120.
- Asturica Urbs Hispaniæ sede Episcopali, Martyribus et literis S. Cypriani seculo tertio nobilis 190. et seqq.
- Assyria mature fidem accipit. 125.
- Auctores Gallicæ Chnst. notati. 125. et 291.
- Auctores Historiæ litterariæ Franciæ 19., notati. 245.
- Augusta Vindel. Episcopum tertio sec. habebat. 132.
- Augustinus prædicasse ubique Apostolos ait. 71., at superesse gentes, quæ Chris-

- Christum adhuc ignorant. Ibid.  
 Augustinus Anglorum Apostolus. 134.  
 Auxilius Andegav. Ep. ex Actis S. Firmini notus. 312.  
 B  
 Babylonia regio cito Christum agnoscit. 125.  
 Bactriani Christiani. 130.  
 Balluzius (Stephanus) Lugdunum accenset Narbonensi provinciae. 154. laudatus. 196.  
 Barbarae plures gentes secundo sec. Christianae. 81. et seqq. 128. et seqq.  
 Bardesanes, in omnibus civitatibus Christianos esse, ait. 83.  
 Baronius laudatus. 49. ,, 92. ,, 179. notatus. 50.  
 Basilides doctrinam suam apud Persas spargit. 116.  
 Basilius (S.) Evangelium propagatum in toto mundo fulgetrae in modum asserit. 98.  
 Barthius recte de promulgatione Christianae religionis iudicat. 74.  
 Bartholomaeus Apost. Armeniis praedicat. 122.  
 Beda, auditum sonum praedicationis Apostol. in omnibus terrae angulis, putat. 71. Lucium Britanniae Regem ad Christum conversum secundo saeculo refert. 165.  
 Bellovacii S. Firminus praedicans in carcerem conicitur. 36. S. Lucianum praedicasse ibi antea, ferunt. 44.  
 Bellum religiosum Armenorum. 122.  
 Benedictus XIV. cultum S. Firmini augeat. 195.  
 Bengnius Modrusiae Ep. vitam S. Clementis Pp. et M. ab Hesychio compositam, in qua iter hispanicum S. Jacobi Ap. referebatur, habuit. 199. et seqq.  
 Berillus Arabiae tert. sec. Ep. 121.  
 Bibliotheca Laurentiana, Riccardiana, Servorum B. Mariae Florentiae, Vaticana. 16. ,, 25.  
 Bollandiani laudati. 17. ,, 177. ,, 210.  
 Commentarius eorum de S. Firmino 213. et seqq. Retractatur ipsorum sententia de episcopatu S. Firmini 320. impugnati. 36. et seqq. 83. ,, 85. ,, 89.  
 Bollandus (P. Joannes) Commentarium de S. Firmino scripsit. 213.  
 Bosquetus S. Firmini Acta vulgavit. 56.  
 Bonifacius Papa Narbonensem Ep. Metropolitanum primae Narbon. provinciae dicit. 144.  
 Breviaria Pompelonensia, utpote ex Actis S. Firmini a Bosqueto vulgatis conflata, meminisse non potuerunt Episcopatus Pompelon. ejusdem Sancti. 331.  
 Britannia primo saeculo fidem accepit. 164.  
 Brutius de multitudine Martyrum sub Domitiano testimonium fert. 100.  
 Byeus (P. Cornelius) Bollandianus Socius Acta S. Saturnini merito in duas partes dividit. 5. Ex fallaci conjectura exarata ea dicit anno CCC. Ibid. Notatus 148. ,, 157. et seqq.  
 C  
 Caesaraugusta, Felix ejus Episcopus saeculo tert. 192. S. Firminum colit. 196.  
 Caesarea Palaestinae Metropolis aliquando Hierosolymae. 146.  
 Chaldaea ab Apostolis exculta. 115.  
 Capitolium in multis urbibus olim erat. 49.  
 Cascar Mesopotamiae urbs Episcopatu tertio saeculo. 124.  
 Caspii Christiani. 130.  
 Caelus (Gulielmus) de Comitibus Tolosae scripsit. 6.  
 Catholica ab exordio suo Ecclesia appellata. 148.  
 Celeia Norici urbs. 133.  
 Celtae Galli omnes vocati; at Caesar Lugdunensibus solis nomen id tribuit. 85.  
 Chineses iidem, ac Serae, antiquitus fidem Christi acceperunt. 93. 127.  
 Chronologia Episcoporum Ambianensium ordinata. 237. et seqq.  
 Chrysostomus (S. Joannes) de diffusa ubique Ecclesia splendidum testimonium fert. 129.  
 Cimbri antiquitus Christiani 130.  
 Clemens Papa et M. ab ortu ad occasum solis Evangelium praedicatum ait. 78. S. Saturninum ab eo missum in Gallias, antiqua, verisimilisque opinio est. 22. Incerta ejus epistola ad Jacobum fratrem Domini. 23. ipsius vitam ab Hesychio scriptam, probabiliter

- biliter aliqui putant. 198. et seqq.  
 Cleri Romani epistola ad Cyprianum de Christianis ubique diffusis meminit. 92.  
 Coemeteria Hispanorum tertio saeculo. 193.  
 Coitinus notatus 249. et seqq.  
 Constantinus Magnus pacem Ecclesiae fecit. 58.  
 Constitutiones Apostol. antiquissimae Ecclesiam toto orbe diffusam ajunt. 84.  
 Crescens (S.) praedicasse Gallis dicitur. 136.  
 Creta, oppidatim in ea constitui Episcopos, Paulus jubet. 114.  
 Curia S. Lucium Episcopum habuit. 132.  
 Cyprianus ait, Ecclesiam per totum orbem diffusam, et appropinquare Anti-Christum. 92. Multa notatu digna in ejus epp. LXVII. et LXVIII. de Ecclesiis Galliae et Hispaniae. 150. et seqq. 190. et seqq.  
 D  
 Dacia primis saeculis Christianos habuit. 133.  
 Daphnus Vassensis Episc. an Apostolor. discipulus. 15.  
 Decius et Gratus Coss. ann. CCL. 3. execrabile animal a Lactantio vocatus. 94.  
 Demetrius (S.) Alexand. Ep. de ordinatofibus Originis queritur. 66.  
 Diana Pompelone olim culta. 31.  
 Disciplina antiqua Ecclesiae in constituendis Episcopis. 64. ,, 113. ,, 190. et seqq.  
 Didymus de Trinitate scribens Hispanae praedicationi S. Jacobi Ap. favet. 175.  
 Dio Cassius damnatos a Domitiano multos Christianos dicit. 100.  
 Diocletianae persecutionis descriptio. 96. ,, 187.  
 Dionysius (S.) Paris. Ep. cum sex aliis Episcopis in Gallias venisse dicitur. 7. Galliarum Apostolus habetur. 107. Ejus Acta septimo labente saeculo exarata. 37. a Clemente Papa missus fertur. 15. Leviter in tertio saeculo medium a recentioribus trahitur. 107.  
 Divisionis Apostolor. festivitas. 205.  
 Domitianus Imp. Ecclesiam toto orbe diffusam excindere tentat. 101.  
 Doduclius castigatus. 113. ,, 183. et seqq.  
 Domnus pro Dominus. 39.  
 Dulau insignis Arelatensis Ep. pro religione nuper occisus. 180.  
 E  
 Ecclesiae aliquot, quorum Episcopi per plura saecula ignorantur 329.  
 Ecclesiae Romanae prudentia in libris ritualibus. 107. Gallicanae status sub medio tertio saeculo. 150. Hispanae. 190. Ecclesiae Gallicanae, quae originem suam ad apostolicum aevum referunt. 147.  
 Edessa a S. Thaddaeo ad Christum tracta. 123.  
 Egistus, et Marianus (SS.) Apostolor. discipuli in aquilonari Germania praedicant. 135.  
 Elusa Novempopuloniae antiqua Metropolis S. Saturninum Apostolum agnoscerebat. 16.  
 Emelius Pater S. Honesti. 198.  
 Emerita Lusitaniae Metropolis Episcopum Presbyterosque habebat sub medio tertio saeculo. 194.  
 Episcopi olim praeficiebantur etiam paucis Christianis. 113. Quomodo eligebantur. 190. Deserebant aliquando gregem, ut alibi evangelizarent. 43.  
 Evangelistae antiquitus plurimi. 77.  
 Evangelium brevi ubique propagatum, probatur ex Sac. Script. 69. Ex PP. Clem. Herma, Ignat. Just. Polyc. Bardesane, Iren., Serapione, Anonymo Eusebii, Constitut. App. Clem. Alex. Tertull. Orig., Minutio Fel. ex epistolis Cleri Rom. et Firmilliani, ex Cypriano, Arnob., Lactant., Euseb. Julio Firmico, Hilario, Basilio, Cyrillo Hierosolym. Hier., Chrysost. Aug. Theodor., Isid. Pelusiota, et aliis multis. 78. et seqq. Item ex profanis AA. Plinio, Inscriptione Hispana, Bruto, Arrio Antonino, Luciano, Dione, Tacito. 99. Propagatum fuisse in toto mundo ante excidium Hierosolym. quinam ajunt, negantve. 70. Propagatum mox fuit in Syria, Asia minori, Graecia, Italia, ut ex Sac. Script. constat. 120. Item in Aegypto, Lybia, Aethiopia, Arabia, Armenia, Osdroene, Mesopotamia, Babilonia, Chaldaea, Media, Parthia, Persia, India, Serica, Scythia; apud Mau-

Mauros, Massagetas, Tibarenos, Hyrcanos, Caspios, Ismaeliticis nationes, Lagos, Sannos, Anasgos, Sauromatas, Cymerios, Bactrianos &c. 120. et seqq. Propagatum quoque mox fuit in Occidente per universum Illyricum latissime sumptum, atque Germaniam. 131. et seqq. Per omnes Galliarum provincias. 136. et seqq. Per Britannias, et Africam. 164. Postremo per omnes Hispaniarum terminos. 170. et seqq.

Eugenia mater S. Firmini 301.  
Eulogius Ambian. Ep. Coloniensi Concilio seculo quarto interfuit. 238.  
Eunuchus (S.) Æthiopum Apostolus. 120.  
Eusebia soror S. Firmini. 301.  
Eusebii Cæsariensis. Ep. illustria testimonia de prædicato mox ubique Evangelio. 94.  
Eustachius Presbyt. Aginni cum S. Firmino versatus. 35.  
Exuperii (S.) Tolosæ ineunte sec. quinto Ep. laudes. 52. Corpus S. Saturnini transfert. Ibid.

## F

Fabianus (S.) Papa Galliarum Apostolus a nonnullis dictus. 117., 197.  
Fabricius (Joann. Albertus) Auctor libri *Salutaris lux Evangelii*. 90.  
Fariatus Illyrici sac. Auctor, fragmenta Vitæ S. Clementis affert, probatque. 198. et seqq. notatus 201. vindicatus. 203.  
Faustinianus pater S. Firmini Conf. leviter creditus 317. corpus S. Firmini M. sepelivit. 311.  
Faustinus Lugdunens. Ep. a S. Cypriano laudatus. 152.  
Faustus frater S. Firmini. 301.  
Felibienus notatus. 279.  
Felix Cæsaraugust. fidei cultor a S. Cypriano dictus. 191. Alii duo Felices, Episcopus unus, alter Presb. a S. Cypriano commemorati. Ibid.  
Ferrerus (Joannes) S. Saturninum in tertium seculum trahit. 221. S. Firminum Pompelonis Episcopum fuisse negat. 231.  
Firminus (S.) Pompelone natus sub adventum S. Saturnini. 34. et 301. a S. Honesto baptizatur, et literis in-

struitur. Ibid. Nondum Clericus per sex annos adjuvat in prædicatione eum. 35. et 301. Factus Episcopus Pompelonem revertitur, ubi tandiu moratur, quoad regionis hujus populos magisterio suo non indigere vidit. 35. Aginni, et apud Arvernos prædicat cum ingenti fructu. 36. Quindecim mensibus Andegavi commorans maximam partem provinciæ ad Christum trahit. 43. Hinc Bellovacum contendit, ubi in carcerem traditur, sed liber egressus Ambianos adit, pro Christo vitam daturus. 36. Ejus corpus a S. Salvio detegitur; at inventionis hujus historia parum fide digna 244. et seqq. In pretiosiori theca locatur a S. Godofrido, cui urbis excidium prædicit 259. et seqq. Theca aurea a Theobaldo reconditur 266. Ejus miracula 264. cultus apud Gallos et Belgas 242. apud Pompelonenses, ubi magna pars ejus capitis visitur 281., et seqq. Matriti, et Cæsaraugustæ item colitur 195. et seqq. Patronus est Regni Navarrae 291., et seqq. Pompelonensis Episcopus ei asseritur 320. Acta ipsius sincera. 27. Aha r. centiora. 297.

Firminus (S.) Ambian. Ep. vulgo dictus *Confessor*, eximius S. Firmini Martyris cultor. 311. Ejus Vita parum fide digna. 238. Non videtur fuisse Faustini filius, neque ordinatus a Lugdunensi Episcopo. 317.  
Firmus Pompelonensis Senator, et Pater S. Firmini baptizatur a S. Saturnino. 35. Popularium conversioni incumbit. 34.  
Firmilianus Ecclesiam ubique diffusam indicat. 92.  
Florianus Lauriaci Martyr. 131.  
Fortunatus (Venantius) senem obiisse S. Saturninum indicat. 50.  
Formate Literæ olim dabantur ab Arelatensi Ep. Clericis Gallis. 139.  
Franciscus Xaverius (S.) Navarrae cum S. Firmino Patronus dictus. 293.  
Fructuosus (S.) Tarraconensis Ep. sub Valeriano Martyr, de quo Acta sincera extant. 65.

## G

Galata olim dicebantur a Græcis Galli. 136.  
Gallia a VII. Provinciis aliquando distincta. 44. Ab Apostolis, horumque Discipulis fidem Christi accepit. 136. et seqq.  
Gallicanum Missale ab Oriente venisse S. Saturninum ait. 22.  
Gatianus (S.) Turonensis primus Ep. cum sex aliis Epp. venit in Gallias. 7.  
Gelasius Papa cur Hermæ librum apocryphum dicat. 79. Cur Pauli Ap. iter Hispanicum neget. 173.  
Geneva, ejus Ecclesia Viennensi Metropolitano attributa. 141.  
Gentes ad Christum conversæ. Vide verb. *Evangelium*.  
Germaniarum Ecclesiæ antiquæ visæ sunt S. Irenæo. 84. Cur S. Bonifacius, aliique recentiores Sancti Germanorum Apostoli vocentur. 134.  
Gildas *Sapiens* cognominatus, penetrasse sub Tiberio in Britannias Christi fidem, asserit. 164.  
Godofridus Ambian. Ep. eximius S. Firmini cultor 258. Vindicatus 273. et seqq.  
Gothiæ Episcopus Nicæno interest Concilio. 134.  
Gothi Ariani Hispaniis potiuntur seculo quinto ineunte, et sexto labente hæresim abjurant opera Reccaredi Regis. 330.  
Gratianopolitana Ecclesia Viennensi a S. Leone P. tribuitur. 141.  
Græcia ab App. exulta. 132.  
Gratus an. CCL. Consul cum Decio. 3.  
Gregorius M. (S) an. DCIV. mortuus, recentissimus Sanctorum in Riccardiano Lectionario commemoratorum. 17. venisse Paulum in Hispan. ait. 172.  
Gregorius Thaumaturgus (S.) septemdecim Christianis Episcopus præpositus. 115.  
Gregorius Illuminator (S) cur Arme-niæ habeatur Apostolus. 122.  
Gregorius Turonens. Ep. (S.) primum scripsit *histor. em Franc.*: postea de *gloria Martyrum*. 7. Quanti facienda

sit ejus auctoritas, cum, sub Decio venisse, ait, septem Episcopos Gallicarum Apostolos. Ibid. et 137. 150. Guibertus Abbas iniquum se exhibet S. Godofrido, leviterque Abbatia S. Dionysii attribuit corpus S. Firmini. 272. et seqq.

## H

Hadrianus Imp. Episcoporum Ægypti meminit. 120. Quartam ipsi tribuit Sulpicius persecutionem. 9.  
Hæretici tametsi plures secundo sec. pauci tamen recentiores erant, comparati ad Catholicos. 84. 154.  
Hermagoras (S.) Aquilejæ Ep. primo sec. 132.  
Hermas (S.) *Pastoris* libri, ab hæreticis vitati, auctor, gentes omnes Christo credidisse ait. 78.  
Hesychius Ep. Salonæ divulgatum in toto mundo Evangelium credebatur. 71. Vitam S. Clementis Papæ scripsisse dicitur. 199. et seqq.  
Hieronymus (S.) nulli non cognitam Religionem Christianam asserit. 98. Pauli iter Hispanicum 172. et Jacobi 174. testari videtur.  
Hilarius (S.) 1010. Ep. sub Imp. gentilibus. 54. Basilicam in honorem S. Saturnini constituit. 51.  
Hilarius (S.) Pictav. Ep. prædicasse in universo mundo Apostolos dicit. 97. ingentem suo tempore Episcoporum Gallican. numerum fuisse indicat. 115.  
Hilarius (S.) Arelat. Ep. a S. Leone Papa jure metropol. privatus. 141.  
Hilarius Narbon. Ep. ab Arelatensis jurisdictione eximitur a Bonifacio Papa, Metropolitanusque fit Narbonensis primæ. 144.  
Hippolytus (S.) Arabia Metropol. Ep. 121.  
Hispaniæ status miser sub S. Saturnini tempus; felix sub Irenæi, Tertulliani, et Cypriani. 39. Paulus in ea prædicavit. 170. Jacobus item 174. et septem Apostolici Episcopi. 178. ejus vindicæ 179. et seqq.  
Honestæ S. Honesti mater. 298.  
Honestus (S.) Nemausensis civis baptizatur, eruditur, Presbyter fit, et in Hispaniam a S. Saturnino mittitur. 30. Pompelone prædicat, S. Firmini-

minum baptizat, instruit, adiutorem-que suum constituit, quoad impar jam oneri præ senio, Episcopum ipsum fieri curat, quo ejusdem Ecclesie onus integrum in eum transferat. 31. 34. 35. Colitur in Galliis. 42. Non videtur fuisse Martyr. 39. Vide etiam pag. 297. et seqq.  
 Honoratus (S.) Tolosæ Ep. S. Saturnini Successor S. Firminum consecravit Episcopum. 35., et 301.  
 Hosius (S.) Cordubæ Ep. 184., et 185.  
 Hyperbole, qualis deceat prudentes scriptores. 109.  
 Hyrcani ad Christum tracti ab Apostolis. 130.

## I

Jacobus Apostolus in Hispaniam venisse probatur 174., 198., et seqq.  
 Ignatius (S.) Antioch. Ep. a finibus in fines terræ Ecclesiam diffusam dicit. 79.  
 Illiberitani Concilii Canones splendorem Hispanæ Eccl. produnt. 196.  
 Illyricum universum cito ad Christum conversum. 132.  
 India ab App. Bartholomæo, et Thoma exculta. 127. et seqq.  
 Innocentius (S.) Papa scribit S. Exuperio. 54. Cur Occidentis omnes Ecclesias a Petro, hujusque Successoribus fundatas dicat. 149., 173., et seqq.  
 Inscriptio Neroni in Hispania appositæ index Hispanorum Martyrum sub eo. 101.  
 Joannes Apost. Parthis scribit. 125.  
 Joannes Persiæ et Indiæ Ep. Nicæno Concilio subscribit. 127.  
 Iraca Persiæ provincia triginta millia Martyrum sub Sapore habuisse fertur. 127.  
 Irenæus (S.) seculo secundo Lugdun. Ep. Ecclesiam ubique diffusam sæpe testatur. 84. Christianorum Hispaniæ et Galliæ meminit. 85. Præposita recentiorum expositio verborum ejus rejicitur. Ibid. et seqq.  
 Isidorus (S.) Pelusiota ethnicismum extinctum dicit. 98.  
 Italia Apostolorum, horumque discipulorum prædicatione illustris. 131.  
 Judæi, ut et ubivis dispersi dicantur,

revera tamen ubivis non erant sicut Christiani. 82.  
 Julius Firmicus vix non penitus extinctum ethnicismum ait. 97.  
 Justinus (S.) impletas asserit prophetias de conversione omnium gentium. 79. Rejjicitur criticorum expositio minus consentanea verbis Justiniani. 82. et seqq.

## L

Lactantius ubique prædicasse Apostolos ait. 93.  
 Lagi ab Ecclesiæ exordio Christiani. 130.  
 Lami (Joannes) Bibliothecæ Riccardianæ præfectus. 16.  
 Latina lingua quandiu neglecta. 206.  
 Launoys rejectus. 7. notatus. 152.  
 Laurentii (S.) Parochia Pompelonensis insignes S. Firmini reliquias possidet. 288.  
 Lauriacum Norici Metropolis ab Apostolis Christi fidem edocta. 132.  
 Legaria (Michael Perez de) Pompel. Ep. cultum auget S. Firmino. 185.  
 Legio Hispaniæ urbs Christiana fide florens seculo tertio. 190. Martyres habuisse Tertulliani tempore dicitur. 183. Ignoti ejus Episcopi a tert. ad nonum seculum. 329.  
 Lælius Emeritensis Diaconus literas accipit a S. Cypriano. 190.  
 Lemovicum urbs Galliæ S. Martialem primum Ep. habuit. 7.  
 Leo (S.) Papa litem inter Arelatensem et Viennensem Epp. componit. 141.  
 Lestochius laudatus. 273.  
 Libya, ejus incolæ plures fidem Christi ab Apostolis accepere. 120.  
 Eiliosus Pompel. Ep. Concilio Toletano III. interfuit. 233.  
 López (P. Gaspar) Procurator Romanus in lite de Patronatu Regni Navarræ. 293.  
 Lubian (D. Firminus de) Cathedralis Pompel. Prior, monumenta ad S. Firminum pertinentia Bollandianis subministrat. 283.  
 Luca urbs Etruriæ, pro qua Sanctorale Riccardianum confectum videtur. 17.  
 Lucas (S.) Evangelista Hispanæ Pan-

## H

li prædicationis meminisse non potuit. 170. Prædicasse in Gallia fertur. 136.  
 Lucianus (S.) socius S. Dionysii. 15.  
 Bellovacorum Apostolus habetur. 44.  
 Lucianus Christianorum Ponti meminit in *Pseudomante*. 100.  
 Ludgerus (S.) quare Germanorum Apostolus dicatur. 134.  
 Lugdunum Narbonensi provinciæ a Baluzio adscribitur. 154. Ante S. Pothinum, quem primum ipsius Episcopum fuisse, non constat, Christianos habuisse videtur. 149.  
 Mabillonius rejectus. 255.  
 Macedonia Pauli Apostol. prædicatione illustrata. 132.  
 Malabares Christiani S. Thoma appellati. 128.  
 Malbrancus de Morinis rejectus. 226.  
 Mamachus. 14. notatus. 15.  
 Marcellus Chascarensis civis insigniter misericors. 125.  
 Marcianus Arelat. Ep. Novatiani assecla. 150.  
 Marcus (S.) Ev. Alexandria Ep. 120.  
 Marcus secundo sec. hæreticus: alter quarto in Hispania. 155., 189.  
 Marthæ (S.) Monasterium, ubi Sanctorale Riccardianum diu latuit. 16.  
 Marlou (Franciscus) Pompel. Episc. vindicatus. 291.  
 Martialis (S.) v. *Lemovicum*.  
 Martyres Lugdunenses non videntur fuisse primi Galliarum. 10. nec Scyllitani primi Africae. 112. nec Tarraconenses primi Hispaniæ. 183. Martyrum sanguis semen Christianorum. 50.  
 Martyrologium Romanum minus recte passum fuisse sub Decio S. Saturninum dicit. 11. Hispani Sancti antiqui in ipso recens. 184. et seqq.  
 Massagetæ ab Apostolis edocti. 129.  
 Massiliensis Ep. de Metropolitico jure contendit. 142.  
 Matritum perillustre S. Firmini Sodalicium habet. 295.  
 Mauri magna ex parte Christiani seculo secundo. 89.  
 Maximillianus (S.) Martyr Lauriaci Episcopus. 133.

x x 2

Maximianus Imp. in Galliam veniens, in Christianos sævit. 58. Hispaniam regebat. 183.  
 Mediolanum primo sec. S. Anathelonem Ep. habuit. 132.  
 Menchaca (D. Rochus) laudatus. 16.  
 Messopotamia ab Apostolis peragrata. 124.  
 Mingarellus Didymi opus de *Trinitate* detegit. 175.  
 Minimi Matritenses caput S. Firmini M: non videntur habere. 296.  
 Minutius Felix mundum Christianis repletum dicit. 90.  
 Modrusia Bengium Ep. habuit. 202.  
 Moguntia antiquitas Christiana. 156.  
 Moretus (P. Josephus) impugnatus 220., et 231. et seqq.  
 Moruzanes Armen. Ep. 122.  
 Mozarabe Officium antiquissimum. 180.  
 Mursa ejus Episcopatus S. Clementi attribuitur. 205.  
 Mutina. 202.

## N

Narbo urbs Galliæ cum Arelate de jure metropol. contendit. 142.  
 Narbonensis Provincia, in qua Tolosa. 144. Lugdunum in solida Narbonensi fuisse, Baluzius credit. 154.  
 Narcissus (S.) Augustæ Vindelic. Ep. 132.  
 Natalibus (Petrus de) notatus. 230., et 248.  
 Navarra Patronos habet S. Firminum Ep. et M. et S. Franciscum Xavierium. 291. et seqq.  
 Nemausum patria S. Honesti. 30. et 298.  
 Nerium Promontorium in Hisp. ultimis Occidentis terminus. 170.  
 Nero Imp. Ecclesiam toto orbe diffusam persequitur. 94., 107.  
 Nicolaus Suessionensis vindicatus. 274. et seqq.  
 Nicolaus Pomp. Ep. 287.  
 Noricum ubi antiquitas Evangelium fuit prædicatum. 132.  
 Novempopulonia S. Saturnini prædicatione illustrata. 36.  
 Oceanicæ partes pro Occidentalibus. 36.  
 Occidens, in eo Apostolor. præcipui præ-

- prædicaverunt . 131.  
 Olague, Capitanus Navarrus, Reliquiam S. Firmini, Ambiani protecti præmium, obinet . 190.  
 Oriens, citius in eo disseminatum fuit Evangelium . 119. Inde venit S. Saturninus . 22.  
 Origenes prædicatum ubique Evangelium ait . 90. Superesse tamen adhuc gentes aliquas, quæ nihil de illo audierunt . 71.  
 Orosius (Paulus) asserens in toto orbe prædicasse Apostolos, vindicatus . 101.  
 Osdroene a Thaddæo Discip. Christi conversa . 123.  
 Otho (S.) quare dicatur Germaniæ Apostolus . 134.
- P
- Pagius (Antonius) S. Dionysium Paris. Ep. a Clemente P. missum putat . 160. Verborum Sulpicii expositio ejus rejecta . Ibid.  
 Pagius (Franciscus) Lanoyum impugnat . 7.  
 Pantænus Indis prædicat . 127.  
 Pannoniæ mature fidem accipiunt . 133.  
 Papulus (S.) pro absente S. Saturnino Tolosæ Ecclesiam administrat . 41.  
 Parisiensis Ecclesiæ primus Ep. S. Dionysius . 7., 108.  
 Parthia, ejus Ecclesiæ S. Joannes Ev. epistolam primam scripsit . 125.  
 Patroclus ambitiosus Arelat. Ep. 138.  
 Paulinus (S.) Actorum S. Saturnini auctor esse potuit . 38. Rufinum laudat . 163.  
 Paulus (S.) Ap. annuntiatum fuisse in universo mundo Evangelium ait . 70. Iter ejus Hispanicum . 170. et seqq. Ex ipsius prædicatione reliquorum Apostolorum intelligenda prædicatio . 72., 76.  
 Persia ab Apostolis illuminata . 125. ipsius mores emendati . 129. innumeros sub Sapore Martyres habuit . 126.  
 Petrus (S.) Ap. Romæ occisus 94. In Hispaniam venisse ait Metaphrastes . 177. Quomodo Ecclesiarum Occidentis fundator . 149., 173.  
 Petrus II. Pompel. Ep. seculo XII. S. Firminum civem, Episcopumque Pom-
- pel. dicit, et cultum ejus auget . 238.  
 Pionius (S.) Martyr Smyrnæ sub Marco Aurelio . 12.  
 Philippi Imperatores Arabes, Christiani habiti . 121.  
 Philippus (S.) Ap. in Galliam venisse dicitur . 136.  
 Plinius certiore Trajanum reddit de multitudine Christianorum . 100.  
 Polycarpus (S.) Martyr sub M. Aurelio pro Ecclesia Catholica ante mortem orat . 83. Sub Aniceto Romam venit . 149.  
 Pompelon Navarræ Metropolis . 39. Primo seculo ad Christum conversa a SS. Saturnino et Honesto . 31. et seqq. Patria, Sedesque Episcopalis S. Firmini . 34., 42., 118., 310., et seqq. Perinsignes hujus Sancti reliquias possidet . 284. Multipliciter ipsum colit . 282. Ejus implorato auxilio a peste liberatur . 288. S. Saturninum Patronum peculiarem habet . 282. Laudata 198., 209.  
 Pothinus (S.) Lugdunensis seculo secundo Ep. 149.  
 Provinciæ civiles Galliarum . 44. Hispaniarum . 192.  
 Provinciæ Ecclesiasticæ tertio sec. in Gallis, et in Hispaniis erant . 65.  
 Presbyteri et Episcopi nomina promiscue sumpta . 114.  
 Privatus Lambasenus Ep. hæreticus a nonaginta Epp. damnatus . 117.
- R
- Radegundes (S.) Regina, quid septem Episcoporum epistola ei inscripta contineat . 106.  
 Ravennæ prædicasse Jacobum Ap. in Hispaniam euntem ferunt . 201. S. Apollinaris Petri Discipulus primus ejus Ep. habetur . 132.  
 Remigius (S.) Francorum Apost. 148.  
 Recognitionum libri a Ruffino latine conversi . 202.  
 Rhodanus fluvius: circum eum Marciani hæretici erant secundo seculo . 154.  
 Rhætia utraque a primis temporibus Sanctos habuit . 132.  
 Riccardiana nobilis Bibliotheca Florentiæ . 16.

- Richardus (S.) Rex Angliæ dictus et, Lucæ in Hetruria mortuus . 17.  
 Ripsimis et Sociæ SS. Virgines Diocletiani persecutionem fugientes in Armeniam contendunt . 123.  
 Romanorum fides a Paulo Ap. laudata . 131. Romana Ecclesia ab exordio Religionis illustrissima . 136. Ipsius in recensione librorum ecclesiastic. prudentia . 107.  
 Romanum Imperium Religioni Christi adversum . 136. In eo maxime propagatum fuit Evangelium . Ibid.  
 Romulus a S. Firmino convictus, et ad fidem pertractus una cum Arcadio . 306.  
 Ruffinus a S. Paulino laudatus . 163. Amicus Hesychii Salonitani . 199.  
 Rupertus (S.) cur Norici Apostolus . 133.  
 Ruinartius Acta Martyrum sincera colligit . 16. Luculenta ejus præfatio . 113. Non habuit Acta S. Saturnini omnino sincera . 1. et seqq.
- S
- Salonæ Episcopus Hesychius seculo quinto innotuit . 199.  
 Salvius (S.) Ambian. Ep. sub initium VII. seculi, corpus S. Firmini invenit, et in urbem transfert . 144. et seqq.  
 Sanni ab Apostolis conversi . 130.  
 Sapor Persarum Rex immanem persecutionem Ecclesiæ movet . 116.  
 Sandovalius (Bernardus) Pompelon. Ep. festum S. Firmini celebrari die VII. Julii præcipit . 288.  
 Sandovalius (Prudentius) Pomp. Ep. Catalogum Episcoporum Pomp. edit . 230.  
 Sardica Daciæ Mediterraneæ urbs . 133. Ejus Episcopus S. Clemens dicitur . 205.  
 Saturninus (S.) Tolosæ Ep. et M. Ejus Acta a Ruinartio vulgata hand omnino sincera . 1. et seqq. Fabulosa altera . 13. Sinceriora nunc edita . 27. et seqq. Quid putent recentiores de ejus ætate, et quid inde inferant . 2., 67., 107. Patronus est Pompelonis . 282.  
 Saturninus Arelat. Ep. arianus 143.  
 Sauromatæ ab Apostolis conversi . 150.
- Scriptura Sacra, cito legem Christi in universo mundo prædicandam, dicit . 60. Quomodo hyperbolica locutione utatur . 109.  
 Scythia ab Apostolis frequentata . 128.  
 Scyllitani Martyres an primi in Africa . 168.  
 Sebastianus Præses Romanus morti addicit S. Firminum . 58., 310.  
 Septem Provinciæ quædam olim dicerentur . 44.  
 Serica primis seculis Evangelium audivit . 93., 127.  
 Severinus (S.) quomodo Noricorum Apostolus . 133.  
 Silvius (S.) Tolosæ quarto sec. Ep. Basilicam S. Saturnino erigit . 51.  
 Simon Magus honores divinos Romæ accepit . 73.  
 Sirmium Pannoniæ urbs Martyribus illustris . 133. Ecclesiæ Sirmiensi Tabularium, et Andronicus primus ejus Episcopus . 199., et 205.  
 Siccia, Cornelium Centurionem natum in ea ferunt . 205.  
 Sozomenus Saporis persecutionem referens, notatus . 126.  
 Stephanus (S.) Protomartyri Ecclesiam Billovaci dedicat S. Firminum . 306.  
 Stephanus (S.) Papa a S. Cypriano interpellatus in causa Marciani Arelatensis . 150. Incertum, idem ne, an Cyprianus in causa Basilidis, et Martialis deceptus sit . 195.  
 Stiltingus (P. Joannes) Commentarii de S. Firmino auctor . 212. In finem tertii seculi S. Firminum rejicit . 220. Notatus . 56., 281., 317. Impugnatus . 57. et seqq. 320. et seqq. Negat, eundem Sanctum Pompelonis Episcopum fuisse . 231. Ejus sententiæ retractatio . 320.  
 Suarez (P. Franciscus) laudatus . 70.  
 Sulpicius Severus primos Galliarum Martyres sub M. Aurelio statuens, et sermo trans Alpes Dei religionem susceptam dicens, non impedit, quomodo S. Saturninus Martyr obierit Tolosæ seculo primo . 9. Exigit ejus auctoritas in histor. Eccl. 157. et seqq.  
 Symbolum Apostolicum collatis in commune articulis adornatum ab Apo-



stolis creditur . 203.  
 Symmachus ( S. ) Papa Lauriacensem  
 Ecclesiam ab Apostolis fundatam ait .  
 132.  
 Symphoriani ( S. ) Acta , alias sincera ,  
 in designando martyrii tempore pec-  
 cant . 11.  
 Syngiduni Ecclesia a S. Clemente Pa-  
 pa fundata dicitur . 205.  
 Syria Apostolorum prædicatione illu-  
 strata . 120.

T

Tacitus ( Cornelius ) multos sub Nero-  
 ne Christianos fuisse restatur . 100.  
 Tarraco , Provinciæ Tarraconensis Me-  
 tropolis , SS. Fructuosum , et Socios  
 Martyres sub Valeriano habuit . 65.  
 Sub ipsa Pompelonis Ecclesia erat se-  
 culo tertio ibid.  
 Tertullianus : luculenta ejus testimonia  
 de multitudine Christianorum in uni-  
 verso mundo . 88. Non indicat , Scyl-  
 litanos Martyres primos Africæ fuis-  
 se . 168.  
 Thaddæus Discipulus Domini prædica-  
 vit in Osdroene . 123. in Mesopota-  
 mia . 124.  
 Thomas ( S. ) Apost. Malabaribus præ-  
 dicat . 128.  
 Thomas ( S. ) Aquinas , adventum Pau-  
 li Ap. in Hispaniam , quem prius  
 negarat , admittit . 173.  
 Theobaldus Ep. Ambian. theca aurea  
 condit Corpus S. Firmini Episc. et  
 M. 266.  
 Theodoretus Crescentem missum a Pau-  
 lo in Gallias asserit . 136. Prædicasse  
 omnibus gentibus Apostolos ait .  
 129. et seq.  
 Theodorus Lauriacensis pallio decora-  
 tur a Symmacho Papa . 132.  
 Theotimus Gothorum Ep. Nicæno Con-  
 cil. subscripsit . 134.  
 Thiersius notatus 281.  
 Tibareni ab Apostolis conversi . 130.  
 Tillemontius exarata quinto seculo Ac-  
 ta S. Saturnini putat . 4. , rejectus .  
 5. Ejus judicium de S. Gregorio Tu-  
 ron. 8. Probabile putat , prædicasse  
 Apostolos in Gallia . 10. Acta S. Sym-  
 phoriani esse pravata in epocha ait .  
 11. Notatus . 15. Rejectus . 19. 54.  
 107. Sibi contrarius . 121. S. Tro-

phimum tertio seculo statuit . 137.  
 Notatus . 138. et seq. Ejus conjecturæ  
 opposita alia . 142. Trophimum Pauli  
 Discipulum venisse Arelatem negat .  
 146. Laudatus . 148. Impugnatus .  
 149. et seqq. Primos Africæ Marty-  
 res serius collocat . 168. Paulum Ap.  
 venisse in Hispaniam non vult . 171.  
 et seqq. Nec Jacobum , et septem  
 Apostolicos Episcopos . 182. Notatus .  
 181. Leviuscula ejus conjectura de  
 nullo Emeritensi Presbytero sub æta-  
 tem S. Cypriani . 194. Notatus . 216.  
 Laudatus . 217.  
 Titus ( S. ) a Paulo in Creta relictus ,  
 ut oppidatim Episcopos constitueret .  
 113. Brevi id efficit . 146.  
 Titus Imperator , sub ipso venire po-  
 tuit Pompelonem S. Saturninus . 40.  
 Hierosolymit. Templum diruit . 101.  
 Toletum venisse S. Saturninum , haud  
 temere creditur . 41.  
 Tolosa Narbonensis Provinciæ urbs no-  
 bilis . 37. Ejus Episcopi SS. Hono-  
 ratus . 35. Hilarius . 51. Silvius , et  
 Exuperius . 52.  
 Topographia antiquorum Hispaniæ San-  
 ctorum in Romano Martyrologio com-  
 memoratorum . 184.  
 Traditiones populorum commode intel-  
 ligendæ . 103. Pompelonensium tra-  
 ditio de Episcopo suo primo S. Fir-  
 mino defensa 320. et seqq.  
 Transalpinæ partes dictæ , quæ trans  
 montes quosvis sunt . 40.  
 Transdanubiana Germania antiquitus  
 Christianos habuit . 134. Transhena-  
 na item . 156.  
 Trophimus ( S. ) ab Ap. Petro in Gal-  
 lias missus . 137. et seqq. Idem vi-  
 detur Pauli Discipulus . 145.  
 Turonum primus Episcopus S. Gati-  
 nus . 7.  
 Tyridates Armeniæ Rex Christi fidem  
 amplectitur . 127.

V

Valentia urbs Galliæ Metropol. Vien-  
 nensi subdita . 141.  
 Valentinus hæreses suas sub Adriano  
 Imp. spargit , cum Ecclesia late dif-  
 fusa jam erat . 156. , 189.  
 Valerius Romanus Præses Christianos  
 Galliarum vexat . 36.

Vasconia universa Christi jugo subjec-  
 ta prædicatione S. Firmini . 35. 42.  
 188. ante seculum III. Christiana .  
 193.  
 Vassæ Daphnum , Apostolorum Disci-  
 pulum alicubi dictum , Episcopum  
 habuerunt . 15.  
 Vespasianus cum Tito filio imperat .  
 40.  
 Versiculi arcæ aureæ Reliquiarum S.  
 Firmini insculpti . 266.

Vienna , Provinciæ Viennensis Metro-  
 polis civilis . 142. Cum Arelate de  
 primatu sacro contendit . 136. et seqq.  
 Martyres habuit sub M. Aurelio .  
 142. Prædicasse in ea S. Crescens  
 dicitur . 136.

Z

Zaccarias ( Franc. Antonius ) Onoma-  
 stici ritualis auctor . 39. P. Farlatum  
 notat . 201. Notatus ipse 203. et  
 seqq.

Errata

Corrige

Pag.	lin.	15	addit	adiit
90	8		nobilima	nobilissima
132	6		iasulam	insulam
158	pen.		occuret	occurreret
206	7		Vita	Vitæ
239	15		anno	annum
247	pen.		illia	illa
317	31 et 32		parte	patre
318	27		fuerant	fuerat

